SUPPLEMENTORUM

AD

LEXICA HEBRAICA

PARS SEXTA

LITERAS ע, פ, צ, ק, ר, ש, ET ת COMPLEXA.

1797. עָב 1 Reg. VII, 6. *tectum*, *porticus*.

Obscurum vocabulum, ut multa architecturae Hebraicae. Ad radicem plerumque עבב referunt; hanc Arabes duplicem عَبّ et غَبّ habent, sed neutra aliquid significante quod nostro loco aptari possit: volui tamen hic memorare, quod sub עבב quaesitum iri puto.

Equidem mallem ad غيب aut غبي *latuit* referre, ut sit *tectum* columnis impositum, porticum efficiens, fueritque ante columnas τοῦ אולם, aliqua *porticus*, hocque in versione germanica sequutus sum. Quin ipsam *porticum* possis a غبي *latuit*, dicere, tanquam latibulum, sicque עמודים ועב *columnae et porticus* sit Hendiadys.

Varie veteres: Syrus ܕܪܬܐ i. e. *aula sub dio* vertit, exque eo Arabs صحرة *liberum spatium ante columnas* vel porticum. LXX obscure, πάχος, *crassities*, ab עבה *crassus fuit*. Vulgata: *epistylia super columnas*, quod quidem Hebraicis contrarium, nec enim *super* columnas (עליהם), sed ante illas, על פניהם, fuisse dicitur. Chaldaeus, סקופתא *trabs*, *superliminare*, quod ipsum sequenti Hebraico על פניהם contrarium.

1798. עָבַד *servivit*.

Verbum proprie est, *facere*, duros quidem labores, sed Aramaeis generatim pro faciendo ponitur. Hinc pro constructionis varietate, 1) עבד לו *fecit illi*, i. e. servivit, 2) simpliciter, *servire*, etiam cum adcusativo constructum: 3) עבד בו *fecit per illum* sc. duros labores, i. e. *servo usus est illo*. Huc et refero Jes. XIV, 3. הָעֲבֹדָה הַקָּשָׁה אֲשֶׁר עֻבַּד בָּךְ *duri labores serviles*, *qui facti sunt per te*, a te exacti: sed vides laborare locum anomalia generis, mallem ergo אשר עֹבֵד בך *quos facit per te*, dominus saevus, Babylonius. Duo adeo codices Kennicotti, 96 et 112, עובד habent.

Proverb. XII, 9. displicet, *felicior est contemtissimus* וְעֶבֶד לוֹ *cui servus est*, nec enim solent vilioribus ex contemta plebe servi esse: malim וְעֹבֵד לוֹ *et colens sibi* sc. agrum, ut paulo post v. 11. plenius dicitur עֹבֵד אַדְמָתוֹ. Sententia prodibit sequenti oppositioni eximie apta: *felicior inhonoratus sed colens sibi agrum* (manuum labore necessaria ad victum habens), *honorem sibi adserente, sed destituto pane.*

Job. XXXVI, 11. verbum, sine adcusativo objecti positum, idem esse videtur, quod Arabicum, *pius*, *religiosus fuit*, unde عَابِد *adorator*, *cultor Dei*, *religiosus* Jac. I, 26. pro θρῆσκος positum, et عِبَادَة v. 27. pro θρησκεία. Habe integrum locum, quo melius vim verborum perspicias, cum Graecis comparans: مَنْ يَظُنّ فِيكُمْ أَنَّهُ عَابِدٌ وَلَا يُلْجِمُ لِسَانَهُ فَعِبَادَةُ هَذَا بَاطِلَةٌ وَالعِبَادَةُ النَّقِيَّةُ الْمُهَذَّبَةُ عِنْدَ اللّٰهِ. Alia exempla ex Arabica bibliorum versione invenies, Castelli lexicon Arabicum evolvens. Monuit jam Schultensius ad hunc locum.

Hanc tamen inter significationem atque aliam, filo orationis prope aptiorem adhuc ambigo. عَبِدَ Arabicum inter alia est, *puduit*, indeque *poenituit rei*, عَبَدٌ *pudor*, *poenitentia*, عَبَدَة *pudor*. Hinc filo etiam orationis aptius haec Elihui, אם ישמעו ויעבדו verteris, *si audierint* (vocem castigantis dei) *et puduerit vel poenituerit eos* peccatorum; de his enim, quos ad peccatum deflectentes Deus morbis poenisque inde revocat, sermo. Prope praetulerim.

Jes. XLIII, 24. העבדתני בחטאותיך ex vulgata verbi significatione redditum, *servire me fecisti per peccata tua*, quod ex veteribus praeiverunt Syrus et Vulgata, vix legenti probabitur. Succurrerunt fateor theologorum aliqui recentiorum atque ad Christum sub servi forma pro nobis passum retulerunt, quod nec Hieronymus in commentario ausus, nec ex recentioribus doctiores, ut Vitringa: verum hoc plane ut declamatorium excludatur, cum per seriem orationis hic nullus sit Christo patienti locus. Veterum Judaeorum non pauci, de quibus vide Raschium, per-

perquam coacte, nec tamen aeque absone, *fecisti ut te servire facerem Nabochodonosari:* quod ipsum refelli a me lectores vix velint.

Mihi quidem Arabica significatio verbi عَبَدَ *dedignari*, *fastidire*, *irasci*, hic et egregie locum tueri et unice videtur, unde عَبَدٌ *fastidium*, *ira:* verte, sive, *ad iram provocasti me*, sive, *fastidio mihi fuisti*, *peccatis tuis, et* (ut sequens membrum addam) *dolore me adfecisti iniquitatibus tuis*. De reliquis forte veterum interroger. Tres Graeci verterunt, ἐκόπασας με, *fatigasti me:* sed ubinam עבד est, *defatigari?* nisi forte *defatigari*, cum, *fastidio adfici*, idem putes, sic ad superiorem explicationem referendum. Chaldaeus, אסגית קדמי, *multiplicasti coram me:* hoc unde sumtum? LXX magna lectionis varietate, προέστην σου, Hieronymo interprete, *defendi te*, (העמדתיך) vel προέστης μου stetisti ante me, manifestus mihi fuisti peccans legesque meas violans: hi vero verbum aliter per M lectum, sive, העמדתיך sive העמדתני, verterunt.
Unum forte mirari ejusque a lexicographo exigere rationem possis, qui fiat, ut certae ac consvetae, *faciendi*, *colendi*, *serviendi* significationi, duas addat Arabia diversissimas, *pudendi*, *poenitendi*, *fastidiendi*, *irascendi*. Equidem certi nihil habeo, placet tamen conjectura patris mei, quam suo lexici Goliani exemplo tribus verbis adscripsit: errore aliquo linguae plebejo, sed usu in jus verso, عبد transpositione literarum significationes novas ex بعد adscivisse: nempe بَعْد est, POST, verbumque, *discedere*, *longius abesse:* hinc et *pudor* dici et *fastidium*, atque a pudore *poenitentia*, a fastidio *ira* potuerit. Verisimile, nec tamen, in etymologicis timidior, donec inquisivero, certi quid adfirmo. Id quidem certum et aliam in hoc verbo habere Arabes transpositionem, ipsis notatam lexicis, أعبد vertentibus, أبدع *defatigatum habuit jumentum*, quod ad primam duri laboris notionem ego quidem retulerim.

1799. עָבָה *crassus*, *obesus fuit*, Deut. XXXII, 15. 1 Reg. XII, 10. 2 Paral. X, 10.

Significatio verbi rarioris non ex serie solum orationis satis certa, sed et ex linguarum Orientalium usu: Syris ܥܒܝܐ *crassus*, cum reliquis ejusdem radicis: eandem significationem et غبي habuisse, ex ejus derivatis liquet, غَبْيَا *densis ramis convoluta arbor*. Nec tamen haec unica verbi apud Orientales notio: a densitate et crassitie, fluxit

2) *occultari, latere,* quod ipsum غبي vel غبو frequentissime significat. Rom. XI, 25. *nolo* أن يغبو عليكم *latere vos hoc mysterium,* sic et 1 Cor. X, 1. Hinc et caliginem Samaritani עבה dicunt.

3) At prorsus contrarium est, quod sub عبا pro عبو habent lexicographi Arabum, *nituit, reluxit.* Exemplum nullum addiderunt, nec legere memini: quod tamen haud suffecerit negandae significationi. Antiphrasis forte hinc, quod mutatae literae sono, ut ع pro غ, aliam verbo et oppositam Orientales significationem dederint, quod unum antiphrasis genus haud plane eliminandum, exemplisque linguae Arabicae firmari videtur.

4) Idem عبي exponitur et *componere, disponere, instruere, suo loco disponere exercitum.* Vereor ut satis lucide. Adscripserat pater meus Goliano lexico haec exempla, Act. XXI, 13. ubi potius de *oneratione* navis ponitur, Genes. XLI, 34. ubi est, *congerere, comportare* in horrea fructus septem annorum bonorum. Haec ergo in lexicis Arabum, non falso quidem, sed obscurius notata, aut obscuriore verbo latino a Golio reddita significatio, ne cui fraudi sit! Vide et Schultens ad Hamaza, p. 418. 419. editae ab ipso grammaticae Erpenianae.

Haec praemonenda duxi, antequam ad sequens accederem,

1800. עֳבִי Job. XV, 26.

De testudine clypeorum loqui haec verba, עבי גבי מגניו, manifestum: sed quid in hac orationis imaginisque compositione עבי? Ex prima significatione verbi erit, *crassities dorsorum clypeorum*, i. e. crassi clypei. Sic quidem, non LXX in quorum editionibus legitur sed ex quo illi, hic hiantes, suppleti ab Origine sunt, Theodotion, ἐν πάχει, eodemque redit, ex consueta certe interpretatione, in qua mihi aliquid adhuc dubii, Chaldaei, קושי *durities* clypeorum.

At praeplacere possit secunda, *nitoris,* notio: *sub fulgentibus clypeorum dorsis i. e. umbonibus.* Solet a poetis laudari, ut a Virgilio: *ignem vomit aureus umbo.*

Ipsum etiam quartum, *componere*, locum habere possit, *sub compositis clypeis.* Forte tale quid voluit Syrus: ܣܘܓܐܐ ܕܣܕܪ̈ܐ ܕܬܪ̈ܣܐ *multitudo ordinum clypeorum.*

Male, crassitie in pinguedinem versa, clypleisque parum apte, Vulgata: *pingui cervice armatus est.* Hoc quid est? quae in cervicis pinguedine armatura?

1801. עֳבִי 2 Paral. IV, 17. et מעבה 1 Reg. VII, 46.

Vocabulum obſcuriuſculum, licet ipſa ſeries orationis ſignificationem non prodere, ſed prope proclamare videatur: funduntur enim vaſa aenea templi in עבי vel, מעבה terrae, (האדמה.)

Craſſitiem plerique i. e. *craſſam terram* vertunt, praeiveruntque utrobique LXX, ἐν πάχει τῆς γῆς. Sed hoc quid eſt? Dictune neceſſarium, craſſam fuiſſe terram? — Syrus ܕܐܪܥܐ? ܒܫܘܦܪܐ *in pulcritudine terrae*, exque eo Arabs, ſed alia ſententia, *in optimo loco terrae.* Retulitne ad tertiam verbi notionem, *nituit?* quae ei terra aut pulcra, aut nitida?

Vulgata utrobique, *in argilloſa terra:* ſed argilloſum non tam videtur a Judaeo, quo magiſtro utebatur ex עבי, quam ex אדמה, *quod rubram* terram interpretari ſolent, exſculptum. Nempe Chaldaeus utrobique, עובי ברגרשתא vertit, adnotante ad chronica Beckio ex Michlal Jophi ברגרשתא eſſe, *terram rufam ac viridem*, *quam exotice*, i. e. *Hispanice*, *Arzilla vocent*, *ex qua conficiunt catinos*, *pro liquandis metallis.* Ergo non pro עבי ſed pro אדמה poſitum, ſolito Judaeorum errore, ſed hic ſatis felici: Germanice diceres, ut nobiliſſimum nomen ponam a loco natali ductum, *Almeroder Erde.* Talem quidem terram non repudio, fundendis metallis aptam, ſed cur עבי dicta, non expedio.

Legendumne mutatis vocalibus עֳבִי conferendumque Ar. غُبّ *terra depreſſior?* ſed ſic quid alteri מעבה faciemus? Ergo, non liquet, ignorare nos aliquid fatendum, quod forte Palaeſtinae explorator, cui datum ipſa loca adire, nos docere poſſet.

1802. עבט, Job. II, 7. *ſecuit.*

Oppignorandi ſignificatione verbum Hebraeis ſatis uſitatum, ignotum reliquis linguis Orientalibus, praeter Thalmudicam, ipſi adeo Chaldaicae.

Haec tamen locum habere haud poteſt Joel II, 7. ubi de locuſtis, recta pergentibus dicitur, לא יעבטון ארחותם. Recentiores fere, *non implicant*, vel *contorquent vias ſuas*, cum עבות *funis*, aut עִוֵּת *curvavit* conferentes: quibus literarum permutationibus, licet eas non omnino negem, nolim in invenienda ſignificatione obſcuri verbi uti, ubi alia ad verum via datur. Veterum plerique, *declinare, aberrare* vertunt, LXX. Vulg. (*non decli-*

declinabunt a semita sua) Syrus: paulo aliter Chaldaeus, לא יעכבון, *non morantur* i. e. impediunt *vias suas*. In re ipsa errari vix potest, de sola tamen adhuc verbi significatione quaeritur. Mihi videtur خبط *secuit*, conferendum, *non secant vias suas*, non abrumpunt, una alterius viam non dissecat, non impedit.

1803. עיבל vel עובל Genes. X, 28.

Populus Arabiae, Joctane ortus, de quo in Spicilegio Part. II. p. 177–179. egi, idque unum ut certum dixi, (sicque adhuc mihi videtur) nihil nos scire. Contra Bochartum, plus scientem, ibi disputatum, ac de lectionis etiam varietate actum.

1804. עבר.

Genes. XXIII, 16. ager emitur argento, עובר לסוחר, 2 Reg. XII, 5. non nisi כסף עובר thesanro templi fas inferri. Intelligunt plerumque bonam monetam, quam nemo recuset, Gallorum vocabulo, *monnoje courante*: praeiveruntque veterum plerique, Chaldaeus, Syrus, Vulgata, Arabs uterque. Verum illi non meminisse videntur, Abrahami tempore monetam publicam, nummum signatum non esse, nec siclos numerari, sed adpendi. Hoc argentum ut probum a mercatoribus signo aliquo notari, (ut apud nos aurum factum aurifabri signant) primi Phoenices instituerunt, qua de re copiosius actum in §. 82. juris Mosaici. Vide Aldi Manutii rhetores Graeciae p. 80. Jam عبر *transire fecit*, Arabibus est, *examinavit nummos vel merces*, *cujus ponderis et qualitatis essent*, in secunda, *sigillatim libravit nummos*: hinc mihi כסף עובר לסוחר, *argentum examinatum a mercatore*, quod si probum inveniretur, signo suo notabat. Forte idem senserunt LXX, quibus est, ἀργύριον δόκιμον ἐμπόροις.

De שורו עבר Job. XXI, 10. multae fuerunt eruditis dissensiones, primariis tamen in hoc consentientibus, referendum ad Chaldaicum עבר, *gravida facta est*, *concepit*. Hinc Bochartus, שור de vacca accipiens, *vacca ejus gravida fit*, (Hieroz. T. I. l. II. cap. 30. p. 790. 791.) nec nego et de vaccis שור usitatum, ac posse vel vaccae nomen cum verbo masculino construi: versum tamen integrum legens, שור et פרה opponi sentio, qua oppositione שור non potest nisi taurus esse. Alii active, *taurus ejus gravidam facit*, *impraegnat*, sic Buxtorfius: sed opponit Bochartus עבר nuspiam ita Chaldaeis poni. Mihi vero utraque explicatio, om-

nis-

nisque hic Chaldaismi usus, valde suspectus, verbum enim Chaldaicum hac significatione denominativum ab עֻבָּר *embryo*, *ἐμβρύων*, videtur, id vero est, multo recentius, quam ut in Jobi libro quaeri exspectarive possit. — — Mihi quidem sic videtur. Sensu Venereo עבר si ponitur, erit, *ὑπερβαίνειν*, *ἐπιβαίνειν*, *conscendere vaccam; taurus ejus conscendit vaccam*: hoc in versione germanica sequutus sum. Quod si sensu consueto, *transeundi*, *praetereundi* accipias, sic quoque bonus prodibit sensus: *taurus ejus transit nec fastidit vaccam*, in grege juxta vaccas transiens eas adpetit. (Sic consueta significatione accepit, sed יִגְעֶה pro יגעל legens languidam sententiam reddidit Syrus, ܬܘܪܗ܆ ܥܒܰܪ܆ ܘܠܐ ܓܥܳܐ *taurus ejus transit, non mugiens.)*

De Job. VI, 15. adhuc addubito: de rivis, quibus perfidi amici comparantur, dicitur, *fratres mei perfidi sunt ut torrens*, כאפיק נחלים יעברו *ut scaturigo rivorum transeunt.* Hoc plerique de praeterfluentibus rivis accipiunt, non animadvertentes, quam sit toti, quae ibi instituitur, imagini contrarium: perfidi enim rivi sunt, qui exsiccati itineratorem destituunt, non qui fluunt; fons largiter fluens, fidus. Ergo hic malis, *transire*, עבר, esse omnino, *evanescere*, *disparere*, ut et alias verbum accipitur, vel consvetis lexicis exempla habentibus. Hic tamen in mentem venit, quod nondum satis expensum dijudicandum aliis relinquo, עבר jam non esse عبر *transiit*, sed paulo immutato literae sono, quem signo exprimunt Arabes, habent Hebraei, licet signo careant, غبر *pulverulentus fuit*, in sec. *pulverulentum fecit*, conj. nona, إِغْبَرَّ *pulverulentus fuit dies*, *pulvereo colore fuit*, denominativum a غَبَرٌ, غُبَارٌ, غُبْرَةٌ &c. *pulvis.* Incertum, utrum pulvis hoc nomen a transeundo et abeundo habeat, quod nubium instar a vento attollitur atque absportatur, an leni literarum mutatione ab עפר: posterius si placuerit, suspicari etiam liceat, auctorem יעפרו scripsisse: frequens enim in literis ב et פ librariorum error. Egregia sane sententia, *rivi atque adeo fontes eorum pulverulenti fiunt*, quae perfectissima et aridissima exsiccatio.

1805. עֵבֶר *Hebraeorum progenitor*, *regio trans Euphratem.*

1) עֵבֶר Selachi filius, Abrahami atque Hebraeorum progenitor, Genes. X, 24. vix hoc nomen dum viveret habuisse, posterisque reliquisse,

ſe, ſed a poſteris, trans Euphratem habitantibus, pro more Orientalis hiſtoriae (*) accepiſſe videtur: ſic idem Arabibus Coranoque هود, a Judaeis quos progenuit, dicitur. Vide Herbeloti bibliothecam Orientalem p. 460. et Corani Suram 26. Nempe

2) עֵבֶר proprie regio trans Euphratem et ultra, ut עברי הנהר plenius, quod Jeſ. VII, 20. nomen eſt Aſſyriorum. Sic et puto accipi Geneſ. X. 21. ubi Eberus dicitur, אבי כל בני עבר *progenitor omnium Transeuphratenſium*: abſurdum enim dictu, *Semus* (pater Eberi) *fuit pater omnium filiorum Eber*. Monui jam in Spicilegio T. II. p. 66. ibique et addidi,

3) Joſephum non Aramaeos modo Transeuphratenſes, ſed omnes ultra Euphratem ad ultimam usque Indiam hoc nomine complecti, Semoque dare poſteros. Sic ille Antiq. I, 6, 4. Σήμα δὲ, τῷ τρίτῳ Νώέου υἱῷ πέντε γίνονται παῖδες, οἱ τὴν μέχρι τοῦ κατ' Ἰνδίαν Ὠκεανοῦ κατοικοῦσιν Ἀσίαν, ἀπ' Εὐφράτου τὴν ἀρχὴν πεποιημένοι, i. e. *Semo, tertio Noachi filio, quinque fuerunt poſteri, qui omnem usque ad Indicum Oceanum Aſiam, inde ab Euphrate habitarunt.* Veriſimilia dixit: quae ſi et vera ſunt uſuique linguae conſentanea, mire inde lucebit vaticinium Bileami, Num. XXIV, 24. ubi עבר non ab Aſſyria ſolum diſtinguitur, ſed poſt illam, ut ulterior ponitur: *venient a latere Macedones*, וענו אשור וענו עבר *humiliabuntque Aſſyriam et humiliabunt Eber*, i. e. ultimam trans Euphratem Aſiam ad Indos usque. Hiſtoria ſane duce, quae in Aſſyria maximum vincere praelium, et ad Indos usque pergere, tradit Macedonem Alexandrum, vaticinium, ſi verum eſt ac divinum, ſic interpretaberis: ſed et hac divinitate vaticinii ab his non conceſſa theologis, qui eam ſive ſoli Bileamo impoſtori, ſive univerſis negant ſacris literis, id manifeſtum, vati, divino? an fanatico? עבר ultra Aſſyriam eſſe.

1806. עברי *Hebraeus, Transeuphratenſis* Geneſ. XIV, 13. 1 Sam. XIII, 3. 7.

A praecedente עבר, non Hebero, ſed regione trans Euphratem, עברי dicitur, *Transeuphratenſis*, Geneſ. XIV, 13. ubi et LXX, egregie, ut mihi videtur, reddunt, ἀπήγγειλαν Ἀβραμ τῷ Περάτῃ. Ipſa adeo lingua *Hebraica*, veteribus, atque adeo N. T. ſcriptoribus plerumque non ea eſt, quam nos hoc nomine vocamus, quaque codex priſci foederis ſcriptus, ſed Chaldaica noſtra, id vero eſt, Transeuphratenſium.

Qua

(*) Exempla vide in Spicilegio geogr. T. II. p. 76. 77.

Qua latitudine nomen עברי accipiendum, aut quibus coercendum finibus sit, ubi de *servo Hebraeo sermo*, de eo vide dubitata aut disputata §. 127. juris Mosaici.

עברים vix esse Hebraei, ut puncta jubent, videntur, 1 Sam. XIII, 7. Ut taceam, Israelitas in Palaestina habitantes non solere Hebraeos dici, sed Israelitas, (ישראל vel בני ישראל) quis haec v. 7. sine vocalibus legens, עברים עברו את הירדן, non malit sic efferre, עֹבְרִים עברו את הירדן, *transeuntes transierant*, i. e. *aliqui transierant Jordanem*, (impersonali constructione) maxime cum statim sequatur, Saulum partemque populi adhuc Gilgalae mansisse? *Hebraeos*, quis *Saulo partique populi* opposuerit? — — Nec sane placet v. 3. ejusdem capitis, ישמעו העברים *audiant* (victoriam a Philistaeis reportatam) *Hebraei*, licet in versione germanica nihil ibi mutare ausus sim, mallemque, *audiant* העֹבְרִים *qui trajecerunt* Jordanem scilicet, de quibus paulo post distinctius exponit historicus, vel etiam העברים *omnia terrae latera et anguli.* LXX adeo aliam lectionem habent, *οἱ δοῦλοι*, *Israelitae Philistaeorum hucusque servi*, sed qua, a codicibus non confirmata, opus haud esse arbitror.

1807. עֲבוּר *frumentum.* Jos. V, 11. 12.

Frumentum simpliciter notat, peculiariter *triticum*, ut ex vocabulo Syriaco ܥܒܘܪܐ constat, de quo vide lexicon Syriacum p. 632. 633. Mera erat conjectura etymologica, quam plerique sequuti sunt, *annona praeteriti anni*, linguae Syriacae usu damnata, atque adeo rei gestae, ut narratur, magnopere inepta. Medio mense Nisan, quo maturae in agris segetes, messisque in calidiore tractu, qualis Hierichuntinus, incipiebat, Palaestinam intrabant Israelitae: hic quis dubitet, quin hujus anni recens frumentum, in ipsis se agris offerens, jure hostis comederint? Annona praeteriti anni in munitis urbibus erat, hac vesci non poterant, antequam eas cepissent. Alia est non felicior conjectura etymologica Cocceji, *frumentum esse a mercatoribus undiquaque Israelitis adlatum.* Id vero hostis internecinus emet argento? non agros demetet hostiles? — — Vides, etymologiae nimium amorem et fiduciam fraudi fuisse eruditis, atque ad ea deduxisse, quae nec usui reliquarum linguarum, nec rei gestae sunt consentanea. Equidem etymon ignorare malim, quam hac mercede scire. Conjectura se, nec quaerenti, offert, esse frequenti literarum B et M permutatione ortum ex ܥܡܪ *coluit*, *agrum coluit.*

1808. עֶבְרָה *ira, odium.*

Iram plerumque vertunt, de derivatione varia conjicientes: vide Cocceji lexicon. Mihi quidem *irae*, *iracundiae* notio vix omnibus locis satis videtur apta, ut, Jes. XVI, 6. cui enim irascuntur Moabitae? Judaeisne, ad quos rebus desperatis confugiunt? Malles ibi ex filo orationis *superbiam*, forte ab *exaestuando* dictam, modo usu linguarum orientalium commendaretur, aut certe, quod ab iracundiae aestu diversum, *odium inveteratum.* Hoc quidem غِبْر Arabes dicunt, a غَبَر *reliquus, residuus fuit.* Solent maxime de vitiosis reliquiis ponere, ut in Abulcabiri carmine p. 61. chrestomathiae, *immunis* مِن كُلِّ غُبَّرِ حَيْضَةٍ *ab omni residuo menstrui:* sic et *residuum morbi* dicunt, et *vulneris.* Hinc غِبْر *residuum inimicitiae*, dum semper in animo aliquid priscae residet offensae. Haec quidem notio, nec conjectura etymologica inventa, sed ex usu linguae Arabicae sumta, plerisque locis egregie apta, ut Amos I, 11. de Idumaeorum aeternis odiis, עברתו (*) שְׁמָרָה נצח *odium ejus servat in aeternum*, priscarum nempe offensarum et simultatum memoriam. Sic et pluraliter positum, quamquam aliis vocalibus masorethrum, עַבְרוֹת צוֹרְרַי Ps. VII, 7. intellexerim, *implacabilia et aeterna odia hostium.*

Possit et nomen aliquando idem significare, quod עֵבֶר *latus*, *ripa*, sicque mutatis punctis Jes. XVI, 2. מֵעֶבְרוֹת לארנן reddiderim, *Arnoni ab utroque latere.* In punctis, *ad trajectum Arnonis* displicet superfluum ל praefixum. 2 Sam. XV, 28. XVII, 16. quod in Chethib est עברות המדבר, significare videtur *citeriora deserti, ea quae cis Jordanem sunt.*

1809. עֲבָרָה 2 Sam. XIX, 19.

Interpretantur fere *navigium trajectus:* vix placet, transiisse enim Jordanem dicitur *ad faciendum beneplacitum regis.* Mihi עֲבָרָה ibi, *trajicientium agmen, illa pars populi, quae Jordanem trajecit.* Vide vers. germ. Caeterum in Jordane navigari potuisse, certum: vide Strabonem libr. XVI, p. 1095. al. 755.

(*) Sic quidem efferre malim quam שָׁמָרָה. Puncta si sequaris sententia erit: *Edom servat in aeternum inveteratum odium.*

1810. מַעֲבַר Jes. XXX, 32.

Obscuriuscula verba, והיה כל מעבר מטה, et varie accepta: mihi quidem, si ad עבר *transire* nomen referendum est, verisimillimum videtur, *erit totus* Assyrius *transitus baculi*, i. e. totum ejus corpus baculus transibit, nulla parte a dolore immuni relicta. Hoc in versione germanica sequutus sum. Quid tamen si ad غبر *residuum fuit*, referas, unde et residuum vulneris dicunt, verbumque Kesratum غبر *sanie intumuit, infectumque et fissum fuit vulnus?* غبر *profunda ulcera* (vide Gigg. et Castellum). Sic vertes: *et erit totus residuum baculi*, i. e. vulnera, ulcera, cicatrices baculi.

1811. מַעְבָּרָה *claustra* Jes. X, 29.

Nomen, quod generatim transitum, trajectum denotat, hic *claustra* regionis, inter rupes proxime a Michmasch, transitus per angustas valles significare videtur, 1 Sam. XIV, 4. Vidit Vitringa, quem consule. LXX non male φάραγγα vertunt. — — Male Vulgata, *transierunt cursim*: pejus Chaldaeus de trajectu Jordanis cogitat, quem dudum trajecerant, qui Michmasae impedimenta deponunt; ex hoc tamen fluxit, quod lexicographorum aliqui habent, *trajecerunt vada*: vada circa Michmasam nulla!

1812. עבש Joel I, 17.

Varie vertitur a veteribus, ita pluribus interpretibus favente linguarum Orientalium usu, ut difficilis sit optio, totaque pendeat a sequente מגרפות, de quo vide nostra supplementa, num. 412. Omitto LXX, ἐσκίρτησαν, *recalcitrarunt*, vertentes, aliter enim sine dubio legerunt, בעטו פרות, ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν. At

1) Chaldaeus, *exaruerunt*, (dolia vini) idque omnino verbum significare possit, collato عبس *siccatus fuit*. Demtis autem vini doliis, locum omnino non habent, *grana* enim frumenti (פרדות) in horreo *siccari*, *arescere*, nemo conqueretur.

2) Vulgata, *computruerunt (jumenta in stercore suo.)* Et hujus possit aliqua ex Arabismo ratio reddi, a *siccando* enim عبس dicitur, *urina et stercus, quae siccata adhaerent supremae caudae cameli*. Sed forte aliud spectavit Hieronymi magister, עבש ex Thalmudico עפש *mucuit* explicans. Sic Kimchius in lexico: עבשו idem est atque עפשו, cor-

corrupta fuerunt (התעפשו) *grana, sicque Rabbini nostri dicunt,* הפת שעפשה *frustrum quod corruptum vel mucidum factum est.* Hoc si spectavit reprehendendus: linguae Thalmudicae in explicanda Hebraica vetere incerta auctoritas, nec temere ad literarum permutationes deveniendum. Legisse eum vides, הפרות, ut LXX. habent et Syrus, quod in codicum quidem hucusque consultorum nullo inventum.

3) Syrus, [illegible] *famelicae sunt,* (vaccae.) Et hoc, modo פרות pro פרדות legas, defendi possit, compararique Arabicum غَبَشٌ *nigredo, caligo*, unde غَابِش cujus oculi ob famem caligant. Vide Castelli lex. Arabicum, Golius enim minus hic copiosus, sed modo sub عَبَسٌ et غَبَسٌ *obscuritatem* habet. Et hoc concidit, demta lectione פרות.

Mihi quidem, si פרדות *grana* sunt *frumenti*, et מגרפות palae ligneae, aliam, ac

4) quartam offert Arabia significationem loco aptissimam. عبس proprie est *contrahi,* unde et siccatio dicta, et vultus contractio severior, austeritas. *Grana contrahuntur,* i. e. quotidie minuuntur, atque iterum palis jactata pauciora sunt.

Venerat quidem in mentem, עששו *a vermibus roduntur*, legi posse, sed conjecturam nullus codex firmavit, nulla versio, unde, nec necessariam, abdico.

1813. עגב *obstupuit*, maxime, *amore*, *amavit*.

Amandi significatio quam verbo lexica, commentarii interpretesque tribuunt, vera quidem, sed nec prima, nec unica ut volunt qua in sacro codice occurrit, nec ex ea constructio verbi cum על expediri potest, quis enim dixerit, *amare super aliquem*, pro, amare aliquem.

עגב proprie idem est quod Arabicum عجب *mirari, obstupescere,* Hebraeis autem maxime de *admiratione amantis* ponitur, qui forma ac pulcritudine amatae captus ei adstupet. Hinc constructio cum על, Ezech. XXIII, 5. ותעגב אל מאהביה *obstupuit super amasiis suis, Assyriis, indutis hyacinthino*, i. e. cum furore eos adamavit, formae adstupens: sic et v. 9. ac maxime 16. ubi in pariete meretrix videns imagines Chaldaeorum, ותעגב עליהם למראה עיניה *stupuit in illis adspectu oculorum*, misitque nuntios, concubitum expetentes. Vers. 11. cum אל construitur.

At

At plane non amoris significationem, sed solam stuporis exstatici, furoris Venerei habet, Ezech. XXIII, 20. ubi de iisdem Chaldaeis dicitur, ותעגבה על פלגשיהם, certe non, *amavit pellices Chaldaeorum*, aemulas suas ac rivales, sed, *admirata est horum pellices, quorum pudenda erant, pudenda asini, et fluxus seminis ut caballorum*, furente phantasia conjiciens, quid illae persentiscerent.

1814. עֻגָב *psalterium*.

Quomodo a cithara differat, jam sub כנור dictum: *psalterium est quod digitis psallitur*, alio nomine et *μαγάς*. Nomen videtur ab amore accepisse, cui forte primitus dicatum. Apud Graecos proprium est *Eratus*, amoris musae: in *picturis Herculanensibus* T. II fig. 6. psalterium vides novem chordarum, quod Erato manu pulsat, cum subscriptione, ΕΡΑΤΩ ΨΑΛΤΡΙΑ. Videntur Graeci, ut alia multa instrumenta musica, ex Asia accepisse, inque eo, quod amori dicant, orientales sequuti.

עגב et עָגָה quaere infra sub ערג.

עגה quaere infra sub עגן.

1815. עָגִיל Num. XXXI, 50. Ezech. XVI, 12. *inauris, bulla aurea ex auribus dependens*.

His duobus locis in codice Hebraico occurrit, ex quorum priore discitur, aureum fuisse ornatum, posteriore, ab auribus pependisse: ואתן עגילים על אזניך. Legitur praeterea in textu Samaritano Exod. XXXV, 22. hac orationis serie, טבעת: עגיל ורכמז sicque et ex Hebraicis ibi habet, Kennicotti 69, de Rossii 543, 592, atque, ut ipsi videtur, habuerunt olim a prima manu, 199. et 611. quibus vocabulum totidem literarum abrasum. Vide ipsum de Rossium, plura daturum, quae nolim exscribere omnia.

Illis omnino adsentior qui *inaurem* intelligunt, ita tamen a נזם distinguendum, ut *bulla sit aurea ex auribus dependens*. Inaures vertunt ex veteribus, Onkelos Num. 31. קדשין LXX in Ezechiele *ἐνώτια*, forte et ibi Syrus, sed ita transponens aut oscitanter aut libere, ut certi fieri nequeamus, quid pro נזם, quid pro עגילים posuerit, ([illegible]) Samaritanus Exod. 35. דעוש, (ex Arabico, عَلاقَة, *inauris*, explicandum) forte et Arabs Ezechielis, qui, membra transpo-

 nens,

nens, habet, واقريطة في اذنيك, est enim قُرْط *inauris*, a lobo auris, ex quo pendet, dicta.

Rotundam alii formam, quae in derivatione nominis inest, expresserunt. Arabs Pol. in Numeris, تُرَيْكَة *ornamentum ovale*, a تَرْكَة vel تريكة *ovum* (a matre relictum:) Samaritanus in Numeris, גימון, explicandum ex جُمَان *margarita*, *vel res rotunda margaritae similis, ex argento, cingulum contextum bullis sphaerulisque:* inque Ezechiele LXX τροχίσκους, Vulg. *circulos*.

Addo et aliter vertentes. LXX Num. 31. quin et Exod. 35. Samaritanam lectionem sequuti, ἐμπλόκια habent (vide sub כומז scripta) quo nomine alias עגיל reddere solent: de aureis ornamentis cum sermo sit, series aurearum margaritarum, ut ita dicam, i. e. bullularum, ex auribus pendentes forte intellexerint. *Torquem* verterunt, in Numeris Syrus, ܗܡܢܝܟܐ, in Exodo Numerisque Arabs Erpenii, كرسة, est nempe كِرْس Golio, *series margaritarum, aliarumque sphaerularum in torque, ita dictae quod plures inter se jungi soleant*, et, اكرس *torque ornatum fuit jumentum*.

1816. עֶגְלַת Jes. XV, 5. XLVIII, 34. nomen proprium.

Vitulam adpellative non pauci, et vero *triennem* (עגלת שלישיה) interpretantur, de quo vide Bochartum Hieroz. P. I. libr. II. c. 41. ego quidem mallem, vitula si est, *furentem* oestro intelligere, sed de hoc vide sub שלישיה dicenda. Plerisque nomen proprium visum est urbis Moabiticae, idque verisimilius: *vitula triennis* in statu absoluto עֶגְלָה שְׁלִשִׁיָּה dicenda fuisset; Jeremiamque legens vix nisi de quatuor urbium nominibus propriis cogitaverit. Verisimilius dixi, non certum, in Jesaia enim duo Kennicotti codices עגלה in st. abs. habent, unus in Jeremia: possimque adeo status constructi rationem reddere, si ea placeat explicatio nominis שלישיה, quam suo loco proponam. Sed ad verisimiliora explicanda, consvetaeque lectioni apta accedamus.

Nullum nobis urbis nomen his ipsis literis scriptum geographia offert, sed meminerimus, parum nos geographiae Moabiticae cognitum habere: potuit ergo Eglatha fuisse urbs Moabitidis, licet eam ignoremus. Si-

Sitam suspicarer fuisse ad septentrionem Moabitidis: vide bibl. Or. priorem, Adpend. T. XIV. p. 5. Tria, sono cognata, urbium nomina habemus, quas inter dubitari possit:

1) *Agalla*, una duodecim urbium, quas Alexander Judaeorum rex Arabibus eripuerat. Hac illam serie nominat Josephus Ant. XIV, 1, 4. Θαραβασά, Ἄγαλλα, Ἀθώνη, Ζώαρα. Huic obstat Zoarae vicinia, cui, ut in alio Moabitidis extremo fine sita opponi Eglatha videtur. Caeterum eandem *Agallam*, ut ad Josephum monuit Havercampius, *Galatam* Epiphanius vocat: potueritque sane עגלת utroque modo Graece ac Latine scribi. Hac de Agalla cogitavit S. R. Doederlinus ad locum Jesaiae.

2) עגלון urbs Judaeae campestris, Josuae XV, 39. Hujus situs parum aptus.

3) *Aglun*, عجلون Abulfedae p. 92. Syriae. Castellum est, cum suburbio, Baautha nomine, valde munitum, Abulfedaeque tempore celebre, ab Oriente Beth-Baisanae (Bethschean), unde et conspici potest, in monte Gaur, i. e. illo in monte qui planitiei Jordanensi ab Oriente est. Hujus situs locis Jesaiae et Jeremiae egregie aptus, a septentrione terrae Moabiticae. Hanc ergo, nisi ignorantiam fateri praestat, praetulerim. Nec obstat, quod ex versione Koehleri in Abulfeda legitur: *est vero arx recens condita ab Azzodino*, eodem enim jure, atque ex frequentissimo Arabum usu, محدث verti possit, *restaurata ab Azzodino.*

1817. מַעְגָּל *semita: num, carrago*, 1 Sam. XVII, 20. XXVI, 6. 8. an potius *orbis militum?*

Semitae notio frequens et certa. Volunt ita dici, *quod in ea* rotae *plaustrorum volvantur*, *orbitam*: ac de rotis curruum jam cogitasse videtur Proverbiorum interpres Graecus, τροχιὰς vertere solitus, bis (c. II, 9. 18.) ἄξονας. Non nego, sed tamen dubito: quibusdam locis, ut Prov. II, 15. 18. V, 6. vix orbitae rotarum aptae, aptiores *calles*, quomodo et vertit Vulgata Jes. XXVI, 7. Callis, via compendiaria, ab عجل *festinavit*, عجلا *cito*, nomen habere potuerit: celeritatis notio a rotundo et volubili fluxit. Sed forte utrumque, *orbitam*, et viam *compendiariam* ex utroque etymo, significarit, ut saepe in linguis vernaculis usu venit.

Alia

Alia ratio est trium locorum, 1 Sam. XVII, 20. 2 Sam. XXVI, 6. 8. ubi *carraginem* vertere solent, ex quibus tamen primus, 1 Sam. XVII, 20. carragini satis aptus, spurius mihi videtur, atque interpolamentum serioris Hebraismi, quo in interpolamento plura vocabula a veteris linguae usu abhorrent. Vide notas germanicas ad 1 Sam. XVII. bibliothecamque Orientalem priorem, Adpend. Tomi XII. p. 196. 197. et T. XX. p. 30–32.

Pro carragine, vel circumvallatione castrorum, ex veteribus faciunt, Chaldaeus; 1 Sam. 17. כרקובא et c. 26. כרקומא habens, (idem vocabulum literis modo B et M permutatis.) — — Aquila ex prima editione, atque ex una Symmachus, *στρογγύλωσιν*, sic et c. XVII, 20. Septuaginta, seu potius ex quo tota lacinia sumta (*), Theodotion. Spurio quidem loco carrago, ut jam dixi, satis apta, sed prorsus inepta alteri, 1 Sam. XXVI, 6. 8.

1) Expeditum per aspera deserta agmen 3000 militum rapiens Saulus, ad persequendum inaccessas per rupes Davidem, tot secum carros duxerit, ut inde carrago confici posset? maxime cum

2) ipse poculum suum secum gerat, ipse portans, capiti dormientis adpositum?

3) Carraginem intrare Davides aususne esset, in qua, si quis aut vigilaret aut evigilaret, statim exitus claudi poterat?

4) Tota historia clamat summam castrorum et excubiarum negligentiam, quam et Abnero, Davides exprobrat. In tanta socordia tamne fuerint cauti, ut fugientem persequentes carragine castra munirent?

Ergo carraginem abdicemus!

Aquila ex alia versione habet, *κάμπη*, *flexus*. Hoc quid est? Nimis literalis atque etymologica versio, sententia obscurata! LXX 1 Sam. 26. λαμπήνη, quo nomine *currus regius* intelligitur: sic Saulus in curru dormieritt. Veridissimile! Per invia deserta Davidem sequens, ubi omnia in celeritate erant fugientis ac persequentis, currune vectus sit, qui alias pedes incedere solebat? Nec currus illo tempore in Palaestina usitati in itineribus. 1 Sam. XXVI. Symmachus, *ἐν σκηνῇ*, indeque Vulgata, *in tentorio*: ex mera conjectura, nulla ne derivatione quidem, et rei gestae perquam inepte, in tentorio enim si cubuisset, conspicere eum eminus David non potuisset. Syrus, ܒܡܫܒܝܠܐ, in *via*, et hoc male, in colle enim castra posuerat.

Res

(*) Bibl. Or. T. XX. p. 31.

Res ipſa ſvadet, *in orbe* militum ſcilicet reliquorum, vertendum eſſe, ab עגל *rotundus:* neminem tamen laudare poſſum praeeuntem, in neminem, ſi errare videar, partem culpae conferre.

1818. עגם Job. XXX, 25. *triſtis fuit.*

Ἀπαξ λεγόμενον, magis etiam, quam creditur, dubiae ſignificationis. Ex filo orationis ſententiae ſummam ſatis certo colligi poſſe autumem, ex qua ſit, *dolere*, *condolere*. Id quidem certum, ſi ex praecedente membro לא ſubintelligas. Sic quidem, ſed diverſis verbis uſi, veteres omnes: LXX *niſi*, ἐστέναξα (*ingemui*) Vulg. *compatiebatur*, Syr. ܢܦܫܝ ܐܬܕܠܚܬ *anima mea perturbata eſt*, Chaldaeus ipſum verbum ſervans, quod *triſtari* ſignificare creditur, עגמת נפשי *contriſtata eſt anima mea*. Verum haec unde ſignificatio? quid proprie verbum dicit?

Chaldaeis עגם, rarius verbum, triſtis fuit, idemque et Jeſ. XIX, 10. אגם ſignificare videtur, eodem ibi modo ut עגם conſtructum. Syris ܥܓܡ *metuit, ex metu faſtidivit cibum.* Schultenſius ad Jobum confert Arabicum عجم *momordit*, frequentiſſimi ſane uſus, paſſive accipiens: *niſi admorſa eſt anima mea ob pauperem*, i. e. condoluit.

Alia prodibit ſententia, ſi ante עגמה נפשי לאביון, ex praecedente membro ſolum אם ſubintellexeris: *ſi mutus ſurdusque fui pauperi:* eſt enim عجم et, *ſilere*, اعجم *mutus*. Sed prius praeplacet.

Liceat hac occaſione et de varia lectione עגמה dicere, quam unus de Roſſi codex a prima manu habet. Erratum librarii exiſtimo, ſed caſu felix. غنم eſt, jam *ſpoliare, diripere*, Geneſ. XXXIV, 17. jam πλεονεκτεῖν 2 Cor. XII, 17. Bona ſententia: *ſi ſpoliavi bonisque exſui*, — — aut, *ſi decepi*, *circumveni fraudibus*, *ſic ei ſua eripiens*, *pauperem.*

1819. עגן vel עגה Ruth. I, 13.

הֲלָהֵן תֵּעָגֵנָה Ruth. I, 13. ad radicem עגן referunt, quae Chaldaeis eſt, *detinere*, *hisne detinebimini*, *atque retinebimini ab aliis matrimoniis:* praeeuntibus LXX. Syr. Arabe, Chaldaeo. Sic quidem mutanda puncta erunt, תֵּעָגֵּנָה cum Dageſch in Nun. Egregie filo orationis aptum: eſt tamen aliquid ſuſpecti, quod ſola lingua Chaldaica Rabbinorum, hac ſignificatione עגן habet, Syris Arabibusque omnia alia ſignificans. His quidem عجن eſt, *commiſtam aqua farinam ſubegit*, *maſſam fecit*, indeque

que عجين *tenuis massa*, quo collato non inepta prodibit ſententia: *hisne* infantibus adhuc *pultem facietis*, atque ſic futuros maritos educabitis nutrietisque?

At undecim aut duodecim codices Kennicottiani habent תְּעַגִּבָה a radice עגה, Arabice عجا pro عجو *lactavit:* ſic ergo lectum erit, *hisne lactabitis* ſuſcipiendos aliquando ex illis liberos.

1820. עָגוּר Jeſ. XXXVIII, 14. Jerem. VIII, 7.

Forte utriusque loci ſejungenda ratio, in Jeremia enim ſine dubio eſt ſubſtantivum, nomen avis, in Jeſaia adjectivum videtur cum praecedente סיס conſtruendum. A ſubſtantivo initium faciamus, hoc uno de derivatione praemiſſo, عجر utrumque eſſe, et *rediit*, et *aufugit*, unde avibus migratoriis recte duci nomen potuerit, nec opus aliam, ut fecerunt nonnulli, derivationem quaerere.

Bochartus, P. II. Hierozoici l. I. c. XI. *gruem* interpretatur, de cujus et migrationibus agit. Nititur explicatio auctoritate Chaldaei et Syri, in Jeremia gruis nomen, כורכיא, ܟܘܪܟܝܐ, habentium, ſed ita, ut ſumatur, eos nomina avium transpoſuiſſe, quod niſi des, סוס gruem interpretati ſunt, עגור *hirundinem*. Haec quam lubrica et incerta. Alii enim, his ipſis praeeuntibus interpretibus *hirundinem* vertunt, et quidem veriſimilius, cum nulla opus transpoſitione habeant.

Aquila et Symmachus, nomen Graecis literis ſcribentes, Ἀγὼϱ, fateri videntur, neſcire ſe, quae avis ſit. LXX στϱουθία, aut ſi praeplacet cum praecedente conſtruere, ἀγϱοῦ στϱουθία, verterunt, interprete Hieronymo, *agri paſſeres*. Nempe, ut monuit Forskålius pag. 6. deſcriptionis animalium, avium &c. num. 14. migratorias aves Conſtantinopolitanas colligens, *paſſerum multae variaeque ſpecies autumno transvolant, quibusdam hiemantibus:* quod niſi eſſet, poſſis στϱουθίον hirundinem accipere, ut Tob. II, 11. poni nomen videtur, ita ut hirundo domeſtica (χελιδὼν) ab hirundine agri diſtinguatur. *Ciconiam* interpretatus in Vulgata eſt Hieronymus, ſatis veriſimiliter, cum vix potuerit in avibus migratoriis omitti haec notiſſima, quod enim praeceſſerat חסידה non eſſe ciconiae nomen, ſupra vidimus. At idem, (videas nihil eum certi habere) *hirundinem* vertit Jeſ. 38. כסיס עגור reddens, *ſicut pullus hirundinis*.

Velt-

Velthusenius, Graecorum *στρουθίον* probans, *passerem* Linnei *querulum*, *philomelam* intelligit.

Vides, de nomine avis nihil nos certi habere; *ciconiam* inter et *hirundinem* ambigo, quam plures hic veterum praeiverunt, nec obstat, quod ea סיס vocatur, sunt enim plura hirundinum genera.

In Jesaia adjectivum nomini סיס additum videtur, כסיס עגור vertendum, *ut hirundo aufugiens*; finita nempe aestate,

ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.

Eximia mortis imago, transitus ad aliam vitam, alium in mundum. Pro adjectivo et habuit, sed aliter vertit, Symmachus, *sicut hirundo inclusa*, sicque et Chaldaeus, כסוסיא דאחיד. Possit forte et hoc עָגֻר significare, عجر enim inter alia et, *constringere, obvolvere*, sed prius, ad seriem orationis aptissimum, praeplacebit. — — Adjectivum si non sit, versio Vulgata praeferenda, *pullus hirundinis*, ita ut utrumque סיס et עגור hirundinis nomen sit, sed prius, proprie pulli.

1821. עָרַד *numeravit*. Job. XXVI, 10.

Verbum عدّ *numerandi, computandi* significatione notissimum. Hinc explico Job. XXVI, 10. עד תכלית אור עם חשך *numeravit mensuram lucis et tenebrarum*, justa mensura et proportione lucem tenebrasque dispertitus est. Particulae עד hic vix locus esse videtur, superfluae, nec satis haec cohaerent, *terminum statuit undis USQUE AD . . . . lucis et tenebrarum*, seu, ut Vulgatam versionem ponam, *terminum circumdedit aquis USQUE DUM finiatur lux et tenebrae*. Aquae terminus, quid ad lucem et tenebras? De תכלית vide scripta n. 1167. sub כלה.

1822. עַד *numerus, multitudo, seculum.*

A numerando Arabes nomina faciunt, عدّ, عديد, عدّة *numerus, multitudo, multi*. Sicne et עד Hebraicum ponitur Jes. XXXIII, 23. עד שלל מרבה *multitudo spolii ingens?* Nihil definio, possit enim et ad עדה relatum spolium significare, ut Vulgata vertit, *spolia praedarum multarum*.

A numerando et tempus Arabes dicunt, عدّ *numerus, peculiariter aetatis*, عدّان *tempus*, Chald. עִדָּן, Syr. ܥܕܢ, vel, ut scribere mal-

lem

lem غَبَرَ. Huc referendum putem עַד ubi *aeternitas* verti solet: proprie est, *numerus, multitudo annorum, seculum.* Quin et עֲדֵי עַד Jes. XXVI. 4. &c. (*usque in aeternum*, vertunt) mallem aliis vocalibus animatum efferre עֲדֵי עַד *secula seculi.* Chaldaeus certe, loco quem exempli caussa nominavi, לעלם ולעלם עלמיא *in seculum, et in seculum seculorum* vertit, Syrus ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ, Vulg. *secula aeterna.* Dubitavit et, diu post puncta vivens Kimchius: *usque in seculum. Sed et possit* עדי *idem esse quod* עולם, *ut sit, bis posito seculi nomine, per omnia secula, sicque interpretatus est Jonathan.*

1823. עִדִּים *menstrua.* Jes. LXIV, 5.

A temporis notione etiam haec, *menstruorum* fluxit, plane ut nos Germani ea *Zeit* vocamus, (*sie hat ihre Zeit:*) hinc בגד עדים, *pannus menstruis pollutus*, seu, ut Vulgata vertit, *pannus menstruatae.* Sic et LXX ῥάκος ἀποκαθημένης, est enim ἀποκαθημένη Hesychio teste, *profluvio sanguinis laborans*, (vide Bielii lex.) et Syrus. Habent Arabes hoc usu, عِدَّةٌ, quod lexicographi explicant: *status mulieris, quo cum ea rem habere ex lege nefas* sc. ob mariti defuncti luctum, vel ob repudium, *vel ob menstrua.* Proprie et hoc, *tempus uxoris.*

Ergo non opus conjecturali illo, quod aliqui lexicographi habent: *sordes.*

Symmachus verterat, κυουσῶν, *parientium*, nempe profluvium lochiorum intelligens. Aquila, עֵדִים efferens, μαρτυρίων, nempe de panno cogitans virginali sanguine sponsae consperso, quem sigillo testes notaverant, Deuteron. XXII, 15. Perquam male, hic enim pannus innocentiae signum in judicium allatum, non dedecori est, ut בגד עדים Jesaiae.

1824. עָדָה, cum nominibus derivatis.

Duplex verbum, quod Arabes adpellatione literae primae signoque diacritico distinguunt, Hebraeis in unum coiit; hinc diversissimi significatus.

I) عَدَا pro عَدَوَ est, *praeteriit*, *transiit*, (quae notissima verbi significatio apud Hebraeos) porro, *invasit hostiliter*, *incurrit*, *irruit in merces vel praedam:* hinc et Syris in Aphel, ܐܥܕܝ, *eripuit* (proprie, transire

transfire fecit) e. g. *praedam leo*, Jes. V, 29. *agnum ex ore leonis*, 1 Sam. XVII, 35.

Forte verbum *invadendi* notione occurrit Mich. VI, 9. mutatis enim vocalibus legi possit, *audite baculum*, ומי יַעֲדֶה *et quem invadet*. Vide biblioth. Or. prior. T. XX. p. 183.

Huc referendum עַד, vel עֲדִי *spolium*, cujus notissimae significationis exempla non addo.

Ab invadendo Arabes faciunt, عدي et عدوّ *hostis*, عدوّ *pedites qui currunt, seu procurrunt ad pugnam*, عدّاء *cursor fortis*, *athleta* (chrestom. p. 91. lin. 1.) ac plura inimicitiae odiique nomina. Hinc forte lucem accipiet Mich. VII, 12. עָדֶיךָ יָבוֹא לְמִנִּי אַשּׁוּר וְעָרֵי מָצוֹר *hostis tuus veniet inde ab Assyria, et hostes Aegyptii*: nempe ut Jod in עדיך non sit pluralis numeri, sed tertiae rad. He; et עָרֵי ab עָר hostis. Rariore autem *hostis* nomine, עדי, et עד usus videbitur Michaeus, paronomasiae studio, cui valde deditus est, ad sequens etiam עַד נָהָר alludens. Sic jam duplex est sententia, nec plane identica: *hostes venient* 1) *ex Assyria et ex Aegypto*, hoc primum, 2) ab Aegypto *et usque ad fluvium*, tempore Nechonis et Nabochodonosaris. Non ut sententiam dico, nec dum enim satis expendi: sed lectorum judicio, ex quibus discere velim, propono.

II) غدا pro غدو, cum derivatis suis, *tempus matutinum* designat, verbum quidem, *aliquid mane facere*: nomina inde, غدوّ, et غداة *tempus matutinum*, غاديّة *matutinam pluviam*. Vide verbum in Corano Sur. III, 117. LXVIII, 22. 25. nomen, vesperae oppositum, Sur. XXIV, 36. بالغدوّ والاصال, XXXIV, 11. الريح غدوها ورواحها *subjecimus Salomoni ventos matutinos et vespertinos*.

Hac ipsa quidem significatione proprie nec verbum nec nomen in sacro codice occurrit: at a matutino tempore et *juventus* dicitur, ut in Coheleth, שַׁחֲרוּת. Sic quidem עדי poni videtur, Ps. XXXII, 9. *quorum juventus fraeno et capistro coercenda est*, (ubi et Syrus praeivit, ܡܢ ܛܠܝܘܬܗܘܢ *a juventute sua*) CIII, 5. הַמַּשְׂבִּיעַ בַּטּוֹב עֶדְיֵךְ *qui satiat*

matutinum vitae tuae tempus bono, facitque ut ſeneſcentis juventus renovetur, aquilae in morem. Huc et retulerim Ezech. XVI, 7. ubi de puella, adoleſcere incipiente, ſed adhuc Nomadico prope more nuda, ut finis verſus perhibet, dicitur, ותבואי בַּעֲדִי עֲדָיִים *progreſſa es in juventam juventarum*, ſeu proprie, *in matutinum matutinorum*, id eſt, ſi imaginem prius explicare liceat, *a crepuſculo illuſcente creſcens, jam ad matutam adultiorem, ad Auroram vergebas*, rem ipſam, quotidie fiebas adultior adoleſcentia, maturior ac pulchrior. — — Sciendum tamen alios codices, quadraginta Kennicottianos, legere, בערי ערים, quod ſi his vocalibus animaveris בַּעֲרֵי עֲרִים, eſſe poſſit, *ingreſſa es in juventam menſtruorum*, i. e. jam ingreſſa ita es perfectiorem adoleſcentiam, ut menſtrua haberes. Hoc pene praefero, ſequentibus eximie aptum, licet nobis ſit paulo dictu turpiusculum: tota imago non ad pudorem noſtrarum linguarum informata.

Eſt tamen in loco Ezechielis de veteribus dicendum, licet ab illis diſſentiam, ut inter ſe ipſi. Theodotion vertebat, *ornamentum ornamentorum*, referente Hieronymo, ac fere ſimiliter Symmachus, *εἰς ὥραν καλλωπισμοῦ, ad pulcritudinem ornatus*, ex his Vulgata, *perveniſti ad ornatum muliebrem.* Id quidem Hieronymus ipſe, in commentario, interpretatur: *tempus pubertatis oſtendit, quando puellae nubiles adpellantur, et poſſunt maritorum amplexibus copulari.* Videtur *ornatus* nomine, ut et recentiorum multi faciunt, *pulcritudinem corporis* intelligere, ſed praeter omnem uſum linguae, עדי enim *ornatus* ſemper eſt, ornamentum artificiale, gemma, aurum veſtis, quod hic locum non habet, cum nuda adhuc et nudiſſima fuiſſe dicatur. (ואת ערום ועריה) — — LXX et Syrus per R, עָרֵי עָרִים, legiſſe videntur, interpretati, *εἰσῆλθες εἰς πόλεις πόλεων, ingreſſa es in urbes urbium*, ܘܥܠܬܝ ܠܡܕ̈ܝܢܬܐ *ingreſſa es in urbes*, turpiuscule ſane de matura et nuda virgine, nec ullus ita codex.

III) *Ornamenti* et *ornandi* notionem quam lexica nomini עדי, verboque, denominativo ut credo, עדה, dant, neutiquam in dubium voco, ex ſerie orationis multis in locis certam: unde tamen orta ſit, reliquis linguis Orientalibus, praeter Chaldaicam recentiorum Thargumim, eam ignorantibus, dicere haud poſſum. Forte ornamenta, muliebria maxime, a ſpoliis nomen acceperunt, quod haec victores pulcris puellis dono offerrent et ornamento. Vide 2 Sam. I, 24.

IV)

IV) ORIS notio, quod ab ornatu dictum volunt Pſ. XXXII, 9. CIII, 5. non ſolum omni caret uſu linguarum Orientalium, ſed et horum commatum aliam ſupra explicationem dedimus, probabiliorem niſi fallor. Os hominis ornamentum eſſe dixerunt interpretes, totiusne corporis pulcherrimum: at num et os equi et onagri, Pſ. XXXII, 9? Ne veterum quidem praeivit quisquam, praeter LXX. Vulg. et Hieronymum Pſ. 32, σιαγόνας, *maxillas*, vertentes, quamquam *maxillae* et *os* non plane idem. Reliqui, Chaldaeus Pſ. 38, *ornamentum (quorum ornamentum eſt fraenum)* et Pſ. 103. *dies ſenectutis*, quos forte putabat a tranſeundo dictos: LXX in Pſ. 103. ἐπιθυμίαν, *(qui ſatiat deſideria tua bono)* et perquam obſcure Hieronymus, *qui replet bonis ornamentum tuum*, Syrus ܓܘܫܡܟܝ *corpus tuum*. Manifeſtum, in nomine obſcuro adhaeſiſſe veteres, linguae quidem Arabicae ignorantia, et utcunque conjeciſſe, de ore autem humano cogitaſſe eorum neminem.

1825. עֵדֶן.

Et ſub his literis verba duo, auditu, ſi recte efferas, ac ſignificatione diverſa concurrunt: quod et ob adpellativa inde orta nomina ſciendum, et ob propria, ne ſemper, ex una et nota deliciarum notione ea derivans, de urbibus regionibusve עֵדֶן dictis, adſeras, quod illae non habent.

I) *Deliciari*, *molliſſime et delicatule vivere*, *oblectari*, verbi quidem ſemel Neh. IX, 25. ſignificatio, frequentius, nominum inde derivatorum. Haec quidem convenit cum Arabico غَدَنٌ et غُدْنَةٌ *mollities*, unde et verbum تَغَدَّنَ habent, *vacillavit*, *flexus flexibilisque fuit*. Habent et Syri ܥܘܕܢܐ *delicias*, ܡܥܕܢܐ *delicatum* et alia.

II) At plane aliud, atque, ut non raro in his accidit, quae ſonum unius literae mutant, prope contrarium ſignificat, عدن *firmus fuit*, *fixus manſit*, unde عَدْنٌ *firma et perpetua manſio*, (nomen forte non paucarum urbium עֵדֶן dictarum) مَعْدِنٌ *fodina metalli* (frequentiſſimum uſu vocabulum, a quo forte et nomina propria geographica orta) *quod haec*, ut lexicographi addunt, *illic fixa ſint et perennia*.

His praemiſſis pergamus ad

1826. **עֵדֶן**, *Eden*, *Aden*, *Adana*, *nomen proprium geographicum.*

Eſt illud in Aſia perquam frequens, remque male egerunt, quibus de ſitu paradiſi diſputantibus, ſatis erat, unam ex regionibus hoc nomine dictis arripere, eique fluvios, Euphratem, aliosque ut libebat, dare vel comminiſci. Nomina eorum nolim addere, ſunt enim magna aut certe non ignobilia.

Eas hoc nomine urbes regionesque jam habe, quae in Hebraico codice occurrere videntur.

I) Eſt aliqua Meſopotamiae verſus Tigrim, in Diarbekir, regio *Maadan*, ܡܥܕܢ deſcripta ab Aſſemano in T. II. bibliothecae Orientalis, diſſert. de monophyſitis, cujus ipſa hic verba pono, quod forte liber non omnibus lectoribus ad manus eſt. "*Maadan*, ܡܥܕܢ *Meſopotamiae regio, ex qua Joannes, cognomine Bar-Maadani, Jacobitarum patriarcha, ortum duxit. Sermed pagus, et caſtrum St. Abel, in ea regione nominantur a Joanne Gargarenſi calligrapho, et ab Ignatio Xenaja patriarcha. Idem Joannes Gargarenſis praedictum pagum Sermed apud urbem* حيزان HIZAN *collocat. Hizan autem ab Abulfeda in regione Meſopotamiae, quae Diar-bacr dicitur, montibus undique circumdata collocatur. Dionyſius David epiſcopus Maadan, ſub Ignatio Davide anno Chriſti 1586 vivebat.*

Urbis Athur, ad Tigrim, mentio facit, ut hanc eſſe Edenitidem, 2 Reg. XIX, 12. Jeſ. XXXVII, 12. memoratam putem, verbaque, his ſubſtratis vocalibus; ובני עֵדֶן אשר בְּתֵל אַשֻּׁר vertam, *et filios Edenis* (Edenenſes, Maadanenſes) *qui in Thel Athur*, vel conſederunt coloni, vel habitant. Vide plura infra ſub תלאשר vel תלשר.

Moſis quoque עדן Geneſ. II, 8. 10. 14. ipſi, haec dum ſcriberet, ob Oriente, atque ad Euphratem Tigrimque ſita, ibi fere, ubi Syri Maadanam habent, quaerenda videtur: nec tamen eosdem regionis fines qui nunc ſunt, ante diluvium fuiſſe, exiſtimari velim fingere: latius ea, quam deſcribit Moſes, patuiſſe Edenitis videtur. Ne Germaniae quidem noſtrae, nec Galliae, iidem fines, qui Caeſaris Tacitive tempore.

II) Eſt, inque hunc usque diem ſupereſt, Libani in valles Coeleſyriae deſcendere incipientis, *Eden*, regio, ac vicus, ſed tamen ſedes archiepiſcopi, vel in hiſtoria literaria celebris, ab hac enim Gabriel Sionita *Edenienſis* cognomen habet, quod nomini ſuo in editione verſionis Arabicae pſalmorum Antiochenae addidit: ſed et plures eruditorum Syrorum

rum hac a patria Edenenses nominantur. Descripsit eam *la Roque*, in, *Voyage de Syrie et du mont Liban* p. 195. seqq. cujus haec excerpo. *Nous marchâmes plus de trois heurs sur une même élevation, et parmis les mêmes agrémens, jusqu' à Eden, qui est un grand bourg, fort renommé dans le pays, situé sur la premiere pente de la montagne, dont les environs nous offrirent de nouvelles beautés. Ce ne sont en effet que jardins et vergers continuels; ce qui joint à l' abondance des eaux et à la douceur de l' air, nous fit juger, que le Printemps ne quittoit presque jamais cette contrée.*

Il y a bien des Chretiens Orientaux, qui croyent que le Paradis terrestre étoit situé dans cette Campagne, et que c' est pour cette raison, que le nom d' Eden, qui dans les premieres langues signifie un jardin et un lieu de delices, lui est demeuré jusqu' aujourd' huy, car tout ce qui est aux environs du bourg, dont je viens de parler, porte le même nom. M. Huet, Evêque d' Avranches, rapporte cette opinion des Orientaux dans son curieux Traité du Paradis Terrestre. D' autres Sçavans se sont contentés de placer le Paradis dans la Syrie, sans designer autrement le lieu; comme Melancthon, et apres lui Ms. le Clerc dans son Commentaire sur la Genese. Nous observerons en passant, que Salomon Van Til, Theologien Hollandois, qui a fait aussi une dissertation sur le Paradis terrestre, conteste à Mr. le Clerc, dont il combat le sentiment, qu' il y ait eu en Syrie un lieu appellé Eden: mais comme on vient de voir, l' Opinion de ce Theologien est insoûtenable. On voit aupres d' Eden plus de vingt petites Eglises, dédiées à divers Saints, qui ont vécu dans ce quartier du Liban. Les Maronites ont une veneration particuliere pour celle de St. Serge, à cause que c' est le Siege d' un Prelat du mont Liban, qui est Archeveque d' Eden &c.

Stephanus Schultz, ad Judaeos convertendos multas per Europae, Africae, Asiae regiones, perque et Syriam et Palaestinam, piorum sumtibus profectus, T. V. itinerarii sui, cui titulum fecit, *Leitungen des Hoechsten*, p. 458. eodem situ *Eden* et *Bischery* memorat, die 26 Sept. 1755. superat ergo nostro adhuc inclinante saeculo. Franciscus Ferdinandus Troilo, nobilis superioris seculi itinerator, anno 1666 vicum Eden adiit, ibique et patriarcharum Maronitarum alias Cannabinae commorantem, invenit, et ab archiepiscopo Edenensi, humanissime exceptus est, p. 65. itinerarii. Vidit et Korte vicum, p. 321. itinerarii sui, sed quod narrabatur ex traditione, paradisum ibi fuisse, (sapientior sane, ac minus Clericis Lakemacherisque credulus) credere non sustinuit.

Haec mihi sine dubio, *regio Eden*, בית עדן Amos. I, 5. commemorata, ut, aestivæ forte, sedes regum Damascenorum: *exscindam incolas ex valle Heliopolis*, (און, Baalbec) ותומך שבט מבית עדן *et sceptritenentem ex regione Eden*.

Vix dum dixi, *la Rocquii* verbis, hanc Syriae Edenitidem paradisum terrestrem et incolis visam fuisse, et eruditorum haud paucis, Clerico aliisque. Id vero vix probari lectori Genes. II. geographiae vel modice perito potest: nullus illa in vicinia fluvius, *Gihon, Fison, Euphrates, Tigris*, quorum hi duo magnis desertis, ac multorum dierum itinere, ab Edenitide Syriae dirimuntur. Quid tentet Clericus, in ipsius commentariis lege, et expende, tabula in manus sumta geographica. Nomina adeo fluviis ex etymologia comminiscuntur, geographiae ignota: sic Fisonem (פישון) Clericus Chrysorrhoam, Lakemacherus Jordanem esse conjicit Gihonem (גיחון) Clericus Orontem: sed talis ex conjecturis geographia vix relatu digna, nec velint ea hunc onerari librum lectores. Adde, Mosi Edenitidem esse מִקֶּדֶם, *ab Oriente* Genes. II, 8. jam fac Mosen, utcumque velis, ad Sinai montem, aut in campis Moabiticis scripsisse, erit ei Edenitis Libani septentrionalis. Edenitidem Libani quomodo perfluxerit aut attigerit Tigris, quaeras fortasse: adi Clericum, et me non interpellante lege, ac de interpretatione statue.

Ad Tigrim usque ille vult Edenitidem Libani pertinuisse: mirum! eo tamen si pertinuit, cur non paradisum in ea potius Edenitidis parte, quae vicina Tigridi, Mosique Orientalis est, posuit?

De Libani forte Edenitide cogitarit Ezechiel, c. XXXI, 9. collato versu 3, ubi de cedro Libani sermo.

III) Arabiae urbs emporiumque ad Oceanum Indicum celeberrimum, *Aden*, عَدَن, vel nostris geographis notissimum, de quo tamen si legere cupias Arabes, adi Nubiensem p. 25. versionis latinae (textus Arabici pagina tertia a fine sectionis sextae climatis primi, retorsum) et Abulfedam num. XXIV. Arabiae, p. 41. editionis Gagnierianae, aliosque a Schultensio excerptos in indice geographico, quem vitae Saladini addidit. Ptolemaeus non hoc nomine proprio habet, sed illo loco, ubi Adena sita, in ejus tabula Asiae sexta comparet, *Arabia emporium*, seu, ut in Graecis est, (p. 153.) Ἀραβίας ἐμπόριον, *Arabiae emporium*. Vix dubium, quin haec sit עֵדֶן, seu, ut adpellare malim, עֵדֶן Ezechielis, c. XXVII, 23. cum Sabaeis, aliisque Arabiae felicis urbibus composita, merces suas ad Ty-

Tyrios develentibus. Caeterum haud putem hanc ab amoenitate nomen accepisse, est enim, ut monuit Abulfeda, consentiuntque qui eam descripserunt reliqui, قشعة يابسة *arida et squalida*; sed sive a firmitate, quod durissimo inaedificata est promontorio in mare procurrenti, sive ab عدان *littus*.

IV) Sunt praeterea Adana Ciliciae, urbs nobilis (*), quod nomen legens, atque ex Arabum geographis memor, Pyramum Ciliciae fluvium Gihonem (جيحان) vocari ab adcolis, suspicari possis, hanc esse Edenitidem Mosis in qua Paradisus. Quid obstet, supra jam pag. 297. dictum, hic addendum, ne nomen quidem, ut ab Orientalibus scribitur, concinere, اذنة, quod est Hebraice אֲזְנָה. Vide Abulfedae Syriam p. 67.

עדינו 2 Sam. XXIII, 8. quaere sub עֲצִינִי.

1827. מַעֲדַנֹּת 1 Sam. XV, 32.

מעדנת seu, ut multi codices habent, מעדנות, malim his punctis efferre מַעֲדַנּוֹת, ut sit adverbium more Syrorum formatum. (Grammat. Syr. §. 92.) Suspectam esse, quam alii statuunt, ellipsin nominis איש, *vir voluptatum*, supra p. 78. professus sum. Verto autem, *laete, hilariter*, ob id quod sequitur, *recessit amaritudo mortis*, mors mihi non amara. At horum loco si cum Syro et Arabe querula legas et tristia, אך מר המות, *certe amara est mors* (**), vertendum erit, sive, *delicatule molliter*, i. e. parum fortiter, sive, *vacillanter*, collato تغدن *vacillavit*: sic fere LXX τρέμων, et Vulgata, duabus diversis interpretationibus conjunctis, *pinguissimus et tremens*.

1828. עֵדֶר *grex*.

Notissimum, certissimum, et summae antiquitatis nomen Hebraicum, sed, quod praefari necesse est, antequam ad verbum pergam, reliquis linguis Orientalibus ignotum. Ergone barbarae et exoticae originis? Non liquet!

1829. עָדַר *ordine disponere*, *vites etiam Jes. V, 6. VII, 25. remanere*.

De hoc verbo anquirens ante omnia teneat, plane non conferendum Syriacum ܥܕܪ *juvit*, ejusque derivata, est enim hoc mere Syriacum pro

 He-

(*) Vide de ea Cellarii geographiam T. II. p. 255. 256.
(**) Et querulam vocem facit Vulgata, *siccine separat amara mors*.

Hebraico עדר. Arabica lexica evolvens sub عدر et غدر passim inveniet significationes Hebraeis ignotas. Verbum autem Hebraicum duo potissimum mihi significare videtur, *ordine disponere*, et, *destituere*, *remanere*, de quibus, aliisque, jam distinctius.

I) *Remansit*, *defuit*, notio verbi frequentissima, ut exempla a Buxtorfio in concordantiis collecta inspicientem docebunt. Haec cognata Arabico غدر, quod inter alia est, *perfide egit*, *fefellit*, hinc in tertia, *destituit alter alterum*, *reliquit*, unde et nomina, غَدْر *fraus*, *perfidia*, غُدُر et غَدُور *perfidus*, غَدِير *res relicta*. Schultensius ad Hamasam p. 334. videtur pro denominativo ab עדר habere, غدر vertens, *retromansit a grege*: id parum verisimile, cum his sub literis nec Arabes, nec aliae praeter Hebraicam Orientales linguae notionem gregis habeant.

II) *Ordinare*, *ordine disponere aciem* significare creditur 1 Par. XII, 33. 38. estque ad seriem orationis ita aptum, ut inter recentiores vix dubitetur. עדרי מערכה quis non lubens verterit: *ordinantes* vel *instruentes aciem*. Et tamen nihil ejusmodi habent reliquae Orientis linguae, ne Chaldaica quidem: nec ex veteribus quisquam praeivit, praeter LXX et Chaldaeum, v. 38. habentes, παρατασσόμενοι παράταξιν, et מסדרי סדרא, sed ipsos secum discordes, versu enim 33. habebant, βοηθῆσαι τῷ Δαβὶδ, et למעסק *ad opus faciendum*, seu, *rem gerendam non duplici corde*. Video et reliquos sic discordes, ut hariolati potius quam interpretati videantur:

	v. 33.	38.
Vulgata,	*in auxilium*, – – – – –	– *expediti ad bellum*.
Syr.	ܠܡܥܒܕ ܩܪܒܐ *ad gerendum bellum*.	– *strenui heroes*.

Ne lectio quidem certa, seu potius valde suspecta: ut enim alia taceam minora, uniusque modo codicis, v. 33. לעזר *ad juvandum*, habent, (plene alii לעוזר, alii defective) octo codices Kennicottiani, unus de Rossianus, LXX quos vix dum citavi, et Vulgata; idque mihi praeferendum videtur: v. 38. Kennicotti duo iterum עזרי habent, tres, ערכי, quod quidem ערכי מערכה, *instruentes aciem*, auribus Hebraismo adsvetis praeplacebit, eandemque lectionem LXX et Chaldaeus sequuti videntur. Ergo haec significatio ex lexicis delenda, ac lectio emendanda videtur.

III) Haec

III) Haec ſi *ordinandi* notio tam eſſet certa, ut in lexicis ſumi ſolet, unice ex illa explicanda Jeſaiae loca c. V, 6. VII, 25. atque de eo, quod latini dicunt, *ordinare vites* intelligenda. Nondum diffidens tam confidenter dictis, id in verſione Germanica auſus eram, c. V, 6. *ordines vitium non ſervabuntur, ſed ubique ſentes ſuccreſcent libere ac vepreta*, et c. VII, 25. (migrato verſuum termino) *ſenticeta et vepreta totam terram implebunt, omnesque montes, ubi ſerie vites ordinatae fuerant.* Conſentiebat quodammodo, ſententiamque, non verbum, praeierat Chaldaeus cap. 5. לא יסתמכן *non fulcientur ſuſtentaculis*, ſuſtentaculis enim ita vites continentur, ut ſuos ordines rectasque lineas ſervent, non humi ſerpant ſilveſcentes. At hac verbi ſignificatione conjecturis relicta, ac vero recentiorum, (qui enim 1 Paral. XII, 38. eam praeiviſſe videri poſſent, forte ערך legerunt) alia aut accipienda, quam offerunt, aut, ſi vel illa diſplicuerit, quaerenda.

LXX ergo et Vulg. Jeſ. V, 6. *fodietur* verterunt, idemque velle Syrus putandus ܠܐ ܢܬܦܠܚ *non coletur* vertens, Vitringa, *paſtinationem* intelligente, quae ſit effoſſio terrae circa radices vitis, radices ejus retegens, et ab herbis noxiis purgans. Non inepte certe filo orationis, modo עדר ulli linguarum Orientalium, *fodere*, *paſtinare* eſſet: habent quidem Arabes غَدَرٌ *ſcrobem in terra ſalebroſa*, ſed id ne cui fraudi ſit, moneo, non a fodiendo dici, ſed ab aqua reſtagnante, idem enim nomen ſtagnum ſignificat. In ſeptimo capite arationem intellexerunt LXX, Syrus et veriſimiliter Chaldaeus, quae et ipſa ad foſſionem, effoſſionem terrae referri poſſit, ſed nihil habentibus linguis Orientalibus, et hoc ſuſpectum, maxime cum de montibus ſermo, qui in Palaeſtina non arari, ſed vitibus complantari ſolent.

Si quid offert opis Arabia, petendum ab عدر, et aquae copiam, abundantiam, reſtagnationem adeo indicante, unde 2 Reg. III, 16. عُدْران *foſſa in qua aqua reſtagnat*, et, *rigationem*, unde اعتدر *rigatus fuit pluvia.* Eadem reſtagnandi notio et ad alterum verbum Arabicum ejusque derivata tranſiit, licet et ſuam illud propriam habeat. Hinc videtur Jeſ. V, 6. eſſe, *rigare vineam*, quod in calido illo climate apricisque ac ſaxoſis vineis aliquando artificio fit aut manu humana: *non putabitur, nec rigabitur, et nubibus praecipiam ne illam compluant.* Hoc filo orationis mirum, de rigatione vineae neminem cogitaſſe. Cap. VII, 25. non de vi-

vineis sermo, sed de montibus, qui arte rigantur, quo artificio, in calidioribus terris et pascua rigantur. Aliquid ejusmodi et de agris habet Virgilius Aen. I, 107. cujus verbis rem ipsam posuisse suffecerit.

Et cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit, illa cadens raucum per laevia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.

Jam et intelligetur, spero, quid sit

1830. מעדר Jes. VII, 25.

quo montes rigantur: nempe sive aliquod receptaculum aquae in summo monte, scrobs, lacuna, sive fistulae, aut effossi rivuli, ex quibus aqua descendit, montemque, per laevia saxa cadens, scatebris temperat et foecundat.

1831. עוב in Hiph. Thren. II, 1. *obscuravit?* an, *contemsit?*

LXX ἐγνόφωσεν, Syrusque harmonice ܐܥܒ *obscuravit*, idque recentiores fere sequuti, *obnubilavit* passim vertentes, ab עָב nubes. Sic, ut jam monuit Simonis, ad radicem غيب *latuit* referendum, a qua nubes dicta.

Possit tamen ἅπαξ λεγόμενον et ad عاب pro عيب, *opprobrio adfecit*, referri, unde عَابٌ *dedecus*, *macula*, Syriacumque ܥܝܒ *contemsit*, ܥܝܒܐ *dedecus*. Hoc quidem, *cur contemsit*, vel, *dedecore adfecit Dominus filiam Sionis*, ob ea quae sequuntur, *projecit ex coelo in terram decus Israelis?* praeplacet: coelo enim qui dejicitur, non obnubilatur.

1832. עָב Exod. XIX, 9.

עָב *nubem* a غيب *latuit* nomen habere, quod sudum ea interposita coelum latet, vixdum dixi. At quid faciemus עב הענן *nubi nubis* Exod. XIX, 9? Plurale si esset, ut Ps. XVIII, 12. עָבֵי שחקים egregie posset *nubes* significare *nubibus impositas*, quas gravi tempestate oriente videmus: sicque forte accepit Arabs Erpenii, بصحابة من الغمام *in consociatione* i. e. *conglomeratione nubium*: at utroque nomine singulari vix huic interpretationi locus esse videtur. Mihi quidem duplex, pro diversa vocalium scriptione, offert se explicatio. עַב עָנָן cum Patach, ut

ha-

habere editiones solent, non radicis עוג erit, sed עגב, eadem sententia vertendum, *in accumulatione* i. e. *conglomeratione nubis*, عجب enim in 4ta est *accumulavit*, Genes. XLI, 34. sive etiam, *in effusione nubis*, namque et effundere est عبّ (Vide Castellum.) At עָב cum Kamets si efferas, aut in codicibus reperias, propria vocabuli significatione ab غيب *latuit*, erit, *in latibulo nubis*.

De veteribus si interroges, *caliginem* nubis habent Syr. et Vulg. *spissitudinem nubis* Arabs Polyglottus: soli LXX *columnam* (ἐν στύλῳ νεφέλης), legentes, ut videtur, בעמוד הענן, quod tamen in nullo hucusque, nec Hebraico nec Samaritano, codice repertum.

עגבל quaere sub עָב.

1833. עוגה vel potius עֻגָּה *panis subcinericius*, עוג vel potius עגג *ejusmodi panem paravit.*

Nomen septies, verbum semel occurrit, Ezech. IV, 12. תְּעֻגֶּנָּה. Ad radicem עוג lexica referre consveverunt, equidem malim ad עגג, ob Dagesch literae ג ubique impressum, morem tamen illorum sequutus sum, partim, quod hic quaesitum iri verbum reor, partim quod scriptionem non sine varietate lectionis esse video. Pro תְּעֻגֶּנָּה enim sex codices Kennicotti plene תעוגנה habent: et pro עֻגָּה, nomine, plene עוגה, Genes. XVIII, 6. sex, Exod. XII, 39. quatuor, Num. XI, 8. novem, 1 Reg. XVII, 13. viginti quatuor, XIX, 6. sedecim, Ezech. IV, 12. undecim, Hos. VII, 8. viginti septem. Consvetam tamen scriptionem עֻגָּה praeferre svadet, cum multitudo codicum maxime in Pentateucho, cujus scriptio adcuratior, ne textu quidem Samaritano dissentiente, tum cognatae significationis nomen Arabicum, عجّة *laganum ex ovis in sartagine coctis*, ex Avicenna in lexicis citatum. (Vide Castellianum.)

A LXX ubique ἐγκρυφίας vertitur, i. e. interprete Hieronymo, *panis sub cinere coctus*, qui qualis apud Arabes sit, ex la Rocque (seu potius, Arvieux) voyage de Palestine ch. 14. p. 234. describam: *La seconde sorte de pain se cuit sous la cendre, ou entre deux braziers des fientes des vaches allumées, qui brulent d'un feu lent, et cuisent le pain tout à loisir. Ce pain est épais comme nos gâteaux, la mie en est fort bonne, quand elle est mangée le même jour, mais la croute est noire et brulée, elle conserve une odeur*

de

de fumée, et un gout de la matiere, dont elle est cuite. His lectis jam et intelliges Ezech. IV, 12–15. ad quem locum vide notas germanicas. Alia collecta vide a *Sebaldo Ravio* in *diss. de re cibaria Hebraeorum, speciatim de pane* §. 12–15. Ejusmodi extemporaneum ac subcinericium panem esse עֻגוֹת vel hoc indicio est, quod plerumque ejus mentio, ubi non in aedibus, sed in deserto sub dio paratur, Genes. XVIII, 6. Exod. XII, 39. Num. XI, 8. 1 Reg. XIX, 6. quo ex loco disces, et candentes lapides (רִצְפִּ) ei imponi. Ex Num. XI, 8. intelliges, aliquando et in פרור, de quo infra agam, parari.

Nominis etymon aut latet, aut incertum est: verisimillimum illud quod attulit Ravius, ab عجاج *fumus*, et عجّج *fumo implevit domum*, fumi enim saporem crustam retinere vix dum didicimus.

1834. מָעוֹג 1 Reg. XVII, 12. Ps. XXXV, 16.

Non nisi bis occurrit, 1 Reg. XVII, 12. plene scriptum, nulla lectionis varietate, מָעוֹג, ubi vix dubium, quin idem quod עֻגָה, panem subcinericium, significet; et Ps. XXXV, 16. hic quoque plene, sed septem codicibus Kennicottianis מָעֹג sine Vau habentibus. Hujus quidem loci significatio dubia, fortassis et lectio, licet varietatis gravioris nihil habeant codices hucusque excussi. *Panem* (subcinericium) si interpreteris, haec prodibit non improbabilis sententia, *qui sannas faciunt ob panem*, i. e. *miseri, pane conducti exsibilatores.* Est tamen, quod in hac versione non satis placet, non tam, imago paulo insolentior, sed quod paucis codicibus exceptis reliqui per Vau scribunt, quod *panis* loco panis subcinericius extemporaneusque ponitur, quo non solent opulentiores ad exsibilandum plebem conducere, sed qui in deserto hospitibus paratur, denique omissio praepositionis, exspectasses לועגים בלחם.

Ergo si vera lectio, mallem cum Vau scriptum nomen ad عوج *curvitas, distortum*, referre, et לעגי מעוג *subsannantes obliquato vultu* intelligere. Vide scripta p. 851. 852.

Symmachus quod habet, ῥήματα πεπλασμένα, exque eo Hieronymus, *in simulatione verborum fictorum*, plane conjecturale est. Cum videret, עֻגָה speciem panis esse, conjecit, verbum significare, πλάττειν, quod panis formatur.

Gravis

Gravis ac probabilis, sed nullo hucusque codice confirmata, varietas lectionis, לעגי לעוג *subsannantes subsannando*, quam expresserunt LXX. ἐξεμυκτήρισάν με μυκτηρισμόν, (sequente, ut solent, Vulgata et Arabica versione) forte et Chaldaeus, *verbis fucatis subsannationum ac derisionum*, et Syrus. Necdum tamen ausim sequi.

1835. עוד *in orbem redire*, *circumdare*, simpliciter, *redire*, *continuo aliquid facere*, *consvescere* &c. — — — *Testari?*

Prima significatio verbi, de qua jam aliquid Simonis monuit, est, Arabici عاد pro عود *rediit*, atque etiam transitive, *reduxit*, Aethiopicique, *circumivit*, *circumdedit*, seu ut alia serie ponam, *in orbem rediit vel circumiit*, *circumdedit*, atque etiam latius, *rediit*. Hinc et est, *redire ad eundem actum*, i. e. *saepe aut continuo aliquid facere*, معاود *qui saepe revertitur ad eundem actum*, atque عاد *consvevit*, *adsvevit*, عادة et عايدة et Syr. ܥܝܕܐ *mos*, *consvetudo*. Inde et Hebr. עוד *porro*, proprie, *iterum*. Est et Arabibus *visitare*, e. g. aegrotum, (Matth. XXV, 36.) proprie, *redire*, *iterum iterumque ad illum venire*, عايد *visitator aegroti*, معود *visitatus in morbo*.

Hinc jam lucet, puto, Ps. CXIX, 61. *funes malorum* עִוְּדֻנִי *circumdederunt me*. Sic praeiverunt, in summa sententiae unanimes, LXX et Vulg. περιεπλάκησάν μου, *circumplexi sunt me*, Hieronymus, *implicarunt me*, Syr. ܚܕܪܘܢܝ, et Arabs uterque, عقلتني *constrinxerunt me*. Aethiopicae linguae gnarus, adhaerere hic vix poterat: adhaeserunt tamen non pauci, *spoliarunt me* (Raschi שללוני) vertentes, ac si esset ab עדי, *spolium*. Forte et ex verbo a librariis non intellecto multiplex in eo varietas lectionis, quam apud Kennicottum et de Rossi reperies, עבדוני, *in servitutem me redegerunt*, עותני *incurvarunt me*, עדוני *spoliarunt me*, עורוני *excoecarunt me*, שדוני *vastarunt me*, quamquam hoc et verti possit, *constrinxerunt me*, synonymum verbi עוד.

Jobi librum cum verterem, visa est mihi redeundi significatio et his verbis, c. XXIX, 11. עין ראתה ותעידני aptissima, *oculus qui viderat*, *iterum redibat ad me*, i. e. *iterum me videre cupiebat*. Sic inprimis *invisendi saepius* significationi, et conj. 4. أعاد *repetivit*, *iteravit*, convenit: dubitare tamen incipio, consvetae enim explicationi, *testimonium mi-*

hi honorificum perhibebat, quam praeiverunt Syr. Ar. Vulg. Chald. favet praecedentis membri parallelismus, ותאשרני, *beatum me praedicabat.*

Habac. II, 3. כי עוד חזון למועד non bene reddi videtur, *quoniam adhuc est visio in tempus*, minusque etiam placet Vulgatae, *quia adhuc visus procul:* quibus in versionibus quid displiceat, exponere hic non vacat. At filo orationis perquam apte alii, *visio suo tempore implebitur*, consentanee his quae sequuntur: *anhelatque ad finem. Si morari videatur, exspecta illam, nam certo veniet, nec procrastinabitur.* Sic ex veteribus Syr. ܚܙܘܐ ܒܙܒܢܗ ܗܘܐ *visum suo tempore fiet.* At hoc quomodo ex Hebraicis effici potest? — Verbum si sit עוד, *praestituto suo tempore redibit*, i. e. implebitur, *vaticinium*, si nomen, *praestituto tempore reditus* i. e. *implementum vaticinii.* Quamquam et ܥܐܕܐ, Arabibusque عيد est *festum, statum tempus*, forte a reditu dictum: sic jam mollius etiam vertes, *tempus visionis erit praestituto tempore*, (post LXX annos, a Mose jam indicatos, et a Jeremia clarius dicendos.)

העיד *testari*, atque עד *testis*, vix putem cum hac radice cognata esse, sed potius ad עיד mediae rad. Jod retulerim: quod enim Simonis habet, *testem ad eundem semper sermonem, quo semel rem auditam vel visam enuntiavit, redire*, paulo videtur artificiosius. Accidit et huic, quod pluribus aliis juris Hebraici verbis, ut reliquae Orientis linguae hanc significationem ignorent. Hic tamen pono, quod hic quaesitum iri arbitror,

1836. עד *testis.*

moneoque, plane ut in lingua Rabbinica, illiusque frequente, וְהָעֵד ubi dictum probans adferunt, pro quovis *argumento*, ac *probatione* poni, Exod. XXII, 12. *discerptum si fuerit*, יביאהו עד *adferat illud probationem*, i. e. *residuas discerpti animalis partes in rei probationem adferat.* Sic et accipio Job. XXXII, 12. leviter mutatis punctis, וְעֵדֵיכֶם אתבונן *probationes, argumenta vestra considerabam* vel expendebam. Sic, certe in punctis consentiens, Syrus, licet nimis proprie vertens, cum testimonium contra Jobum nemo dixerit, sed criminationes potius ac suspiciones omnes protulerint, ܒܣܗܕܘܬܟܘܢ ܐܬܒܩܝܬ, exque eo Arabs, في شهاداتكم تَفَقَّهْتُ. Quod alii volunt, עֲדֵיכֶם hic emphatice poni pro אליכם, non

non quidem damno, ſi melior dari explicatio nequit, eſt tamen ne punctis quidem conſentaneum, particula enim ſcribenda וַעֲדֵיכֶם fuiſſet, וְעָדֵיכֶם cum Kamets ſcriptum eſt. Monet de Roſſius, unum ſuorum codicum a prima manu habuiſſe videri, quod in bibliotheca Orientali malueram, וְעֵדֵיכֶם, ſed correctorem, maſorae ſervientem, raſiſſe.

1837. עֵדָה, *teſtis*, *teſtimonium.*

Femininum praecedentis, quod vide Geneſ. XXXI, 50. 52. XXI, 30. Joſ. XXIV, 27. Huc et refero Job. XVI, 7. השמות כל עדתי, vertens, *obmuteſcere facis omne teſtimonium meum*, i. e. *omne teſtimonium pro me dictum*, *omnes teſtes*, *pro me dicere audentes.*

1838. עוד Pſ. CXLI, 5. Job. XXXIV, 23.

In his pſalmi 141, quem ex difficilioribus nemo negaverit, כי עוד ותפלתי ברעותיהם, omnia facilia, ſi quatuor literis (עוד ו) demtis, legas, כי תפלתי ברעותיהם *preces*, vel *vota mea*, *ſunt mala eorum*, *mala illis*, *qui ſuis me inceſtis adhibere conviviis vellent*, *adprecor.* At hoc עוד et hoc praefixum ו, a nullo codice omiſſa, omnia impediunt: particulae עוד, *adhuc*, vix locus, quodſi SEMPER vertas, tamen ET abundat, *quia ſemper ET preces meae ſunt mala illorum.* His quidem ſuperfluis cum onerare verſionem Germanicam nollem, ſuſpicarerque עוד aliquid hic ſignificare mihi non intellectum, omiſi. Conjecturae quidem alicujus in mentem venit, conjungendum עֹדוּ, atque ut verbum reddendum, *cum convivantur* (inter ipſa convivia) *mala illis adprecor:* videbam enim alia circumdandi verba et epulandi eſſe, tanquam, *circumdare menſam*, ut סחר Chald., מֵסַב Thalmudicum: at cum nullo verbi עוד exemplo hoc confirmari viderem, malui, ignorantiam faſſus, omittere, quae non intelligebam, quam ex conjectura vertere, cui diffidebam.

Nec in his Job. XXXIV, 23. כי לא על איש ישים עוד להלך אל אל במשפט particulae, ADHUC, locus eſſe, ſed nomen poſci videtur. Suſpicari poſſis, a redeundo dici, *regreſſum*, *non concedit homini regreſſum ad litigandum cum Deo.* Non abjicio, ſed veriſimilius locoque aptius lingua offert Aethiopica, cui עוד a *circumeundo* et *circulo*, eſt et, *conſeſſus judicii*, *ſenatus*, quin et, *praetorium*, *tribunal.* Apta ad totam orationis ſeriem ſententia: *non ponit homini tribunal ad litigandum cum Deo.*

1839. עֵדוּת Pf. LX, 1. LXXX, 1.

De עֵדוּת *teſtimonio*, nihil habeo, quod addam, de vocabulo *praeceptum* ſignificante, ſub יעד dixi: de ſolis locis dicendum reſtat, ubi in titulis duorum pſalmorum occurrit. De his quidem nihil certi dicere habeo, ut de plerisque vocabulis muſicis aut poeticis.

Id primum, non mihi conſtruendum videtur Pf. 60. שׁוּשַׁן עֵדוּת (*lilium teſtimonii*, aut utcunque lubuerit vertere) obſtat enim Pf. 80. ubi שׁוֹשַׁנִּים in ſtatu abſoluto praecedit, אֶל שֹׁשַׁנִּים עֵדוּת.

Teſtimonii ſignificatio parum utrique loco apta, atque quaerenda alia videtur. Nec veteres quidquam opis adferunt. Chaldaeus in Pf. 60, Aquila et Symmachus in 80, Hieronymus utrobique, teſtimonium habent, ſenſu obſcuro; hoc quid enim eſt, ut Hieronymi verbis ponam, *teſtimonium pro liliis?* Syrus utrobique omiſit, aliam utriusque pſalmi inſcriptionem legens. LXX et Vulg. aliquid de *immutatione* habent, incertum, ſi ſolos legas, utrum pro שׁוֹשַׁנִּים an pro עֵדוּת, Pf. LX. τοῖς ἀλλοιωθησομένοις ἔτι, *pro his qui immutabuntur*, Pſalmo enim LXXX. vertunt, τὸ τῶν ἀλλοιωθησομένων μαρτύριον, *de iis qui commutabuntur teſtimonium:* at Aquila ſine dubio pſalmo 60 aliquid de mutatione vel abalienatione habet, τοῖς ἀλλοτριωθησομένοις ἐπὶ κρίνων, ipſe tamen ſibi diſcors pſalmo 80 μαρτυρίαν habet. Hoc quidem eſt, de aegrorum ſomniis referre, nec intelliget lector, quid velint hi omnes: id unum, idque ſatis eſt, intelliget, nihil ex illis diſci poſſe.

Mihi ſi poſt haec ſomnia relata conjecturam exprimere lectores aut concedere velint, ſive ad conſvetudinis notionem referendum, ſive ad عيد *feſtum anniverſarium* videretur, ut ſit, *conſvetum et anniverſarium, ſtato die canendum carmen.*

תְּעוּדָה quaere ſub יעד n. 1010.

1840. עַוִּים et עֵוָּה nomina propria.

De his populi urbisque nominibus copioſe et docte egit *Conradus Ikenius*, in *diſſertationum philologico-theologicarum undecima, de Nibchas idolo Avvaeorum*, aliorum quoque ſententias referens, eosque maxime refellens, quibus עוים et חוים *(Hevitae)* iidem viſi ſunt. Diſtinguamus duplicem mentionem populi, qui forte et ipſe duplex:

1) *Avvaeos antiquos, qui diu ante Moſen* vel potius ante Abrahamum *in terra Philiſtaeorum Gazam usque in tentoriis habitarunt* Deut. II, 23.

Joſ.

Jos. XIII, 3. quo de loco monuerim, מתימן sequentis versus ad hunc tertium referendum videri, ut praeiverunt Vulgata et Syrus. Nempe sic verto: *Gazaei, Azotii, Ascalonitae, Gathenses, Accaronitae, et Avvaei, a meridie.* Quibus ex verbis libri Josuae suspicari possis, non penitus a Caphthoraeis deletos aut expulsos esse, sed aliquas eorum reliquias in vicinia superfuisse, in desertis forte, quae Philistaei non adpetebant.

Hunc quidem Avvaeorum populum eundem esse, cum illo, qui decimo sexto post Abrami in Palaestinam adventum seculo, alia in regione, memoratur, credit Ikenius, extorremque novas sibi sedes legisse. Equidem nihil certi habeo: forte ut tot seculorum intervallo, natalibus quoque diversi Avvaei.

2) *Avvaeos, qui Hiskiae tempore sub ditione Assyriorum erant, et quorum colonias hi in devictam Samaritidem deduxerunt*, 2 Reg. XVII, 24. 31. Horum cum Deus canis, נבחז fuerit, valde verisimile, eos Berytum inter et Tripolim, ad نهر كلب *(fluvium canis)* habitasse, ubi ingentis magnitudinis canis lapideus, custos regionis, horrendumque latrans, colebatur. Sed haec jam n. 1501. sub נבחז copiosius excerpta hic non repeto. Unum de etymo excerpo, nomen genti ductum videri ab hoc ipso canis custodis latratu, ܥܘܐ enim et عوى *latravit:* a latratu nomen primo regio, deinde et populus accepit.

Nomen regionis vel etiam urbis primariae, 2 Reg. XVII, 24. עַוָּא scribitur, more Syrorum per Aleph: viginti tamen ac novem, codices aliique testes, a Kennicotto adducti, עַוָּה per He habent. Superesse et nomen in, *Avatha*, urbe Phoeniciae, et *Abeje*, sede principis Drusorum, Paulo Lucae cap. 43. itinerarii per Asiam minorem et Africam memorata, idem §. 7. monuit. De hac ergo et urbe et gente ejusque situ, certi quid et geographici habere videmur.

Pro עִוָּה verbo, 2 Reg. XVIII, 34. XIX, 13. Jes. XXXVII, 13. malles sane, filum orationis praecedentis tenens, nomen urbis, regionis, regni, sicque et ex veteribus intellexerunt in Regum libro, LXX Ἀυα καὶ Ἀυα, vel Ἀβα, inque Jesaia monstrose, ἀναγουγαυα, ubique Aquila, Ἀυε καὶ Γαυα, Syrus, ܘܥܘܐ, Vulg. *Ana et Ava:* qua de re vide et sub הנע num. 578. scripta. Nomen si proprium, vix dubium, quin sit *Ava* eadem ad Tripolim et Berytum, Avvaeorum patria, urbs vel regio. Egre-

gie illa filo orationis concinit, devicta ab Assyriis, et vero inter devictas ultima, ut fas est, in jugo Libani ad mare mediterraneum: accedit, quod in eadem Jesaiae pericopa et Libanus memoratur ab Assyriis expugnatus, vastatus, cedrique, quarum silva illi regioni finitimae, excisae: c. XXXVIII, 24. Mihi prope certum hanc ab Assyriis devictam Avam eandem esse, ex qua colonos in agros Samaritanos eos deduxisse legebamus. Consentit Ikenius.

1841. עוז *fugere.*

עוז *fugere*, *confugere* ex Exod. IX, 19. Jes. X, 31. Jerem. IV, 6. VI, 1. in meliora jam lexica, ut, Simonis, receptum, collatumque Arabico عون *confugit* (*): aliis antea ad עזז referentibus, ac sive aliter explicantibus, aut fugam a *vehementia* vel *obfirmatione* dictam volentibus. Distinguenda erant duo verba: sed hic jam veteres adhaeserunt, nec mirum, cum עוז in sola, quam plerique ignorabant, lingua Arabica supersit. Sed de eorum erroribus nimis longa disputatio, non placitura lectoribus.

Verum et praeter haec loca, in lexicis melioribus commemorata, עוז *fugere*, occurrere mihi videtur Jes. XXX, 2. לעוז במעוז פרעה *ad confugiendum in asylum Pharaonis*, hanc versionem et suadente parallelismo sequentis membri, ולחסות בצל מצרים *et ad fugiendum sub umbram Aegypti.* Sic et explicare svadet grammatica, quod verbum per Vau scribitur: quamquam hoc septem Kennicottiani codices, id est, pauci ex multis, nec ullus insignis, omittunt. Fateor, hic nullum antiquorum praeivisse, quod res ipsa praeit: sed meminerimus et alibi nos ab illis in hoc verbo destitui. Chaldaeus et Syrus, plane ad עזז referentes, vertunt, *roborari robore* Pharaonis: LXX et Vulgata, עזר, ut suspicor legentes, quod est, *opem, auxilium ferre*, τοῦ βοηθῆναι ὑπὸ Φαραώ, et, *sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis.* Non mala sententia, facilisque literarum Z et N ac frequens permutatio: nullus tamen codex hucusque consultus לעזר dedit.

Huc

(*) e. g. Sur. 113. قل اعون بربّ الفلق من شرّ *Dic: confugio ad dominum diluculi, a malo quod creavit, et a malo lunae cum eclipsin patitur, et a malo feminarum insufflantium in nodos, et a malo invidentis cum inviderit.* Sur. 114. قل اعون بربّ الناس *dic: confugio ad dominum hominum, regem hominum, Deum hominum, a maleficio insusurrationis diaboli, qui insusurrat in pectora hominum, a daemoniis et hominibus.*

Huc quoque ex lectionis varietate, ſi non vera, certe tamen elegantiore, referendum Prov. VII, 13. Conſveta lectio הֵעֵזָה פָנֶיהָ ſine dubio vertenda, *obfirmavit faciem ſuam:* at ſeptem codices Kennicottiani העיזה habent, i. e. *refugere fecit*, *avertit pudibunda faciem ſuam*, ac ſi non auderet, amorem fateri. Utrum melius ſit dictum, lectorum eſto judicium: in lectionem certe tam pulcram magis inquirendum ab his, quibus codicum opes, nobis negatae, obtigerunt.

Jerem. XI, 15. אָז תַּעֲלֹזִי, LXX verterunt, *ἢ τούτοις διαφεύξῃ:* videntur תָּעוּזִי legiſſe.

Caeterum ex praeceptis grammaticis ſive verbum, ſive nomina inde orta ſi cum Vau ſcribuntur, ad radicem עוז referenda videntur, rariſſime enim verba mediae radicalis geminatae cum Vau matre lectionis ſcribuntur: at, ubi ſine Vau ſcribuntur, ſola grammatica non edicit, ad quam radicem referenda ſint, Vau enim mediae radicalis ſaepe, jam ex regula, jam ex libertate orthographica excidit. Haec copioſius in grammatica, quam paro, uberiore.

1842. עוז et מָעוֹז *perfugium, aſylum.*

A verbo, quod diximus, nomina Arabes faciunt, *perfugium*, *refugium* ſignificantia, عَوْذٌ, عَوَذٌ, مَعَاذٌ. Sic et, *refugii*, *aſyli* notione Hebraice poni videtur,

I) rarius, aut incertum, dubiae enim lectionis ſunt exempla, עוז. Non ſatis placet עֻזְּךָ *robur tuum* Pſ. LXXXVI, 16. hac orationis ſerie: *miſerere mei, da robur tuum ſervo tuo, et ſalva filium ancillae tuae.* At decem codices Kennicottiani עוזך, *perfugium tuum* habent, *da perfugium apud te ſervo tuo.* — — Job. XII, 16. nihil eſt, quod in עז ותושיה, *robur et ſolatium eſt apud ipſum*, deſiderem: ſeptendecim tamen codices Kennicottiani, praetereaque Niſſeliana editio, עוז habent, *perfugium et ſolatium* eſt apud ipſum.

II) Multo frequentius מָעוֹז. De Jeſ. XXX, 2. jam dixi, עוז במעוז פרעה eſſe, *confugere ad aſylum Pharaonis.* Sed praeterea, ſive in conſvetis editionibus, ſive ex varia lectione, occurrit,

Jud. VI, 26. ubi ex conſveta lectione, duobus modo codicibus Kennicotti Vau omittentibus, המעוז legitur. Sic erit, non, *caſtellum*, in quo clam ac nemine ſciente, ne offerri quidem ſacrificium potuiſſet, ſed, *perfugium*, *tutus ſitu locus in vertice montis.* על ראש המעוז הזה במערכה

במערכה intelligo, *in capite hujus montis, perfugii Israelitarum situ tuti, in quo adventante hoste in aciem congregari solebant.*

1 Sam. XXII, 13. pro המעזרני חיל, quod habet psalmus XVIII, legitur, האל מָעוּזִי חיל *deus est refugium meum forte*, i. e. invictum: habent tamen ibi XXXVI codices Kennicottiani sine Vau מעזי חיל *fortalitium meum invictum:* forte melius, certe usitatius.

Jes. XXV, 4. היית מָעוֹז לדל מָעוֹז לאביון *fuisti perfugium pauperi, perfugium egeno.* Non nisi duo codices Kennicottiani Vau omittunt: at מעזן *auxilium*, legisse videntur LXX et Syrus, *βοηθὸς*, ܡܥܕܪܢܐ et ܥܘܕܪܐ, quod in codicibus Hebraicis hucusque non repertum. Consvetae lectioni, meaeque explicationi, favet in sequente membro positum synonymum, מַחְסֶה *perfugium.*

Jes. XXV, 5. pro מָעֻזִּי XXVII codices Kennicotti מעוזי habent, quod si praeferas, ut mihi quidem praeferendum videtur, notanda et constructio, יַחֲזֵק בְּמָעוּזִי *prehendit asylum meum*, hinc ducta, quod ad asyla confugiens illa amplectebatur, angulos ut exemplo utar, altaris, ejus religione tutus futurus: sic simillima phrasi Syris ܐܚܕ ܒܡܥܘܕܢܐ *prehendere perfugium.* Lex. Syr. p. 26.

Joel IV, 16. מָעוֹז, sine lectionis varietate plene positum, idem est quod in membro praecedente מחסה, *perfugium.*

Ex eodem membrorum parallelismo lucet Nah. I, 7. טוב יהוה למעוז *egregius est Jehova ad perfugium*, — — *et novit* כל חוסי בו *omnes confugientes* ad ipsum.

Ps. XXVII, 1. *Jehova est* מעוז חיי *perfugium vitae meae*, asylum ad quod fugientis vita tuta est.

Ps. XXXVII, 39. מָעוּזָּם potius מָעוֹזָם vel מָעוּזָם punctandum, *perfugium illorum tempore angustiae.* At multi מעזם sine Vau habent, i. e. fortalitium eorum.

Ps. XLIII, 2. מָעֻזִּי *fortalitium meum*, LXXII testes Kennicottiani habent, מעוזי, quod praecedente vocabulo אֱלֹהֵי punctato, verterem, *quoniam tu, Deus mi, es perfugium meum.* Praeplacet tamen ibi, quod aliter divisis literis expresserunt LXX. Vulg. Chald. Hieronymus, sive אלהים עֻזִּי *deus, robur meum*, sive אלהים עוזי *deus perfugium meum.*

Ps.

Ps. LXXI, 3. pro צור-מעון, undecim codices Kennicotti, viginti septem de Rossii, et plures quam viginti editiones ab eo citatae, צור מעוז habent, egregio sensu, *petra refugii*. Sic et

Ps. XC, 1. pro מעון *auxilium*, pauci quidem, quinque codices a de Rossio memorati, מעוז habent, *tu domine, refugium fuisti nobis per omnes generationes*, sicque, tandem aliquando praeeuntes interpretationem, LXX καταφυγή, Vulg. *refugium*.

Dan. XI, 31. המעוז, quod non nisi unicus Kennicotti codex sine Vau habet, *asylum* significare videtur, nec tamen verba, חללו המקדש המעוז vertere velim, *profanabunt* (Syriaca urbi imposita praesidia) *sanctuarium asyli*, sed, *profanabunt sanctuarium, jam asylum*, i. e. jam Daphnen. Asylum notissimum in tota Syria ac prope unicum, Daphne, superstitione idololatrica et libidinibus infamis: hanc Daphnen imitabantur apostatae, pudendis etiam ac verecundiae invisis gymnasiis Hierosolymae invectis, templum et urbs sancta, proprio etiam nomine מקדש dicta, in Daphnen versa.

Puncta quae nomini substernenda, auctoritate codicum dicere nequeo, plerisque masoretharum, linguarum inscitia, ad עוז referentibus: mihi si quid liceret, ad analogiam nominis מָקוֹם mallem efferre, sing. stat. abs. מָעוֹז, const. מְעוֹז, plur. abs. מָעוֹזִים const. מְעוֹזֵי.

Haec quae de מעוז *asylo* diximus, maxime de Dan. XI, 31. forte ad veram obscurissimi nominis

1843. אֱלֹהַּ מָעֻזִּים vel מָעוֹזִים Dan. XI, 38. *deus Mauzzim*,

interpretationem nos deduxerint, qui *Deus* aliquis asyli Daphnes esse potuerit: sed paulo ordiamur altius.

Historia hic nos destituit, videmurque aliquid ignorare. Deus esse dicitur, quem majores Antiochi non noverant: ergo nullus ex Diis Graecorum fuit, sed deus peregrinus aliquis, forte et nobis ignotus, quod facile contingere possit, cum et historia hic hiatibus laboret, amissis plerisque quae de Antiocho Epiphane Polybius scripserat, et Graeci peregrinis Diis sua indere nomina soleant. Quantus deorum peregrinorum conquisitor fuerit Epiphanes, ex Athenaeo colliges, *libro V deipnosophiston* cap. 4. p. 195. πάντων παρ' ἀνθρώποις νομιζομένων ἢ λεγομένων θεῶν, ἢ δαιμόνων, ἢ ἡρώων εἴδωλα Daphnensibus in ludis solemnique pompa portata fuisse narrante.

 Ergo

Ergo et hic totus repudiandus, quem plerique habent, *Juppiter Olympius*, maxime patrius Graecorum deus. Praeivit illum recentioribus Porphyrius, teste Hieronymo: *Deum MAOZIM ridicule Porphyrius interpretatus est, ut diceret, in vico Modio, unde fuit Matthathias et filii ejus, Antiochi duces Jovis posuisse statuam.* Ridicule ille quidem, si nomen מעזים cum urbis *Modeim* nomine contulit, quod ܡܘܕܥܝܢ literis Syriacis scribitur, id est, Hebraicis, מודעים; nec temere crediderim, ab ignobili urbe Jovi nomen duci, qui Hierosolymis ipsis sub Epiphane colebatur: sed forte id non voluit acuti ingenii multaeque eruditionis Porphyrius, Jovemque suum potius ex 2 Macc. VI, 2. sumsit, ubi templum Hierosolymitanum nominari jubet Antiochus, Διὸς Ὀλυμπίου, *Jovis Olympii.* Quod si verum, nihil ad nostrum locum, de deo non Graeco agentem: nec tamen magnae fidei hic liber, digniorque fide primus Maccabaeorum nomen Dei, cui porco sacrificatum in templo, et cui in Modeim sacrificari jussum, non exprimit.

Fuerunt qui Jovem Capitolinum intelligerent, *Hugo de S. Caro*, *Calvinus* et alii. Is certe Deus dici peregrinus posset, patribus Antiochi ignotus, nec abluderet talis cultus ab Antiocho, res Romanas admirante, ridicule imitante, et humiliter his terrarum dominis adulante. Talis cum esset, omnes undiquaque superstitiones conquireret, miraculo proximum foret, si Jovem Capitolinum, quem Romani victoriarum suarum auctorem ferebant, ad quem et triumphos deducebant, non impense coluerit. Adde, quod in templo Hierosolymitano, in quod sui Dei cultum invehere destinatum habebat, suibus sacrificatum, quae victima non cuivis deo competit, est vero peculiaris in Italia Jovi in foederibus percutiendis, qua occasione Jovem Capitolinum primum noscitavit. Fateor, alias quoque Jovi Capitolino victimas oblatas fuisse, *maximam*, ut dicit Virgilius, *taurum*, sed ex omnibus eam Antiochus seligebat, quae Judaeis foret invisissima ac maxime opprobriosa. Adde, Romanos eum deos muneribus etiam coluisse, inque prima legatione *vasa aurea quingentum pondo misisse*, referente Livio libr. XLII, 6. *quae censores acceperunt, eisque negotium datum est, ut ponerent ea in quibus templis videretur.* Seriores Syriae reges sine dubio Jovi Capitolino dona dederunt, quorum unum Verris furto et sacrilegio celebre, exque orationibus Ciceronis in C. Verrem notissimum. Haec quidem addenda Hugonis sententiae duxi, reliquis omnibus verisimiliori, certi tamen nihil historia de Jove Capitolino ab Antiocho Epiphane impensius culto docet.

2 Macc.

— 2 Macc. VI, 2. si pro ξενίου legere liceret, ξένου, ita ut jusserit An-
tiochus, προσονομάσαι τὸν ἐν Γαριζὶν νεὼν, καθὼς ἐτύγχανον οἱ τὸν τό-
πον οἰκοῦντες, Διὸς ξένου, *templum in Garizin vocari*, *JOVIS PERE-
GRINI*, *quales* (peregrini seu exteri) *erant ibi habitantes*, haberemus sa-
ne aliquem ab Antiocho cultum Jovem Peregrinum, Phoenicium forte,
eadem phrasi, qua Deus Mauzzim versu 39. אלוה נכר vocatur. Fa-
vet correctioni, quod Samaritani, non ξένιοι, *hospitales*, sed ξένοι, *pe-
regrini*. Est tamen non nisi conjectura, et vero in libro non magnae fidei.

Hieronymus eam ipsam ob caussam, quod superstitionis avitae stu-
diosissimus fuerit Antiochus, negat, de eo Danielem intelligi posse, de
Antichristo potius vaticinantem. Sic ergo tempore N. T. aliquem Deum
מעזים ab antichristo colendum exspectabimus, eumque adeo, nimio fer-
vore disputandi, odioque papae invenisse sibi visus erat Lutherus in MIS-
SA pontificiorum. Non recordabatur Hieronymus quantum sit in histo-
ria quod ignoremus, maxime ubi de peregrinis diis sermo, quos statim,
ubi vel nomen audiunt, sua civitate, graecisque nominibus, Graeci, mor-
bo aliquo gentis, donant. Adde, quae supra de Antiocho peregrino-
rum numinum furioso conquisitore diximus.

Ignorato ergo hucusque deo ipso, de solo nomine, philologice at-
que etymologice dispiciamus. Ad עוז referentes, Arabs عزيز Syrus
ܚܣܝܢܐ *fortem* verterunt, Aquila, *Deum fortitudinis*. Aliquid ejusmo-
di et in LXX legit Hieronymus, *deum fortissimum*, sed nec in codice Chi-
siano, nec in Hexaplis Syriacis, quidquam ejusmodi inventum. Mihi
quidem nomen *Dei fortis*, et minus distinctum videtur, quam ut de certo
aliquo numine explicari possit, nec interpretatio satis grammatica, מעז
enim non robur est, sed fortalitium. Ergo, si cum masorethis אֱלֹהַּ
מָעֻזִּים efferas, erit potius, *Deus fortalitiorum*, quo nomine neutiquam
Deum aliquem belli, Martem intellexerim, cui vix satis honorificum, moe-
nibus claudi, sed *deum Ciliciae et Syriae septentrionalis*, quae Arabum geo-
graphis الثغور *claustra*, dicuntur. Vide Abulfedae Syriam p. 30. 31. et
quae sub שער excerpam. Sic barbarus forte illi regioni deus fuerit. Hoc
si sumas, in versu sequente, מִבְצְרֵי מָעֻזִּים expones, *fortalitia hujus re-
gionis limitaneae*. Nec tamen lucet sententia.

Equidem ausim, litera Zain non duplicata, מָעֻזִים, aut, quod mal-
lem מָעוֹזִים vertere, *asyla*, deumque intelligere *asylorum*, i. e. *asylo*

Daphnico praefectum. Hic quis Antiochi Epiphanis tempore fuerit, Juppiter Capitolinus, an alius, fortassis perquam turpis, asyloque dignus, historia non prodidit.

Hac sumta explicatione et versu 39 מבצרי מעזים, quibus omnes opes impendit Antiochus, *spectacula* erunt *Daphnica*. Vide num. 276. scripta. Et hic quidem tres Kennicotti codices cum Vau מעוזים habent.

1844. עוט *fodere* Jerem. XII, 9.

הָעַיִט Jerem. XII, 9. secundum puncta masorethica nomen est, sed perquam explicatu difficile, cum sequatur, nulla copula, צבוע, *hyaena*. Avem rapacem interpretantur, at lege haec: *num avis rapax hyaena est mihi haereditas mea? Avis rapax ab omni parte circa illam!* nec auribus placitura existimem. Hinc alii *avem digitatam i. e. unguibus armatam* interpretantur: verum et aliae aves digitatae recte dici possunt, non solae, quae unguibus lacerant. *Pictam* alii, i. e. *variegatam coloribus*, haene vero aut solae, aut prae reliquis rapaces? alii denique, *sanguine tinctam*. Parum haec verisimila, cum צבוע ex usu Arabum hyaena sit. Ergo Bochartus Hieroz. P. I. l. III. c. 12. p. 839. עיט non aves solum rapaces, sed et generatim *feras* esse vult; nullo linguae usu, in vocabulo Hebraeis frequentissimo, semperque de avibus posito. Sequutus tamen illum Venema *feram hyaenam* vertit. *Speluncam* intellexerunt LXX, idque עיט significare omnino ex غاط *fodit*, queat: satis bene sic procedit prius membrum, μὴ σπήλαιον ὑαίνης ἡ κληρονομία μου ἐμοὶ, quamquam ex praecedente versu hyaenam potius ipsam, quam speluncam hyaenae exspectasses: sed in his, quae sequuntur, plane displicet, ἢ σπήλαιον κύκλῳ αὐτῆς; hoc enim quid est, *spelunca* CIRCA *haereditatem*.

Ergo in bibliotheca jam Orientali priore, T. XV. p. 175. professus sum, mutatis mihi punctis הֵעִיט verbum videri conjugationis Hiphil ab עוט, Ar. غاط pro غوط *fodit*. Aptissima sic prodit indoli hyaenae sententia; *effodit mihi hyaena haereditatem meam, fodit illam circumcirca:* est enim hyaenarum proprium fodere, ac mortuorum etiam ex sepulcris effodere corpora.

1845. עול, *declinare a recto, alere, sustentare.*

Duo significare has literas, quae sic distinguunt, ut עוּל sit *alere, sustentare*, עָוַל, Vau mobili, *injustum esse*, ex lexicographis notum: in

quo

quo hoc unum suspensum tenere lectorem possit, quo modo tam diversae notiones coierint.

Arabicum quidem عال pro عول ex propria significatione est, *declinare, peculiariter, a justo.* Huc injustitiae significatio in verbo ejusque derivatis referenda.

Idem verbum et est: *sustentavit aluitque familiam, multos habuit sustentandos, numerosa familia fuit,* sed haec quidem ex radice med. Jod orta, ac denominativa videntur, ab عَيِّلٌ, plur. عِيَال *domesticus, qui ad aliquem pertinet,* (2 Sam. XV, 22. pro אנשיו seu potius Syriaco ܐܢܫܘܗܝ) مُعِيلٌ *numerosam habens sobolem* unde et in sec. faciunt عَيَّلَ *male nutrivit,* e. g. per campum libere dimittens equum, et in quarta أعال *habuit familiam numerosam, complures sustentandos domesticos.* Familia autem, servorum maxime, unde dicta, non liquet, certe non ut volunt a nutriendo, quod potius denominativum; forte, *qui a latere alicujus sunt,* est enim et عيل *movere se in latera.* Sed has inaccessas etymologiae ac primae omnino significationis tenebras pervadere non ausim. Habent Arabes et غول *lactare*, ad quod referre Hebraicum עול Jes. XLIX, 15. LXV, 20. lactentemque puerum vertere possis; sed laboramus hic, quod ex solis Arabum lexicis verbum ejusque derivata novimus. Haec quidem explicant, nullo exemplo addito, *gravida, vel cum viro concumbens lactavit infantem mulier:* duae significationes coierunt, *lactandi*, et, *concumbendi*, sed utra ex his propria verbi sit, ignoramus. Certi quid haberemus, si quis sive ex libris exempla adferret, sive quid verbum in quotidiano Arabum sermone significet, nos adcuratius doceret. Vide tamen infra sub עלות dicenda, quae pro lactatione faciunt.

De לְהַוָּתִי יֹעִילוּ Job. XXX, 13. supra sub radice יעל num. 1014. egi, aliqua huic me loco servare professus, possit enim יֹעִילוּ punctatum et ad hanc radicem referri. Vertit Vulgata: *insidiati sunt mihi, et praevaluerunt.* Utrumque significare ex Arabismo verbum possit: عال pro عول inter alia est, *superior fuit, vicit,* confusione fortassis cum עלה vel יעל, — — atque غال pro غول *invasit derepente et de improviso obruit,* inque octava اغتال ponitur Genes. XXXVII, 18. pro התנכל *dolose agere, insidiari,*

diari, itemque Num. XXV, 18. בנכליהם אשר־נכלו לכם باغتيالهم الذي اغتالوكم به *dolis vel insidiis, quibus circumvenerunt vos*, Prov. XXVI, 18. ان يغتال pro Graeco ἐπιβουλεύειν. (Debeo haec exempla Castello, sed qui ea ad غيل retulerat.) Est certe non improbabilis, ac, prope dixerim, reliquis melior verborum Jobi versio, *insidiose parant mihi exitium.*

1846. עַל *lactens puer* Job. XXIV, 9.

Displicent in his verbis, sic punctatis, וְעַל עני יחבלו, quod fere recentiores habent, praeeunte Chaldaeo, *pignus a paupere accipiunt*, primo praepositio עַל constructioni parum apta, dicendum enim potius fuisset, ועני, vel, ומעני, deinde, quod post atrocissima quae praecesserant, *rapiunt ab ubere orphanum*, haec nimis lenia, *a paupere pignus capiunt.* Potius hoc ipso praecedente membro indice, עָל per Kamets scribendum, *lactentem* intellexerim, eundem qui alias עול vel עולל, *lactentem inopis pignus accipiunt.* Sic Syri ab עול, ܥܘܠܐ *lactens*, et ܥܝܠܐ *pullus.*

Pro nomine etiam habuit, et *vulgum pauperem*, vertit, Hieronymus, quid spectante sive ipso, sive Lyddensi, quam in Jobo maxime sequitur, Rabbino, nondum adsequor.

1847. עויל Job XIX, 18. XXI, 11.

Non nisi bis occurrit, sensu non prorsus eodem, utrobique tamen ad Arabicum عَيِّل, عِيَال, *familia, domestici*, referendum. Job. XXI, 11. non dubito, quin עויליהם sint, *ipsa eorum soboles, et vero copiosa:* at haec significatio alteri loco c. XIX, 18. parum apta, Jobo enim, haec conquerenti, גם עוילים מאסו בי, nulla soboles relicta. Nec rem expedit, qui generatim ינקיא *lactentes* vertit Chaldaeus, lactentes enim ad hominem leprosum adferri vix solent, ut spernere illum aut obloqui possint. Ergo omnibus melius, *nutritios, sobolem servorum Jobi, vernas*, intellexit Schultensius: acerbissimum puellos, et vero servorum, domi Jobi natos educatosque, eum spernere, obloqui, adcusare.

Syrus, ut nunc punctatus, ܥܘܠܐ *injustos* vertit, quod vocabulum quidem ab עָוֶל omnino significare possit, sed obstat praecedens גם ETIAM, superfluum et languidum. Theodotion ἄφρονες, exque eo Vulgata, *stulti,*

ti, incertum, utrum אוילים legentes, ut codex habet Kennicotti 173, (Havniensium tertius) an, utrumque vocabulum confundentes. LXX, non boni Jobi interpretes, utrobique invita grammatica vocabulum non intellectum ad עוֹלָם retulerunt, οἱ εἰς τὸν αἰῶνά με ἀπεποιήσαντο, et c. 21. μένουσι ὡς πρόβατα αἰώνια.

1848. עָלוֹת Genes. XXXIII, 13. 1 Sam. VI, 7. 10. Pf. LXXVIII, 71. Jes. XL, 11.

Inter, *lactantes*, et, *gravidas*, non ambigere solum lexica videas, sed et aliquando diffidere antiquos: est ergo ejusdem fere ambiguitatis ut supra p. 1859. Arabicum غبل. Equidem certi nihil generatim decernere ausim, at pro *lactantibus* sane facit 1 Sam. VI, 7. 10. vaccarum enim עָלוֹת vituli domi cohibentur: lactantes ergo, non gravidae erant. Ex hoc loco conjecturam faciens, et ubique lactantes intelligere malim, et verbi Arabici غبل primam significationem *lactandi*, a pinguedine ductam, facere.

1849. עוּן, (verbum.)

Plures habet verbum significationes, ex diversis ut videtur radicibus, quibuscum haec confusa.

I) *Habitare*, unde מָעוֹן habitatio. Est haec significatio Hebraicae linguae quodammodo peculiaris, nisi quod possit forte ad eam referri عون in sec. *marito juncta fuit*, ortum ex, cohabitavit. Simonis comparat Arabicum غني, *commoratus fuit*; veri ille simillime, cum et hoc verbum significet, *uxorem duxit*: ergo hic verbum med. rad. Vau, quod saepe accidit, ortum ex tert. rad. He. Syriacum ܥܢܐ *consortium habuit*, melius omisisset: est ex Castello, quem hic emendare oblitus sum, summum, in exemplis quae addidit, Sirac. VIII, 1. 2. est potius, *rixari*, positum pro Graecis, μὴ διαμάχου et μὴ ἔριζε: Sir. IX, 3. vertendum erat, *ne colloquere cum meretrice*. Sed gratiae habendae viro pro his, quae primus, ni fallor, vidit ac monuit.

Verbum ipsum hac significatione in plerisque lexicis, (Castellianum excipio) ex codice Hebraico non citatur: invenerunt tamen LXX Jes. XIII, 22. וְעָנָה אִיִּים (sic tono retracto legendum) καὶ ὀνοκένταυροι ἐκεῖ κατοικήσουσιν, nomine plurali inhumano, ut solent Arabes, cum verbo singula-

gularis numeri feminini generis constructo. Res dubia, inde pendens quid ex איים facias: plurale si est, עָנָה *habitavit*, praeferendum, sin, ut puto, singulare, cum מ radicali, (أَيْم serpens) עָנָה *respondebunt sibi.*

II) *Juvare*, *opem ferre*, frequentissima significatio Arabici عون, et verbi et derivatorum inde nominum. Exemplorum quantum satis est collegit in Arabico lexico Castellus, ut hac opera supersedere possim, licet permulta mihi pater Golio suo adscripta, reliquerit. Et hoc verbum sub ענה habent Syri, ܥܢܐ *opitulatus est*: quo manifestior radicum ענה et ערן permutatio. Hac significatione verbum in codice Hebraico non occurrit, est tamen, ob nomina inde orta, scitu necessaria.

III) Est et ubi, sed punctis masorethicis desertis, ut denominativum ab עַיִן oculus, esse videtur, *observare curiosius*, quin et, *insidiari*, *invidere*. Arabes ab عين in tertia conjugatione faciunt عاين *vidit*, *intuitus est*, *explorator evasit*, et in quarta, *ex alto observando respexit*, *custodivitque*. Aethiopibus ipsum עין est, *explorare*, ut 2 Cor. X, 12. Chaldaei inde faciunt aliquod quadriliterum עַיֵּין, *adcurate contemplari*, in lexicis omissum: e. g. יֶחֱזֶה Hebraicum Job. VIII, 17. Chaldaice redditur יְעַיֵּין.

Hoc quidem verbum secundum ipsa puncta masorethica in textu Hebraico, sed in malam partem acceptum, *suspiciosis vel malevolis oculis observare*, occurrit 1 Sam. XVIII, 9. ויהי שאול עֹוֵן את דוד, sic in Chethib, in Keri, עֹיֵן, sicque et acceperunt, LXX, καὶ ἦν Σαοὺλ ὑποβλεπόμενος τὸν Δαυὶδ, Vulgata, *non rectis oculis adspiciebat*, Chaldaeus הוה כָּמֵין *insidiabatur* (nam et insidiari ab obliquo adspectu aut nimis curioso dici potest) Josephus, Ant. VI, 10, 1. φοβεῖσθαι καὶ ὑποπτεύειν ἤρξατο τὸν Δαυίδην. Syrus ejusque sequax Arabs, plane, *odisse*, vertunt, (ܠܡܣܢܝܘ et أن يبغض) malevolo et torvo adspectu pro odio posito, quod et latini, ubi maximum est et implacabile, *invidiam*, vocare solent. Sed jam ad alia accedo, a punctis masorethicis diffidentia.

1 Sam. II, 29. מָעוֹן quod masorethae voluerunt, male explicatur, *quod praecepi in habitaculo*, scribendum enim בְּמָעוֹן fuisset. Certe si puncta masorethica tenere velimus, aliter explicanda sunt, quod infra sub

מעון

מְעֹן faciam. At ut verbum poſſis efferre, כְּמָעֹן, atque de *inſatiabili*
oculo, plura ſemper cupiente, intelligere: *ſpernis ſacrificium meum, invido et*
inſatiabili oculo pinguiora adpetens. Ad oculorum certe inpudentiam retu-
lerunt LXX. ἐπεβλέψατε ἐπὶ τὸ θυμίαμά μου καὶ εἰς τὴν θυσίαν μου ἀν-
αιδεῖ ὀφθαλμῷ. Fateor tamen, cum pluralis praeceſſerit, ותבעטו,
aliquam ſic anomaliam numeri admittendam, eſſe enim debuiſſet, מְעֹנִים:
ergo aliam explicationem me daturum promiſi. Syrus quid ſpectarit, *a*
deſerto (מָעוֹן) vertens, non adſequor.

Ibidem v. 32. poſſis et his inſtructum vocalibus, והבטת צַר מְעֹן
et intueberis hoſtem (aemulum, tibi praelatum ſacerdotem,) *invidens, in ſum-*
ma Iſraelis felicitate. Nec tamen ſuſus ſum verſioni germanicae inferre.

Pſalm. XL, 13. diſplicere poſſit pſalmum de Chriſto interpretanti,
השיגוני כל עֲוֹנֹתַי *adſequutae me ſunt omnes iniquitates meae,* expers
enim iniquitatum Chriſtus. Propoſueram ergo in collegio in hunc pſal-
mum critico p. 410. non ſtudio quidem partium, ſed quod tum valde
placeret, aliam et punctationem et interpretationem: עֲנֵתַי וְלֹא יכלתי
לראות, *proſpicio* mala mihi minantia *obliquis timidisque oculis*, *nec audeo*
illa intueri. At poſtquam ex Kennicotti bibliis intellexi, plures quam quin-
quaginta codices plene עונותי habere, fatendum, huic certe lectioni no-
vam interpretationem aptari non poſſe.

Pſ. XLIX, 6. ſuſpicari me, aliis vocalibus עונתי ſubſtratis legendum
eſſe, *quid timeam diebus infortunii,* עֹוֶן עקבי יסבני *cum obſervans calcaneos*
meos, (inſidias greſſibus ſtruens) *undique circumdat me,* in bibliotheca Or.
priore T. XII. p. 157. profeſſus ſum. Non diſſimulo, id mihi indies fa-
ctum veriſimilius, licet verſioni germanicae intexere nondum auſus ſim:
in עֲוֹן עֲקֵבַי *cum culpa calcaneorum meorum circumdat me*, aliquid ineſſe
nimis ferociens videtur. Vix ſatis aut pium, aut modeſtum: *cur timeam*
debitas delictorum poenas. Sed hic ex ſuo ſenſu, qui non omnium unus
eſt, quisque ſtatuet.

Job, XXXI, 11. 28. diſplicere mihi עֲוֹן פלילים *culpam judicum*, i.
e. *grave delictum, in foro etiam humano criminale,* jam ante plures quam
triginta annos in adnotationibus ad Lowthi praelectiones de poeſi dixi, et
poſtea, copioſius additis rationibus, in bibliotheca orientali priore T. VIII.
p. 209. ſeqq. expoſui. Eſt miſera deſcriptio pietatis, *adulterium et idolo-*
latriam

latriam fugio, sunt enim crimina quae a judice puniuntur, quamvis hoc ne tempore quidem Jobi in idololatria verum. Nec פליליי *judex*, sed, *arbiter*: extenuatio criminis, et vero perquam in adulterii mentione turpis, culpam esse, ab arbitro aestimandam, *i.* e. pecunia redimendam. Nec magistratui judicibusque suberat Jobus, sui juris, ut Arabico vocabulo dicere solemus, Emirus.

Ergo hic, והוא עָוֹן פליליי effero, atque interpretor, *et ille observat, judex, vel arbiter meus,*

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit,
A luce prima ad vesperam.
Hic testis est hic arbiter,
Hunc nemo fallit judicem.

Haec poetae verba commentarius prope etymologicus in locum Jobi, de quo non cogitabat. Puncta eo magis licuerit mutare, quod עָוֹן פלילים ipsum non sine vitio grammaticali, *culpa judicum*, verti potest, in statu enim constructo עֲוֹן ponendum fuisset. — — Caeterum v. 11. in consvetis editionibus legitur והוא עון פלילים quod equidem verterem, *ipse est judicum observator*, supremus omnium judex. At vel ibi והוא עון פליליי habent, VII codices Kennicotti, XIV. de Rossiani, atque aliquae a de Rossio indicatae editiones, idque praetulerim.

2 Paral. XXXIII, 6. וְעוֹנֵן *(ex nubibus auguria captavit)* ad nostram radicem retulit Syrus, vertitque ܐܬܚܙܝ ܥܝܢܐ *fascinavit oculis*, de oculo maligno et fascinatione Arabum cogitans. Non probo, sed Syrum interpretaturus retuli.

Non ea hic modo, quae certa mihi videntur, sed et verisimilia, dubia, atque errata veterum posui, lectoribus judicibus scribens.

1850. עוֹן *auxilium* Jes. XXX, 13.

Erit vobis הֶעָוֹן הַזֶּה *culpa haec:* sic puncta masorethica, veteresque interpretes omnes. Mihi, cum in toto capite de *auxilio* Aegypti, quod petunt, sermo sit, efferendum videtur, הָעֹוֹן הַזֶּה *auxilium hoc*, idem quod Arabicum عَوْن *auxilium*, et *auxiliator, adjutor.* (Phil. III, 25. pro συγ-

συνεργὸς ponitur.) Aegre ab omnibus secessionem facio, sed suadet argumentum totius capitis.

1851. עוֹנָה *cohabitatio, debitum conjugale.* Exod. XXI, 16.

Sic sine dubio ex filo orationis, verbique quam primo loco posui significatione accipiendum. Multis in lexicis ubi legis, *tempus*, interpretatio est rei ipsius, ex Thalmudicis hausta, non vocabuli aut etymi. Certo ac stato tempore debebatur uxori concubitus in populis palygamis. Vide jus Mosaicum, §. 118.

1852. מָעוֹן *auxilium, victus quotidianus.*

Non habitaculum modo, quod solum lexica habere solent, significat, sed et, ex secunda verbi significatione, *auxilium.* Sic sane accipio ex consveta lectione, מָעוֹן Ps. XC, 1. *domine auxilium fuisti per omnes generationes:* absurdum enim dictu, *habitaculum fuisti nobis.* Alios ibi legisse מָעוֹז *perfugium*, supra jam pag. 1855. monitum.

مَعُون *auxilium, adjumentum*, Arabes quoque vocant, *quo quis ad vivendum adjuvatur.* Sur. CVII, 7. objurgat Muhammedes illos, qui preces quidem ut orthodoxi fundunt, pietatemque prae se ferunt, sed *simulate agunt* ويمنعون الماعون *et negant*, seu, non dant *adjumentum*, ubi interpretes Muhammedani, alii quidem *eleemosynam* intelligunt et *tributum sacrum*, alii, *quidquid est ad usum hominum, ut, acus, securis, olla, patina,* alii denique, traditionem Aisae uxoris Muhammedis sequuti, *ignem, aquam*, et *salem.* Vides esse, quae ad victum humanum pertinent, et quae, ex Lutheri explicatione catechismi, panem quotidianum dixeris. Sic quidem, si puncta sequamur masorethica, accipiendum reor 1 Sam. II, 29. *cur spernitis sacrificia mea,* אשר צויתי מָעוֹן, *quae constitui vobis adjumentum*, i. e. *victum.*

מָעוֹן et מְעוּנִים, nomina propria, quaere supra sub מעו n. 1436.

1853. עִוְעִים Jes. XIX, 14.

LXX πλανήσεως, Syr. et Chald. מְעוּ *erroris*, Vulgata, eleganter quod a potu inebriante desumta locutio, *vertiginis:* quadriliterum referendum ad غوى *errare, seduci.* — — ܥܘܥ Syris est, *vagire*, غاغ *locustae vix dum volare incipientes seu potius tentantes*, sed haec reliquo versui

sui non apta, qui, ut ex sequente membro manifestum, de errore et seductione agit.

1854. עָפַף, עוּף.

Volare, et *vela dare*, velo ut ita dicam navium volare, saepe inter se figurate permutantur. Nota explicatio fabulae de Icaro, Virgiliique illud Aen. VI, 16. de volante per aëra, *insvetum per iter gelidas enavit ad Arctos*, et 19. *remigium alarum*. פרח, מפרח *volare*, simillima figura de motu piscium per aquam a Chaldaeis usurpatur, ut a Jonathane Deut. XIV, 9. unde et Syris, Samaritanis, Arabibus, pinnulae piscium, *alae*, dicuntur.

Sic ergo, memor, Aegyptiis, Hebraeis, multisque aliis gentibus mythologiam esse de insulis mortuorum trans latum mare, qua de re in epimetro ad nonam Lowthi de poesi sacra praelectionem copiosius egi, Ps. XC, 10. וַנָּעֻפָה accipio, *trajicit cito, et volamus* i. e. *vela damus*. Eodem et refero, maxime cum Jobi liber sit imaginibus, phrasi, verbis, Mosaicorum simillimus (*), Job. XI, 17. תָּעֻפָה, vel, ut XXIII Kennicottiani testes habent, תְּעוּפָה *navigabis* ultra hoc latum mare mortis, *erisque ut diluculum*. Vide versionem Germanicam, tenens ac persequens filum orationis. Unum, quod mihi interpretationem verisimillimam dubiam quodammodo facit, He est paragogicum, rarius post verba secundae personae poni solitum. Ergo, cum mutatis punctis, תָּעֻפָּה efferri possit, evolve et radicum עפה.

מְעוֹפֵף Jes. XIV, 29. XXX, 6. de שָׂרָף, serpentis genere positum, plerique serpentem *volantem* interpretantur, cumque serpentes volantes soli pictores habeant, boreales maxime, non rerum natura, molliunt doctiores sententiam, *et celerrime se ejaculantem*, ut volare videatur, *jaculum* intelligunt. Sic quidem non reprehendenda interpretatio. Praeplacet tamen, quod in priore loco Vulgata habet, *absorbens volucres*, adnotante in commentario Hieronymo, *pro eo, quod nos posuimus, et in Hebraeo scriptum est* SARAPH MEOPHEPH, *interpretari potest, serpens volucris:* ex quo adparet, non imprudenter eum, aut alia legentem ita vertisse. Sic erit verbum denominativum, ab עוף avis, quod equidem, *capientem aves, aucupem*, vetere malim. Rem totam expediet Plinius l. VIII. §. 35. prope ab initio: (vulgatum est) *cerastis corpore eminere cornicula, saepe quadrigemina, quorum motu, reliquo corpore occultato, solicitent ad se aves.*

(*) *Einleitung in das A. T. §. 13.*

Ver-

Vertiginis notionem verbo Jud. IV, 21. et nominibus inde derivatis
passim dederunt lexicographi: mallem *deliquii*, et vero illo in loco, mor-
talis. Sic res ipsa exigere videtur, verbo, medio loco inter נרדם *alto*
sopore oppressus, et וימת *mortuus est*, posito, והוא נרדם וַיָּעַף וימת.
Olli, ut Virgilius in fine Aeneidis, *dura quies oculos, et ferreus urget*
somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem. Sic et ex veteribus, Chal-
daeus, אִשְׁתַּלְהִי, Symmachus, ἐλειποθύμησεν, Vulgata, *soporem mor-*
ti consocians defecit et mortuus est: proximi his, qui de convulsionibus in
ipsa morte acceperunt, Graeca versio alia ἐπεσκάρισεν, *jactavit sese*, Sy-
rus [illegible] *turbatus est*, quod Arabs reddidit, تضرب *jactavit sese.*
Deliquii haec notio referenda ad verbum, quod infra vide, עיף, sive, utra-
que radice med. rad. Vau et Jod, ut frequentissimum Hebraeis, confusa,
sive, quod prope malim, וַיָּעַף per Patach ad radicem יעף relato. Est ta-
men et quod pro jactatione et convulsione mortali aliorum interpretum
adferri possit, Arabicum غيف *nutavit*: sed prius mihi verisimilius.

Hanc deliquii, aut, ut volunt, vertiginis notionem, ortam cen-
sent haud pauci lexicographorum, et vero in his vel primarii, a *caligine*,
quae oculis obducatur, eamque unam ex primis volunt esse hujus radicis
derivatorumque significationibus. Praeiverunt hoc ipso in loco, LXX.
ἐξεστὼς ἐσκοτίσθη καὶ ἀπέθανε. Jam in eum locum incidi, in quo non
possum non ea, quae certa visa sunt lexicographis ante me omnibus recen-
tioribus, in dubium vocare.

Ergo volunt עוף cum suis derivatis esse, *caligare*, mirum, cum ali-
qui hoc dicentium ei et dent, *splendendi* ac *fulgendi* significationem, aeque
conjecturalem. Haec ut non singula prosequar, id ante omnia unum
monuisse sufficiat, *caliginem, tenebras*, quas effinxerunt interpretes, sub
his literis plane non habere reliquas linguas Orientales, ne Chaldaicam
quidem Judaeorum, quae multis interpretamentis Hebraicorum verbo-
rum ditata Rabbinicis figmentis opitulari solet. Ergo hoc ut planius di-
cam, praeter

1) *volandi* notionem, quam sub عوف et عيف Arabes, inque
derivatis Chaldaei habent, est

2) Arabibus عوف *imminuit*, *captavit praedam*, et عيف, *in aëre*
imminuit, *odoratus fuit*, (ut volucres solent, praedam quaerentes, al-
lectaeque odore): manifeste ab עוף, *volucris*.

3) عيف *auguratus est*, et hoc denominativum, ab, עוּף, *avis*, plane ut latinum, *augurari*.

4) غيف *nutavit*, pusillanimis fuit, idem Hebraico עיף, quod infra vide, et de quo jam obiter dixi.

5) ܥܦ *duplicari* Syris Chaldaeisque. Ortum, nisi fallor ex עפף Syriace ܥܦܦ, ut saepe verba med. rad. geminatae, et med. rad. Vau permutantur.

Nihil in his ejus notionis, quam sumunt lexica, *caliginis, caligandi*. Sed nec ullum ex Hebraicis adfertur probans exemplum, omnibus aliam, linguis Orientalibus consentaneam explicationem admittentibus: veteresque evolvens, plerumque videas, paucos illorum *caliginem*, quae se hic recentiorum affundit oculis, vidisse.

Jes. VIII, 22. מְעוּף צוּקָה et v. 23. (IX, 1.) לֹא מוּעָף, optime possit ad *deliquii* notionem, dum malis succumbimus, referri, *desperatio sub angustiis et caligo dispellitur! non desperabit, quae nunc angustiis premitur*: sicque jam ex veteribus praeiverunt, Chaldaeus, שָׁלְהֵי עָקָא *defatigatio angustiae*, et לָא יִשְׁתַּלְהֵי *non defatigabitur*, vel *deficiet*, LXX ἀπορία στενὴ, et οὐκ ἀπορηθήσεται ὁ ἐν στενοχωρίᾳ, *non desperabit qui sub angustiis est*, Syrus, *non turbabitur*.

Amos IV, 13. עֹשֵׂה שַׁחַר עֵיפָה plane hujus radicis non est, sed עיף, ubi quaere: ad nostram radicem si referres, expeditissime verti posset, *faciens Auroram volare*, proprie, *volatum*. Ibidem et quaere עֵיפָתָה Job. X, 22.

Prov. XXIII, 5. התעיף עיניך בו, quod ad caligandi significatum retulerunt aliqui, optime ex consveta ac certa verbi notione expeditur: *num volabit oculus tuus post illas, ubi nuspiam sunt; facient enim sibi alas ut aquila et volucris coeli.* Hanc quidem explicationem svadet series orationis, de avolantibus divitiis loquentis: quod nisi esset, vertere et possis, *defatigabiturne in illis oculus tuus, ac deficiet.*

De תָּעֻפָה vel תְּעוּפָה Job. XI, 17. quod ipsum et aliqui ad caligandi notionem referunt, supra p. 1866. dictum, diceturque sub עֵפָה. Caeterum non pro verbo, sed nomine, (תְּעוּפָה) habet Dreslerus in explicatione locorum quorundam Jobi, *caliginem* vertens. Praeierat, quem non inspexit, Syrus, ܥܰܦܠܳܐ ܐܰܝܟ ܨܰܦܪܳܐ ܢܶܗܘܶܐ *caligo ut Aurora erit.* Eximia

mia

mia ac pulcra ſententia; cui unum obſtat, quod caligandi notio reliquis linguis Orientalibus ignota, nec ullo certo exemplo probata. Fuerunt et ex veteribus, qui pro nomine haberent, ſed aliter interpretati: Chaldaeus, *ſplendorem tenebroſum*, i. e. primum diluculum. LXX ἡ εὐχή σου ὥσπερ ἑωσφόρος, *preces tuae ut aurora*, perquam obſcure: ſed credo eos αὐγή ſcripſiſſe, *ſplendor tuus*, *diluculum*, *erit ut aurora*.

Nempe et, *fulgere*, *ſplendere*, eſt in ſignificationibus nullo uſu linguarum Orientalium verbo obtruſis: fueruntque qui hoc ut primarium antiphraſis exemplum citarent, idem verbum, *tenebras* et *fulgorem* ſignificare (*). Atqui utraque ſignificatio fictitia, et lexicis credita. Exemplum adferre ſolent, Ezech. XXXII, 10. בעופפי חרבי על פניהם quae tamen ex vulgatiſſimo verbi uſu verti poſſunt ac debent, *cum volare fecero i. e. vibravero gladium meum*, volandique ſignificationem expreſſerunt LXX et Vulg. ἐν τῷ πετᾶσθαι τὴν ῥομφαίαν μου, *cum volare coeperit gladius meus*. Fateor, et hic liberius ac ſonantius poni poſſe, *coruſcare gladium*, ſicque fere Syrus ܡܐ ܕܐܨܡܚ ܣܝܦܝ, verum non inde ſequitur, ut עוף ſit, fulgere. Haec tamen ſignificatio jam ut antiphraſtica, (הפך) in Kimchii lexicon recepta, unde et latius manavit ad credulos Rabbinorum adſeclas. Sapientius dubitanter poſuit Reuchlinus, cujus verba adſcribo, cum, quod in paucorum manibus ejus lexicon eſſe exiſtimo, tum quod plura continet loca, quibus illo tempore fulgendi ſignificatio aptabatur. *Significatio*, inquit, *horum vocabulorum eſt obſcuritas et tenebrae. Sunt, qui e contrario motum inſtantaneum, illuminationem ſubitam, illuſtrationem, vibrationem, fulgurationem et coruſcationem eo verbo ſignificari volunt: Ezechielis 32, cum volare coeperit gladius meus ſuper facies eorum, rectius ſic, in vibrando me gladium meum, id eſt, cum faciam coruſcare ſeu fulgurare gladium meum, eſt enim verbum tranſitivum. Et Jeſ. XI, (14.) et volabunt in humeros Philiſtim, id eſt ſubito movebuntur, ſeu fulgurabunt. Et Job. III.* (v. 4. quod tamen male citatur, cum ibi ſit תופע) *nec illuſtretur lumine: et geminata Phe, ut in eodem loco* (Job. III, 9.) *nec ortum ſurgentis aurorae, quod Hebraice ſic legitur: et non videbit fulgorem aurorae Rabi Salomon interpretatur ſplendores.* His lectis, pro noſtri ſeculi more Hebraïſmi mediocriter peritus, ſtatim videt, commentitiam eſſe, Judaeisque creditam ſignificationem, ac poſſe loca omnia ex certis et notis ſignificationibus explicari.

Deleri ergo et *tenebras* et *fulgorem* ex lexicis velim.

1855.

(*) e. g. Mercerus. Vide Schultenſium ad Prov. XXIII, 5. pag. 289.

1855. עוץ, *Guta* Arabum, *vallis Damascena*. Genes. X, 23. Job. I, 1. Thren. IV, 21.

Bochartianae sententiae accedo, עוץ esse vallem Damascenam, Arabibus غوطة dictam, eamque copiosius et confirmavi, et contra aliquas objectiones defendi in *Spicilegio geographiae Hebr. exterae* T. II. p. 126–135. De subscriptione Syriaca et Graeca, libri Jobi, עוץ jam ad Euphratem, jam in confiniis Arabiae et Idumaeae, ponente, quam primarii etiam viri sequuti sunt, actum in §. 3. *introductionis in Vet. Test.* pag. 15–21. Recens est, nulliusque fidei haec subscriptio, ipsa sibi in Ausitidis situ definiendo contradicens.

1856. עוק Amos. II, 13.

Verbum non nisi Amos. II, 13. obvium, ibique quodammodo dubium. Syris, Chaldaeis, Samaritanis, עוק sine dubio idem quod צוק, *premere angustare*, quo verbo et hic interpres Chaldaeus Syrusque usus: inque derivatis, עָקָה, et מוּעָק Ps. LV, 4. LXVI, 11. nullum dubium, quin ad hanc significationem sint revocanda. At in loco Amosi, et vero in utroque versus membro, est aliquid impediti. Pro אָנֹכִי מֵעִיק תַּחְתֵּיכֶם *ego premam sub vobis*, malles, *ego premam vos*, et pro כַּאֲשֶׁר תָּעִיק הָעֲגָלָה *sicut premit currus plenus manipulis*, passive, *sicut premitur currus*. Sed nulla in his est lectionis varietas.

Hic vero Vulgata habet, *stridebo subter vos*, *sicut stridet plaustrum*, quod optimus suorum verborum interpres, Hieronymus, in commentario sic eloquitur: *sicut plaustrum stipulae et foeni onere praegravatum, stridore et sonitu longe exululat.* Sic et Graecus anonymus, τρίζήσω. Erit, quod Plinii verbo dixisset, gemit currus. Concinnam sententiam verbum ita acceptum funderet: *stridere et gemere faciam ima vestra, ut gemit stridetque plaustrum manipulis praegravatum.* Habet et verbum apud Arabes aliquam soni significationem, عاق enim pro عيق est, *vociferari*, et غاق *sonus crocitantis corvi.* Haec expono ut verisimilia, sequi in versione germanica non ausus sum. — — Quid spectantes LXX *volvere* verterint, κυλίω ὑποκάτω ὑμῶν, ὃν τρόπον κυλίεται ἡ ἅμαξα, ignoro, nec satis eos intelligo: nulli certe Orientalium linguarum עוק est, *volvere*.

1857. עור.

Varias et disjunctissimas habet significationes, partim inde, quod ע dupliciter adpellari poterat.

1) *Evigilare*, aut transitive, *expergefacere*. Haec Hebraicae linguae perquam frequens, Arabicae ignota, sed habent Chaldaei, atque sub ܥܝܪ Syri.

2) Media rad. dagessata, עִוֵּר *coecum* designat, verbaliter *excoecare*. Habent eadem plane notione Aethiopes: paulo molliore Arabes sub عَارَ *oculo uno privavit*, *occoecavit*, itemque intransitive, *luscus fuit*, Syri latius, ܥܘܪ, et, *orbavit*, et *oculis privavit*, *excoecavit*.

3) Fueritne et Hebraeis idem quod עָרָה *nudus fuit?* Ita certe accipiunt non pauci Habac. III, 9. nulla lectionis varietate scriptum עריה תֵעוֹר קשתך *nudando nudatur*, i. e. ex theca eximitur et dirigitur *arcus tuus*. Sic videntur accepisse, LXX. ἐκτείνων ἐκτενεῖς τὸν τόξον σου, *intendens intendes arcum tuum*, et Chald. אתגלאא אתגלית *revelando revelatus es*. Kimchi ad h. l. עריה *habet significationem* גלוי *revelationis* vel ostensionis manifestae, *ut, revelatum est brachium tuum.* תעור *eandem significationem habet, licet non sit ejusdem radicis.* At alii ad *excitandi* notionem retulerunt, anonymus graecus, ἐξεγέρθη, Vulg. *suscitans suscitabis arcum tuum:* quod si sumas erit paronomasia verborum sono convenientium, significatione diversorum, *nudando se excitatus est arcus tuus:* sed meis quidem auribus displicet. Fateor, nusquam alibi *nudare* in codice sacro עור per Vau scribi: nec tamen insolitum fuisse videtur. Certe עוֹר *cutis*, quae aut a nuditate, aut ab illa nuditas dicitur, Vau habet: praetereaque,

4) Arabicum عَارَ pudoris significationem habet, a nuditate nisi fallor, ductam, عَارَ *pudibundus*, عَوِرٌ *pudor*, عَوْرَةٌ *pudenda* virilia et muliebria. Ad hanc, aut praecedentem significationem et refero מעור Hab. II, 15. *inebrians alios* למען הביט על מְעוֹרֵיהֶם *ad inspiciendum pudenda*, vel, ut Vulgata vertit, *nuditates eorum.* Aquila ibi, γύμνωσιν habet, eumque sequebatur Vulgata, sicque et Syrus ܥܘܪܝܗܘܢ: Symmachus ἀσχημοσύνην, Chald. קלנא, *turpitudinem*, *pudenda*.

 عار 5)

5) غار pro غور est, *descendere*, ut, in depressiorem terram, quae ipsa غَوْر dici solet, quin et

6) *latere*, unde et *latibulum, spelunca, crypta*, غار dicitur: denique et a descensu

7) *impetum hostilem facere, excurrere in hostem*, غَارَة *incursus equitum in hostile solum*, مَغَاوِر *belli casus*. Hucne referenda phrasis 2 Sam. XXIII, 18. עורר את חניתו על שלש מאות חלל *incurrere fecit hastam suam in trecentos confossos*, Jes. X, 26. עורר עליו שוט *incurrere in illum faciet*, i. e. *infliget illi scuticam?* an praeplacet, quod alii habent, *excitabit contra illam* tanquam hucusque dormientem, *hastam vel scuticam?*

1858. עָר *hostis*, et forte *vallis*.

De עָר, *hostis*, sola ambigitur derivatione. Aliqui non insolita literarum permutatione ex צַר ortum credunt: Simonis ab غار *aemulatus est, invidus fuit*: neutrum horum improbabile, sed verisimilius mihi videtur, ad eam, quam septimo loco posui, verbi غار significationem, *impetum hostilem fecit*, referre. Habet tamen et radix עיר, quam vide infra sub *ultionis* notione, quo referre possis. Copia bonarum etymologiarum laboramus, qua fit, ut nondum liquere, pronuntiandum.

Pro δύναμις τῶν πόλεων, quod Graecus Syrusque interpres 1 Macc. X, 71. habet, vix potuit in Hebraico exemplo nisi, חיל הערים legi: erratum autem in interpretatione nominis videtur, quis enim sit, *excercitus urbium*, quarum urbium, et quomodo montibus opponatur, vix expedieris. Vide notas ad hunc locum germanicas. Hic quidem עָרִים *valles* acceperim, septima, quam sub verbo posui significatione. غَوْر *vallis* Arabibus et *planities*, unde sensu geographico, atque ut nomen proprium الغور ponitur, *Tehamae*, provinciae Arabiae, *Phoeniciae*, maritimae, Libano aliisque Palaestinae montibus subjectae; in Arab. versione Marc. VII, 26. Act. XI, 19. XV, 3. XXI, 2. *vallisque quam Jordanes perfluit* 2 Reg. XXV, 5. inque Abulfedae Syria p. 8. 9. nec dubito, quin et ipsa Coelesyria eodem nomine vocetur. Jam sententia, bene cohaerens: *quid*

quid regnas in montibus? Exercitus si tibi est, cui confidis, descende ad me in planitiem, ut ibi acie cernamus, mecum enim est exercitus vallium, nempe ab Apollonio ex Phoenice Coelesyriaque, cujus praefectus erat, conscriptus.

1859. עָר מוֹאָב, *Ara Moabitica, Areopolis.*

Vide de ea Relandum p. 577–579. Palaestinae, cui haec duo addenda. Nomen urbis Chaldaicum est, לְחִית מוֹאָב, quasi diceres, *maxilla Moabitica*, ut sita fuisse aliqua in valle depressiore videatur. Vide Chaldaeum interpretem Jes. XV, 1. Numer. XXI, 15. 28. Deut. II, 9. 18. 29. et supra, sub לחי scripta: לְחִית autem punctandum nomen arbitror, non, ut editiones habent לְחַיַּת, quod pagum interpretabatur, ל ubique additum putans, Buxtorfius, p. 1134. lexici. — — עָר plerumque, et satis verisimiliter, urbem interpretantur, cujus pluralis sit Hebraicum עָרִים: Chaldaicum tamen me nomen eo potius deducit, ut et hic עָר vallem depressiorem interpreter, nomenque urbis, *vallis* sive adeo *specus Moabitarum.*

1860. עֵר וְעֹנֶה Malach. II, 12.

Mihi est, *vigil et respondens*, inde petita locutione, quod vigiles nocturni adclamare sibi et respondere solent. Nil notius, estque mos jam antiquus: vide Jes. LXII, 6. Sententia: *ejusmodi sacerdoti non erunt posteri, excubias in templo agentes, ex tali connubio ei nati reprobabuntur a Deo et sacerdotio excludentur.*

Exigere tamen a me lectores puto, ut referam, quid alii veterum habeant. Vulgata vertit: *magistrum et discipulum*, idque a Judaeis sumsisse Hieronymum arbitror, apud quos aliquid ejusmodi vel diu post illum legimus. Raschi interpretabatur: *vigilantem in discipulis, et respondentem in sapientibus*, addens, עֵר, vigil, *hominem* denotare *acutioris ingenii.* Kimchi: *Rabbini nostri interpretati sunt: si vel ipse est literatus eruditus* (תלמיד חכם), *non erit illi vigil inter sapientes, nec respondens inter discipulos, et si sacerdos fuerit, non erit illi filius offerens sacrificium.* Ipse paulo sentiebat aliter, suamque interpretationem his verbis promit: *non erit domi ejus, qui respondeat clamanti ibi.*

Chaldaeus Syrusque, בַּר וּבַר בַּר *filium et nepotem* interpretantur, quod quomodo Hebraica significare possint, vix dixeris: merae sunt conjectu-

jecturae, quales saepe pro ignotis vocabulis, ut בין ונכד, *filium et nepotem* posuerunt, ne examine quidem dignae. LXX ἕως (καὶ) ταπεινωθῇ ἐκ σκηνωμάτων Ἰακώβ, ac si legissent, עַד יְעֻנֶּה מאהלי יעקב: nullus tamen ita codex; unus Kennicotti, nonagesimus nonus, a prima manu habet, עד ועֹנה, quod vertendum, *testem et respondentem*, exscindet ei omnes honestiores, qui in judicio ut testes produci possint, sed sphalma esse arbitrer librarii.

1861. מְעָרָה *spelunca, crypta subterranea.*

Ad hanc omnino radicem referendum, mirorque fuisse ex lexicographis doctiores etiam, qui invita grammatica sub ערה ponerent, ponique adeo juberent. Kamets invariabile sub עָ mediam radicalem Vau indicat. Est ab Arabico غار pro غور, sive, *latuit*, ut sit latibulum, sive *demersit*. Habent non solum غَار, *spelunca, caverna, antrum, crypta*, Arabes, sed et ipsissimum nostrum, مَغَار et مَغَارَة *spelunca*.

1862. עֲרֹעֵר nomen proprium Jes. XVII, 2.

Hoc quidem nomen huc refero, quadriliterum mihi ex praecedente עַר *vallis*, n. 1858. ac radice ערר visum.

Nobilissima quidem ac notissima urbs Aroer ad Arnonem Numer. XXXII, 34. Deut. II, 36. III, 12. de qua jam non disputo, id unum monens, Jonathanem, qui eam Numer. XXXII, 34. לחית vertit, cum ער מואב *Areopoli* (num. 1859.) confudisse, et vero ad nostram radicem retulisse videri.

At de hac Aroera Jes. XVII, 2. sermonem esse non posse, manifestum, effecitque copiosius Vitringa. Aroer Israelitarum ac postea Moabitarum fuit, Jerem. XLVIII, 9. quid ergo propheta in vaticinio de clade Damasci canat, *relictas desertasque fore* ערי ערער *urbes Aroer?* Nec recte quidem ab urbe, nisi haec plane metropolis sit, aliae urbes denominari possunt, quo in gradu Aroer nunquam fuit: ac ne in metropoli quidem, *urbes*, ut exemplo utar, *Hierosolymae* et *Hesbonae* dicere solent, sed ירושלם ובנותיה *Hierosolyma et filiae ejus*, חשבון ובנותיה.

Est ergo mihi omnino verisimillimum, ac prope certum, quod jam conjecit Vitringa, ipsam eam intelligi amoenissimam vallem, in qua Damascus sita, esseque עֲרָעָר, his enim hic vocalibus efferre velim, sive

qua-

quadriliterum a غوم, עַר, quod num. 1858. habuimus, ſive ſimpliciter, *vallem*, ſive, *vallem vallis*, i. e. omnium vallium amoenarum principem, ut in quatuor terreſtribus paradiſis primum valli Damaſcenae locum et mythi Arabum et geographi adſignant. — —. Jam non opus erit, lectionem mutare, in עֲדֵי עַד, inque eo, nullo omnino codice aut verſione alia meliore concinente, LXX ſequi, indoctiſſimos Jeſaiae interpretes, ac ſaepe conjecturales, ubi aliquid non intelligebant, εἰς τὸν αἰῶνα vertentes.

1863. עושׁ Joel. IV, 11.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo reliquis linguis Orientalibus ignota et inaudita ex conjectura, ut videtur, interpretes habent, cum veteres tum recentiores. Plerique, Kimchii Reuchlinique lexicon ſequuti, ſuamque de עושׁ, ſidere opinionem, *congregare*, *conglomerare* vertunt, praeiveruntque ex veteribus LXX, Chaldaeus, Syrus: at ab his diſcedens, neſcio quem ſecutus Hieronymus, in commentario enim ſilet, *erumpite*. Nihil horum habent, ut dixi, linguae orientales. Duplicem offert, difficili ſane optione cum utraque egregie ſit filo orationis apta, interpretationem Arabia:

1) عاس pro عوس eſt, *circumire noctu*, maxime ad praedam captandam, ut lupus aliaeque ferae. Bona ſententia: *praedatum ite* (lupi ceu raptores atra in nebula, ut verbis Virgilii utar) *et venite omnes gentes*. Quod quatuor habent codices Kennicottiani, עשׁו, eandem explicationem admittit, עֻשׁוּ punctatum, nam et عسّ Arabibus idem ſignificat. Hanc prope, ut audieris, veram juraveris interpretationem, niſi alia ſe offerret, palmam illi dubiam faciens

2) غوّث eſt, *exclamare alta voce ad opem implorandam*, indeque in quarta, *ſuppetias ferre clamanti*, hinc ejusmodi *clamor*, غَوْث, et *auxilium* غيّاث, *vehemens curſus ad auxilium adcurrentis*, غَويث. Exemplorum, quantum ſatis eſt, dedit Caſtellus in lex. Arabico, ad quem niſi ablegare poſſem, adſcriberem ex Corano a patre meo collecta. Eximie dictum: *ad auxilium concurrite et venite omnes gentes*, *congregamini illuc undiquaque*, *ſed et tu deſcendere illuc fac heroas tuos*, *Jehova*. Praeplacet.

עֻשׁ et עושׁ quaere ſub עוּ.

1864. עות Pf. CXIX, 78. Jef. L, 4.

עִוֵּת *invertere, incurvare*, recto oppofitum, frequens Hebraeis, nec dubiae fignificationis. Arabes verbo carent: habent Chaldaei et Syri, ab eo et ܥܘܬܐ, *fraudem*, dicentes.

Hinc explicare velim Pf. CXIX, 78. שֶׁקֶר עִוְּתוּנִי *mendacia infleĉtunt mihi, aftute mendaciis me decipere ftudent.* Alii tamen aliter, LXX mihi proximi, ἀδίκως ἠνόμησαν εἰς ἐμέ, *curvitatem* de morali curvitate i. e. injuftitia accipientes, fatis verifimiliter. Minus placet, quod habet Syrus, ܡܟܟܘܢܝ *humiliarunt me*, et Hieronymus, *contriverunt me*, quod ex ufu Syrorum עתת fignificare poffit, non עות.

עוּת, vel ut prope efferre malim, עֻוֵּת את יעף דבר eft mihi, *infleĉtere et variare feffo orationem*, ita res varie proponere, ut audientes non defatigentur, libenterque audiant; quod Chriftum feciffe, morales fententias per totum aliquando diem fabulis conveftientem, legimus Matth. XIII. Ipfe adeo v. 52. hujus capitis ab erudito exigit, *ut poffit ex penu fua proferre vetera et nova*, Marcusque, has orationes referens c. IV, 33. addit, παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἐδύναντο ἀκούειν.

Recentiorum plerique ad עֵת tempus referentes, vertere folent, *tempeftive loqui*, praeiveruntque LXX, ἡνίκα δεῖ εἰπεῖν λόγον. Obftat, nifi Vau omiffo לעת fcribas, quod non nifi duo habent codices Kennicottiani, grammatica: עֵת enim radicis eft עתת, noftrum, עות. Ac ne עתת quidem Orientalium linguarum ulla hoc fignificatu, fed contrario adeo Arabica habet, cui عَتَّ eft, *idemtidem dixit, et repetendo moleftus fuit, urfit, obtudit multa petitione*, عَتَتٌ *ruditas fermonis.*

Veterum plerique hic non nifi conjeciffe videntur. Vulgata, fententia mihi concinens, non verbo, *fuftentare eum qui laffus eft verbo*, Chldaeus generatim אַלְפָא *docere*, fic et Symmachus, ὁμιλίαν, Syrusque *ut indicem verbum;* Aquila, quem in Vulgata fequutus videtur Hieronymus, ὑποστηρίσαι, quod quomodo עות fignificare poffit, non video. Quod S. V. Koppe in notis ad Lowthi Jefaiam attulit, غاث *fuccurrit, fuftentavit*, plane hujus loci non eft, ث Arabum pro Hebraico ש poni folito. Vide grammat. Arab. p. 16. 17. 18. Adde, *fuftentare*,

re, non lexicorum Arabicorum, sed Koppii esse, exemplo nullo firmatum, ac plane alia verbum عوث significare, *ad clamorem adcurrere, opem ferre.*

1865. עזב Genes. XXIV, 27. Ps. XXVII, 10.

Relinquendi, *deserendi*, significatio verbo certa, habentque Arabes, licet paululum immutatam, sub utraque radice عذب et عزب, Aramaeis sub utraque עזב, et, quam ex Arabismo exspectasses, עדב, interiit.

Genes. XXIV, 27. hac constructione, לא עזב חסדו ואמתו מעם אדני, malles forte transitive vertere, *non retinuit* vel retraxit *gratiam fidemque suam a domino meo:* idque inter alia عذب significat, *retinuit*, *continuit.* Transitive quidem, forte non svadente linguae peritia, sed cogente constructione ac filo orationis, Vulgata, *non abstulit*, Chald לא מנע *non prohibuit.*

אבי ואמי עזבוני Ps. XXVII, 10. plane historiae contrarium, si vertas, *pater meus et mater mea me reliquerunt*, id enim non solum nunquam fecerunt, sed ad filium exsulem, Davidem, confugerunt, 1 Sam. XXII, 1–4. Omnia molliora et verisimiliora, si ex usu Arabici عزب vertas, *pater meus et mater mea procul a me sunt*, *sed Jehova hospitio me excipit.*

1866. עזז *gloriari* Ps. IX, 20.

Notas verbo significationes, *roboris*, *et invalescendi*, *praevalendi*, neutiquam objudico, aut in dubium voco: haec tamen sumens, quae statim sub nomine עז ponam, suspicer, et verbum, loco quem indicavi, esse, *gloriari*, verbaque אל יעז אנוש vertenda, *surge, Jehova, ne glorietur mortalis.* Arabibus عزّ *gloriosus fuit.* Syrus ejusdem ambiguitatis verbo reddidit, ܠܐ ܢܬܥܫܢ, quod utrumque, et *corroborari* et *gloriari* significat. Posterius filo orationis aptius.

1867. עז *robur*, *potentia*, *gloria.*

Arabicum عزّ, Hebraico nostro idem, non *potentiam* modo *viresque ac robur*, quae notissima est Hebraici nominis notio, sed et *gloriam* significat. Jam non miraberis a LXX alicubi δόξαν verti, Ps. LXVIII, 37. Jes. XII, 2. XLV, 24. Est et ubi mihi quidem perquam verisimile, Hebraicum עז hac significatione poni: Genes. XLIX, 3. ubi Arabs Polyglot-

glottus et Samaritani عـــز vertunt, et יתר עז *(praecellens gloria)* idem esse videtur, quod in praecedente membro, יתר שאת *praecellens elevatione.* Arca foederis, quae alias ארון כבוד יהוה *arca gloriae Jehova* vocatur, est אֲרוֹן עֻזּוֹ Ps. CXXXII, 8. 2 Paral. VI, 41. et Ps. CIL, 1. רקיע עזו *scabellum gloriae vel majestatis ejus:* nec aliter acceperim Ps. LXXVIII, 61. ubi capta arca foederis, Jehova dedisse dicitur לשבי עזו *captivitati gloriam suam*, pro quo nomine in sequente membro est תפארתו *decus*, vel, *honorem suum.* Eodem modo et Jes. LII, 1. quod in priore membro est, לבשי עזך *indue gloriam tuam*, in secundo dicitur, בגדי תפארתך *vestes ornatas tuas:* quo in loco vel demto hic parallelismo absonum vertere, *indue robur tuum*, feminam enim alloquitur vaticinium, cujus non est robur, sed ornatus et elegantia. His sumtis, etiam Ps. CV, 4. *quaerite Jehovam* ועזו vertendum erit, *et gloriam*, *seu majestatem ejus*, pro quo in sequente membro est, בקשו פניו *quaerite vultum ejus*, i. e. ILLUM IPSUM.

Ezechielis etiam XXVI, 11. מצבות עז forte non sunt, *statuae robustae*, sed, *venustae*, *decorae:* nobiles vertit Vulgata. Sed hoc in dubiis relinquo.

מָעֻזִּים Dan. XI, 7. 10. 19. quid significare possit, ad עז relatum, supra sub מעוז p. 1857. quaeres.

1868. מעון, עון, Jes. XXIII, 11. *spinae.*

מָעֻזְנֶיהָ Jes. XXIII, 11. a recentioribus plerumque ad מָעֹז fortalitium refertur, vertiturque, *(exscindi jussit) omnia fortalitia ejus:* invita sane grammatica, licet non negem, et veteres, ante grammaticam excultam interpretari coactos, plerumque ad עוז retulisse. Sic LXX τὴν ἰσχὺν, Vulgata, *fortes ejus*, sic et Syrus ܥܘܫܢܝܗ̇, Chald. תוקפהא *robur ejus.* Hi quidem, si מָעֻזָּהּ legerunt, quod in nullo hucusque codice Hebraico inventum, non vituperandi: si מעזניה, aeque ut recentiores contra grammaticam peccarunt, pluralis enim si est nominis מָעֹז, unde Nun? Respondent recentiorum non pauci, epentheticum esse! sonus inanis, similis obscuris qualitatibus scholasticorum, nec enim rationem adferunt, ob quam hoc Nun mediae voci infarciatur, nullam analogiam: nullum aliud exemplum Nun epenthetici nominibus inserti sive Hebrai-

braica lingua habet, sive reliquae Orientales. Chaldaismum alii esse dicunt, ut Vitringa, Dagesch excidens in N resolvi! At vero hoc Nun pro Dagesch ante literam poni, ac schva substratum habere solet, non post illam, מְעַנְזִיָּה dicendum fuisset, sed nullus ita codex. Vide grammaticam Chald. §. 5. p. 15–17.

Mihi quidem, cum nulla se offerat lectionis varietas, Nun radicale videtur, habentque sine dubio Orientales linguae aliquam radicem עזן, sed ignotam his, qui Judaeos magistros sequebantur. غزن Arabibus est, *exaruit*, (vide Golium p. 2879.) indeque Syris خـونيـا *spinae*, Matth. XXVII, 29. Arabes nomen per ص scribunt, أغْصَان, vide fabulam Locmani 22. Sic מעזנים erunt, *vepreta*: *jussit Jehova omnia vepreta, omnes spinas ejus, exscindi.* Spinae Orientalibus malorum et injuriosorum imago.

1869. עָזְנִיָּה Levit. XI, 13. Deut. XIV, 12.

Nomen avis impurae, ex aquilino genere, de quo copiose atque erudite disputavit Bochartus in Hierozoici P. II. libr. II. c. 6. sed ita ut parum satisfaciat, soli omnia tribuens, et vero parum probabili etymologiae. Ex veteribus qui aliquid distincti habent, LXX et Vulg. ἁλιαίετον, *haliaeetum*, reddunt, quo de nomine malim naturae peritos, Oedmannum aliquem, audire, vetera ac nostra conjungentes, quam ipse dicere. At Bochartus ab his secedens, ex conjectura etymologica, aquilam nigram minorem sic dictam *Valeriam* praefert, quae ab עז robur, *robusta, valida* Hebraeis, ut Latinis dicta sit. Hunc plerique sequuti sunt. Mihi res perquam suspecta: veterum auctoritas, fateor, non omni dubitatione major, at illis solam opponere etymologiam, audaciusculum, cum a valore et fortitudine plures sine dubio aquilae species dici potuerint. Hanc ipsam Valeriam, عقاب, pro praecedente potius פרס posuit uterque Arabs. Sed accedit, quod etymon parum est grammaticum, ab עז enim non עָזְנִיָּה, sed עֻזִּיָּה faciendum fuisset. Exspectabam olim codices עזיה habituros, cum Onkelosum sic vertere Chaldaice viderem, sed et haec me spes, haec Bochartum defensio destituit, postquam biblia Kennicottiana prodierunt, nullus enim codex, nec Samaritanus nec Hebraicus, Nun omittunt; aliae sed nihil ad rem facientes varietates notantur, ut אזניה per Aleph pro Ain.

Ergo cum radicem עזן habeant Orientales, ad hanc potius עזניה referendum. Sic erit, ut ita dicam, *spinosa*, *ungues acutissimos*, *spinae similes*, *alte infigens*. Haliaeetus saepe tam alte ungues infigit piscibus, ut una cum illis mergatur, referente Plinio, libr. X. §. 3. Similia Frischius, germanice avem vocans, *der schwartzbraune Fischgeyer*, αὐτόπτης refert: (*wie ich gesehen, dass ein grosser Karpe in einem Teich solchen Geyer, welcher sich zu fest in den Fisch mit seinen Klauen verstossen, unter das Wasser gezogen, und ihn noch auf seinem Rücken halb verweset herumgeschleppt hat.*)

Habent Arabum lexicographi, ut Castellus, عَنَن, *nomen avis, aut aquila, aut aliqua similis, et, cancer*: sed ex his dubie, nec satis distincte, dictis, parum profeceris, ad Hebraicum nomen explicandum, donec aliquis Orientis itinerator avem عَنَن videat et describat. — — Plane abdicandum, quod huic vocabulo Arabico explicando, adliterationum et transpositionum amator attulit, Simonis, عَنْزٌ *femella aquilae*: عنز generatim femella est, nec ad aquilam solam pertinet: Golii verba ex Geuhar translata sunt, *femella aquilae*, *vulturis*, *otidis*.

1870. עזק *fodit* Jes. V, 2.

Verbi ἅπαξ λεγομένου non novam interpretationem adfero, sed quae ad judicandum de notis, inque lexica receptis, faciunt.

Quod plerique habent, *fodit* (vineam) Kimchio debetur, qui in radicum libro חפר vertit, usum verbi apud Thalmudicos adferens, qui dixerint, *ivit in agrum, invenitque eum sedentem* ועזק תחת הזיתים *et fodientem sub ficubus*. Plus addere possum, Arabicum عزق *fodit terram*, unde مِعْزَق *instrumentum, quo terra aperitur, ubi aratro non est locus*.

Idem et voluisse putem Syrum, qui vertit, ܥܙܩܗ *coluit illam*, quod enim deinde de sepe addit, ad סקל referendum. Haec interpretatio sine dubio vera, nisi absurda velimus loqui prophetam, sic v. 4. pergentem: *quid amplius facere possum vineae meae, quod non feci? cur ergo uvas exspectanti napellum tulit?* Delirus esset, haec qui diceret, si vineam non fodit, fodiendo noxiae herbae exstirpantur atque enecantur, ne vitibus officiant. Ergo hoc Kimchianum plane ut certum sumo: si qui dubita-

tarunt, id inde; quod in patria nati ubi nullae vineae, vinearnm culturam
ignorarent.

Alii, *sepivit.* Sic Vulgata, et LXX Φραγμὸν περιέθηκε, credo et,
Chaldaeus, *sanctificavit:* atque et de hac interpretatione Rabbinis non in-
solita, Kimchius in radicum libro retulit. Hanc significationem vivarum
linguarum Orientalium nulla habet, ex sola, sed dubie, citari Rabbini-
ca solet. עִזְקְתָא, ܥܶܙܩܬܐ, *annulus*, nomen a circumdando sortiri po-
tuisset, aut ab annulo, qui circumdat, dici, *circumdare, sepire,* sed hucus-
que usu linguarum Orientalium caret. Quod si vero et עזק *circumdare*
significasset, haec tamen hic notio locum non habet.

1871. כְּעֵזֶר, עֵזֶר.

Quatuor Arabica verba cum sub hoc unum concurrant Hebraicum, عفر,
عزر, غفر, غزر, fieri possit, ut plures una significationes habeat. *Ju-
vit*, haec quidem perquam usitata et indubia, quam invenies in Syriaco
ܥܕܪ, et Arabico عزر, quod licet plura alia, tamen et, *juvit*, significat.

In Niphal. כעזר *adjutus est*, sc. a deo, *contra* aliquem, idem quod,
vicit: 1 Paral. V. 20. וַיֵּעָזְרוּ עֲלֵיהֶם *adjuti sunt contra illos*, i. e. *vicerunt.*
Frequens Orientalibus linguis, ad deum omnia referre solitis, phrasis:
sic Arabes suum نُصِرَ et اِنْتَصَرَ *adjutus est*, ponunt, ut Sur. XXVI,
228. LIV, 44. III 107. Chald. אִסְתְּיַע Ps. CX, 3. Vide et supra num.
1071. 1072. dicta, Huc et referre possis 2 Paral. XXVI, 7. (ubi tamen
nomen dei additum, ויעזרהו אלהים על פלשתים, *juvit eum deus con-
tra Philistaeos*), et v. 15. הִפְלִיא לְהֵעָזֵר *mire vincebat, miras victorias
obtinebat.*

Job. IX, 13. עזרי רהב verti possit, *adjutores idolorum*, cum ta-
men عزر et sit, *honoravit, magni fecit*, ut Sur. XLVIII, 9. *ut credatis
in Deum et legatum ejus* وَتُعَزِّرُوهُ وَتُوَقِّرُوهُ *et magnificetis honoretisque
illum, ac laudetis mane et vesperi*, mallem haec Jobi vertere, *omnes ho-
norantes*, i. e. colentes et adorantes *idola.*

غزر cum sit, *multus, copiosus fuit*, in secunda et quarta, *multiplica-
vit*, quarum significationum exempla pete a Castello, et أغزرة abun-
dan-

dantia, (Col. III, 16. ܥܬܝܪܐܝܬ pro πλουσίως) possis et Zach. I, 15. *ira-
scebar exiguum* והמה עזרו לרעה vertere: sed *multiplicarunt, addide-
runt ad mala*, quamquam nec consveta explicatio, *juverunt ad mala*, dis-
plicet.

1872. עֵזֶר Genes. II, 18. 20.

De mutuo adjutorio, altero fine matrimonii, quidquid dicant, vix tamen mihi persvaserim, עֵזֶר hic *auxilium* esse: auxilium homini si dare creator voluisset, idque solum, cur non potius marem, fortemque virum addebat? Ex rei natura vir potius auxilium feminae, quam haec viri.

Syris ܥܠܝܡܬܐ *nubilis ac matura virgo*, Arabibus عَذْرَاءُ et عَذْرِي *virgo*, Matth. I, 23. XXV, 1. 7. 11. Luc. I, 27. 1 Cor. VII, 25. in Amralkeisi Muallaka a Lettio edita, v. 11. *mactavi jumenta mea* لِلْعَذَارِي *puellis meis*, indeque اعتذر *virginitate exsuit*. Ipsi adeo virgini in coelo عذرا nomen: vide Ulugbeighi tabulas p. 79. Ergo et hic *virginem aptam matrimonio amplexibusque viri*, intelligo.

Non nisi in hac una pericopa Mosis occurrit, forte quod ex antiquioris Hebraismi monumento quo Moses utebatur, tralatitium erat. Vide Introductionem ad vetus Test. T. I. p. 275. 276. ubi plura ejusmodi collecta.

1873. עָטָה.

Duo sunt verba Arabica, quae hoc unum Hebraicum complectitur:

1) عَطَى *prehendit, manu accepit*, et transitive أَعْطَى *accipere fecit*, i. e. *dedit*, unde عَطَاءٌ *donum*.

2) غَطَو *texit, operuit*, unde et *tenebras dicunt*, et غِطَاءٌ *operimentum*. Huc et referendum Syriacum ܥܛܐ *delevit*. Vide lex. Syr. p. 646.

Hebraicum עטה jam huic est, jam illi radici propius, alicubi ita in medio, ut ex utraque, ne variata quidem sententia, explicare possis.

Jes. XXII, 17. עֹטְךָ עָטֹה optime reddideris, *prehendit te prehendendo*, manu capiet, ac, quod sequitur deinde, convolvet in globum ut

for-

fortius jaculari possit. Sed et ibi, fateor, secunda significatio locum habere possit, ex qua Joh. Henr. Michaelis, *operiet te, i. e. faciet ut nomen tuum sit ignotum*, Chaldaeus, *obteget te pudore*, ac nisi fallor Syrus ܡܥܛܝܐ ܢܥܛܐ ܠܟ *delendo delebit te*, sic enim illum scripsisse suspicor, ac vitiose editum, ܡܛܥܝܐ ܢܛܥܐ ܠܟ *obliviscendo obliviscetur tui.* — — LXX ἀφελεῖ τὴν στολήν σου, et Vulg. *quasi amictum sublevabit te*: vides, eos alterum ad obtegendi, amictusque, alterum, ad capiendi notionem retulisse. — — Meri sunt conjecturarum lusus, quae Clericus habet, vir alias doctus et acer, sed philologiae Orientalis minus peritus, *devolvet te* ex sublimi sepulcro.

De veste positum, potest alicubi esse, *operire se veste, involvere*, sed et, quod plerumque eodem redit, *prehendere vestem*, maxime pannum quadratum qui vestibus omnibus superinjiciebatur, *seque illa involvere.* Jerem. XLIII, 12. עטה את ארץ מצרים כאשר יעטה הרעה בגדו malim vertere, *prehendit terram Aegypti, ut pastor prehendit*, (manu capit,) *vestem suam, et exibit.* Mire hic LXX φθειρίζειν, *pediculos excutere* (ex veste) verterunt, quod quomodo significare possit, haud video. Idne voluerunt, graeca verba sono vicina confundentes, quod ex eis expressit Arabs, *perdet et deteret?* ex ܥܛܐ *delere, perdere.*

מְעֻטָּה לְטבח Ezech. XX, 21. (al. 15.) reddiderim, *gladius prehensus ad mactandum.* Male certe Vulgata: *gladii* — — *amicti ad caedem.*

יְעָטָנִי Jes. LXI, 10. mutatis vocalibus יַעֲטֵנִי ad hanc radicem refero, sive: *pallium justitiae dat mihi*, sive, *pallio justitiae obtegit*, convestit, *me.* Vide num. 1013.

Ps. LXXXIV, 7. ברכות יעטה מורה Christianus Müller p. 174. saturae observationum, *dandi* significatu accepit: *etiam imber autumnalis dat benedictiones.* Non refragor, auribus tamen meis *obtegere, vestire*, hic praeplacet, *imber autumnalis vestit vallem benedictionibus.*

Ad hanc radicem et refero

1874. עַיִט *volucris rapax*,

ut nomen acceperit a prehendendo unguibus, sitque formae קָנֶה a קָנָה. Verbum עוט vel עיט, *volare, involare*, reliquis linguis Orientalibus ignotum, quod ex 1 Sam. XIV, 32. XXV, 14. lexica habent, si omnino volare significat, non radix est, sed denominativum. Vide illud suo loco.

De

De עַיִט quod voluit Bochartus non avium modo, ſed quadrupedum rapacium, hyaenae, nomen eſſe, vide ſupra ſub עיט num. 1844. ſcripta.

1875. עטין Job. XXI, 24.

Omnino conſvetae explicationi (mulctralia) praefero, quod habet ad hunc locum Schultenſius, idem eſſe volens, quod Arabicum عَطَن مَعْطَن, *locus circa aquam, ubi cameli* (vel alia animalia, camelorum enim nomen modo exempli gratia addere ſolent lexicographi) *procumbunt in genua et bibunt, ſiti expleta ad paſcua redituri,* ab عطن *procubuit in genua.* Hic nempe mulgentur.

Notandum tamen, veterum pleroſque, quantumvis in Jobo diſcordes, *corpus*, aut corporis partem interpretatos eſſe, et חלב extuliſſe, חֵלֶב *adeps;* foretque omnino ſequenti membro aptius, עטיניו מלאו חלב *corpus ejus plenum eſt adipe*, ומח עצמותיו ישקה *et medulla oſſa ejus rigantur.* Sic quidem LXX. *τα ἔγκατα ἀυτοῦ πλήρη στέατος*, Vulgata, *viſcera ejus plena ſunt adipe, et medullis oſſa illius irrigantur*, Syr. ܓܒܘܗܝ ܡܠܝܢ ܬܪܒܐ exque eo Arabs, جوانبه *latera ejus ſunt plena adipe.* Vides et, quomodo conſuluerint, ne corpori pluralis numerus obſtaret, *viſcera*, aut *latera* vertentes. Hoc quidem ſine dubio praeferendum, ulla ſi lingua Orientalis ejusmodi notionem haberet. Inveniſſe mihi videor in Arabia, licet a lexicographis praetermiſſam Ἐν παντὶ θλιβόμενοι ἀλλ᾽ οὐ στενοχωρούμενοι 2 Cor. IV, 8. Arabs vertit مَغْمُومِين في كلّ شيء لَكِنَّنَا مَا نُضَيِّق عَطَنَنَا quod equidem ex Graecis verterim, *angimur in omni re, ſed non comprimimur corpore noſtro.* Ab عطن *corpus* vel *latera*, potuerit etiam dici cubatio gregum poſt potum, proprie, *corpore procumbere.* Certam meamque ſententiam non me dicere, ſed veterum explicationem perquam veriſimilem expedire, videbunt me non monente lectores.

Conſveta explicatio, *mulctrale*, ex Thalmudico מַעֲטָן ſumta, ne philologice quidem ſatis intellecto. Vertit hoc nomen Buxtorfius in lexico Thalmudico, *vas oleare, cupa olivarum, vas in quo reponuntur olivae minus maturae, ut molleſcant ad emittendum oleum. Quidam faciebant foveam, in quam olivae deponebantur, donec putreſcerent*, i. e. *molleſce-*

lescerent. Est hoc manifeste ab عطن *macerare*, nec dubitandum de
vocabulo Thalmudico. At vas, in quo olivae macerantur et maturescunt
aut putrescunt, non est mulctra in qua lac colligitur. Judaei praeiverunt
talia, lexicographi christiani, illos, unusque alterum sequuti sunt, cre-
duli credulos, ac nescientes quid sit Thalmudicum מעטן. *Vas* erat,
hoc unum illis sufficiebat: quid non ex hac latitudine vasis efficere potuis-
sent? Haec ergo certe versio ex lexicis delenda, et alterutra, sive Schul-
tensii, sive veterum, substituenda.

1876. עטף.

Obvolvendi, *involvendi*, *vestiendi* significatio, quam habent lexica,
certa et indubia: eamque et apud Arabes Syrosque, عطف ac ܥܛܦ
cum derivatis evolvens, invenies: sed sunt aliqua ex his linguis addenda.

Ex hac certe obtegendi vel involvendi notione non expeditur Ps.
LXXIII, 6. יַעֲטָף שִׁית חָמָס לָמוֹ, licet plerique eam verbis aptarint. Sic
LXX περιεβάλοντο ἀδικίαν καὶ ἀσέβειαν αὐτῶν, exque illis Vulg. *operti*
sunt impietate et iniquitate sua, Hieronymus, *circumdederunt iniquitatem*
sibi, Syrus ܐܬܟܣܝܘ ܥܘܠܐ ܘܪܘܫܥܐ ܕܝܠܗܘܢ *tecti sunt iniquitate et*
injustitia sua. Videas, hos omnes שית aut iniquitatem vertere, nullo
linguarum Orientalium usu etymove, aut negligere: ergo de loco non
intellecto utcunque conjecerunt. Chaldaeus, hujus vocabuli aliquam ra-
tionem habens, *corona*, vertit, *quam imponunt capiti suo, de rapto est*,
(כלילא דמשוין ברישיהון מן חטוף דילהון) at in Hebraicis quis coro-
nam agnoscat capiti impositam? Recentiores fere, *tegit eos amictus* (sic
שית vertunt) *violentiae ipsorum*, quod quidem reliquis praestare conce-
do, licet meis auribus non satis probetur sententia. Ergo aliquid novi
in versione tentare audebam. عطف est inter alia, *duplicare*, שית sine
dubio senticetum: vertebam ergo, *duplex sibi circumponunt injustitiae sen-*
ticetum, injustitia se, ut spinis, muniunt. Ut tamen verum fatear, hic
dum rationes publico reddo, diffidere incipio, *duplicandi* notione, quam
ex lexicis sumseram, non satis certa, haec enim ita, *duplicavit*, *in se fle-*
ctendo adcommodavit cervical, ut non nisi de hac cervicalis duplicatione
poni videatur. Ipse in libris Arabicis non legi. Ergo, licet receptarum
interpretationum nulla mihi probetur, nec tamen meam defendere au-
sim, donec aliquid de *conduplicando* certioris habeamus. Est quidem
et

عطف *curvare*, *flectere*, quod aeque atque *obtegere*, *obvolvere*, a duplicando dici possit, sed verisimilitudinibus etymologicis significationes verborum timide credo.

De *deliquio*, sive proprie, sive improprie verbum poni, certum exque lexicis notum. Sed et haec notio unde? Volunt aliqui, ab *involvendo*, quod oculi nobis tanquam caligine involvantur, veri non dissimiliter; *duplicandi* tamen significationem si sumere possim, et hanc ex illa egregie expedire liceret. Duplicamur, corpore incurvati collabimur, in deliquio, suntque et alia deliquii verba a conduplicando orta, ut Arabicum ضعف. Sed et, ut de conduplicandi significatione adhuc ampliemus, ab *incurvando*, *inflectendo*, *inclinando*, quod عطف Arabum sine dubio significat, *debilitatis* et *deliquii* notio fluere recte potuerit.

Jes. LVII, 16. רוח מלפני יעטף ad *deliquii* notionem referre recentiores solent, *spiritus humanus*, si irascerer, *a facie mea deficeret*, *exstingueretur*, non satis apte sequenti hemistichio, *et spiracula ego feci.* Nullus ita veterum, sed egrediendi verbum plerique posuerunt, LXX. πνεῦμα γὰρ παρ᾽ ἐμοῦ ἐξελεύσεται, Vulg. *spiritus a facie mea egredietur*, sicque et Syrus: paulo obscurius Aqu. Symm. Theod. περιελεύσεται. Bona sententia, si de spiritu vitali a deo egrediente intelligas, id unum adhuc obstat, quod *egrediendi* notio nullius linguae Orientalis ope verbo adstrui potest.

Malim cum Ludovico de Dieu, *spiritus a me revertetur*, vertere, nempe in mortuorum aut deficientium corpora. Jam ille monuit, ܥܛܦ Syris esse, *rediit*, et, quod in Arabum lexicis omissum, انعطف. Addiderim, praeivisse jam Chaldaeum, רוּחֵי מֵתַיָא אֲנָא עָתִיד לַאֲתָבָא, *spiritus mortuorum ego redire faciam.*

1877. העטיר, עָטַר, עִטֵּר 1 Sam. XXIII, 26. Ps. V, 13. VIII, 6. LXV, 12. CIII, 4. Cant. III, 11. Jes. XXIII, 8.

Circumdandi et coronandi notione, (hac quidem denominativa ab עֲטָרָה *corona*) Hebraeis quodammodo peculiare, nisi quod soli Chaldaei, sed rarius, *circumdandi* significatione habeant. Syrorum Arabumque ܥܛܪ, عطر, *fumare*, *suffitum facere*, significans, manifesta literarum permutatione Hebraico עתר idem, nostro עטר carent.

Cir-

Circumdandi significatione non-dubitans accipio, 1 Sam. XXIII, 26. et Pf. V, 13. *coronandi*, Pf. VIII, 6. LXV, 12. *coronam plectendi*, Cant. III, 11.

Ex eadem significatione et Jef. XXIII, 8. צר המעטירה *Tyrum quondam coronatam* vertit Vulgata, quod mihi videtur grammaticae contrarium, conjugatione Hiphil potius explicanda; *coronans*, i. e. *coronas dans*, quae mercatores suos in coloniis reges principesque facit, quod et consentit sequentibus, *cujus mercatores principes sunt*. Sic jam Chaldaeus: *quae regnare facit reges*. Syriaca versio ambigua, ܡܡܠܟܬܐ enim et *coronata* esse, et *coronans* possit: — — LXX, μὴ ἥσσων ἐστὶν; ἐι οὐκ ἰσχύει, *inferiorne et debilis est*, vertentes, aliter legisse videntur, ut jam monuit Trommius, המעטה.

Pf. CIII, 4. המעטרכי חסד ורחמים nolim vertere, ut fecerunt LXX et Vulgata, *qui coronat te in misericordia et miserationibus*: haec enim cujus auribus placeant? Ne sic quidem, ut emendavit Lutherus, placebunt, *der dich crönet mit Gnade und Barmhertzigkeit*, misericordiae enim non est, coronam capiti imponere. Hic ergo, si ex notis significationibus altera tenenda, omnino praetulerim, *qui te circumdat* undiquaque, et tuetur, *gratia et misericordia*. Praeivit Arabs Maroniticus, مُشَبِّلُكَ vertens, atque sic et Syriacum, quod interpretatur, ܡܟܠܠ ܠܟܝ intelligens. Hic tamen mihi verba, cum praecedentibus, *qui sanat omnes morbos tuos*, *qui redimit vitam tuam a fovea*, perquam adblanditur, Arabica ac Syriaca *aromatum*, *bonorumque odorum* notio, quam ܒܣܡ, عطر eorumque derivata habent. Meminerimus, *aromata*, *et odoromenta* etiam pro *medicina* poni, de quo vide lexicon Syr. p. 602. magnamque partem medicinae antiquae unctionibus et frictionibus absolvi, unde fit, ut et ἀλείπτης pro medico ponatur: quid ergo, si vertere ausim, *qui ungit te*, *id est*, *medetur tibi gratia et misericordia*? Sic prope in nova editione versionis germanicae bibliorum correxissem in prioribus scripta; nec tamen audebam, malimque aliorum expiscari sententiam.

1878. עטישות Job. XLI, 10. *sternutationes*? an, *eruptio*?

Sternutationes plerumque vertunt cum lexica, tum interpretes recentiores, praeeuntibus LXX, Aquila, Vulgata: nec dubia significatio, cum

(11) H et

et Arabicum عطس ejusque derivata, et Syriacum ܥܛܫܬܐ eam habeant. Ergo, crocodilus si sternutat, non dubitandum. At de hoc sunt, qui dubitant, nec equidem aliquid hucusque certi hac de re inveni, cupiens ab historiae naturae peritioribus edoceri. Quod si non sternutat, alia duplex vel triplex se offert verbi explicatio.

1) Potuerit verbum etiam latius de omni flatu narium intensiore poni. Nullus ita veterum, nec conjecturam usus firmat linguae Arabicae.

2) Ipse *nasus* vel potius *nares* עֲטִישׁוֹתָיו sunt, Syro, Arabi, Chaldaeo, ܢܚܝܪܘܗܝ, مِن مناخره, et מֵאַפּוּתֵיהּ *ex naribus ejus erumpit lux*, i. e. lucet Nilus, spuma albus, crocodilo sufflante. Perquam verisimiliter, cum مَعْطِس *nasus* sit.

3) عطس et de *Aurora oriente* ponitur, Schultensio interprete *sternuit aurora*, sed praeplacet, quod lexicographi habent, *erupit aurora. Erumpendi* significatio prima verbi fuisse videtur, unde et sternutatio dicta, et عاطس *ex adverso occurrens*. Sic aptissime verteris, *eruptio ejus splendere facit lucem*, i. e. cum ex Nilo prorumpit, spuma omnia albescunt.

Ex his quodnam verius sit, non est philologi judicare, sed naturae periti.

1879. עִיב *arcanum, mysterium.*

Notissimum Arabibus nomen, غَيْب *arcanum, mysterium*, ad غاب *latuit*, quod supra n. 1832. attigimus, referendum. Non habent Hebraei ex codicis sacri editionibus et manuscriptis plerisque: at in uno codice Kennicotti 74, nescio quibus instructum vocalibus, legitur, hic explicandum, Ps. CXXXIX, 17. ולי מה יקרו עיב רעיך, *mihi quam pretiosae sunt, arcanum, cogitationes tuae*. De vocalibus liceat Oxonienses interrogare, maxime, a quo multa tuli responsa, Fordium: aliisne etiam in codicibus reperiatur? de Rossium.

עיבל quaere sub עב.

1880. עיט verbum, 1 Sam. (XIV, 32.) XXV, 14. *ferbuit, iracundus fuit.*

Ex duobus Samuelis locis citatur verbum, reliquis, ut jam num. 1874. dixi, linguis Orientalibus ignotum, quod *volare, involare*, interpretantur

tur recentiores, nullo omnino veterum praeeunte, sed conjecturantibus
Judaeis credere solebant.

1 Sam. XIV, 32. ne certa quidem lectio, ויעש textu habente, Ke-
ri ויעט העם אל השלל, quod non dubitanter vertunt: *involavit popu-*
lus ad praedam, praeeunte Raschio, ita tamen, ut verbum pro denomi-
nativo ab עִיט habeat, non, ut lexicographi pro radice. Nullus ita, ut
jam dixi, veterum. LXX ἐκλίθη εἰς τὰ σκῦλα, similiterque Symmachus,
ἐτράπη τοῦ ἁρπάζειν, exque his Vulgata, *versus ad praedam*, similiter
Chaldaeus, ואתפני על בזתא: qui quidem, consentientes, quid specta-
rint? utrum verterint, ויעט? an ויעש? non expedio. Syrus, exque eo
Arabs, ܐܬܚܡܬ, et شرهت نفس الشعب, *cupidus fuit po-*
pulus. Ne de volando quidem aut involando horum quemquam somni-
asse vides.

1 Sam. XXV, 14. וַיָּעַט בָּהֶם recentiores vertunt, *involavit in illos*,
ut latini dicunt, *in faciem alicujus involare:* paulo aliter, sed ex eadem
volandi notione, Rabbinorum aliqui, *avolare fecit, abegit illos.* Jam an-
tiquos audiamus. LXX. ἐξέκλινεν ἀπ' αὐτῶν, Symmachus, ἀπεστράφη,
hisque consentiens Vulgata, *aversatus est illos*, sic et Syrus, ܡܐܣ
ܠܗ ܒܗܘܢ, Chaldaeusque, קץ בהון, *fastidivit illos*, paulo aliter,
Aquila, ὠτρύνθη, *exacerbatus*, *iratus fuit illis*, Theodot. ἐξουδένωσεν,
Arabs سخر بهم *subsannavit illos.* Nihil in his eorum, quae recentiora
habent lexica, sed magna pars veri, quo uti, in subsidium vocatis linguis
Orientalibus, potuissent.

Arabibus غاط pro غيط, ut lexica promiscua habent, *excanduit*,
iratus, *indignatus fuit*, *succensuit*, idque a propria *fervendi* significatio-
ne, hinc غَيْظٌ *excandescentia*, *indignatio*, *ira*, peculiariter, *vehementia*
ejus, *primusque impetus*. Syriacum ܐܬܚܡܬ pro Graeco ἀγανακτεῖν
poni, in lexico Syr. monui. Ergo ויעט בהם verte, *iratus fuit illis*,
i. e. *iracunde illos excepit*.

Reuchlinum evolvens, video, illum de fictitia volandi significatio-
ne nondum ita certum fuisse, ut ex recentioribus lexicographis sunt vel
doctissimi, sed nimis plena fide ea amplectentes eorumque tenaces, quae
a doctoribus audiverunt. In honorem viri ejus verba, cum lexicon in pau-
corum manibus sit, exscribo: "*Ab hoc nomine derivant verbum quod signi-*
ficat,

„*ficat, invehi, obstrepere, increpare, et subito commoveri, sicut cum multitudo avium in campo commorantium subito invehitur cum quodam impetu „et strepitu. Sic 1 Reg. XXV. et aversatus est eos, id est, invectus est in „eos, et dicunt grammatici Hebraeorum, quod verbum sit nominale derivativum a praesente vocabulo* (עַיִט)*, quia Jod scribitur per Patha:* (i. e. non per Komets chatuph, וַיָּעַט, quod radicis עוט foret.)

1881. עֵילָם *Elymais* Genes. X, 22.

Regio ab Oriente Tigridis ubi in sinum Persicum effunditur, de qua, quae Bocharto Cellarioque addenda censebam, habes in Spicilegio geographiae Hebr. exterae T. II. p. 68–73. hic non describenda. Historica nonnulla de hac gente, illustrando Jeremiae vaticinio, c. XLIX, 34–39. invenies in notis germanicis ad 1 Macc. V, 1.

1882. עָיַם Thren. IV, 1. *obscuratus est.*

Ad hanc radicem secundum puncta referendum, איכה יועם זהב *quomodo obscuratum est aurum!* sic Vulgata, LXX, et, cognato verbo עֲמָא usus, Chaldaeus: Arabibus غيم *nubilosum, nubibus obtectum fuit coelum.* Alii ad עמם referunt, eadem mansura significatione, namque et غمّ in quarta est, *nubibus obductum fuit coelum*, غَمّ *nubilosa nox,* غمامة *nubes coelum obtegens*, Chaldaicumque עמם *caligare, obscurari.* Pluribus verbis ע et מ habentibus, haec notio communis, namque et غمي est, *texit.* Aurum quomodo *obscuretur,* de eo diversae sententiae: *aeruginem* non pauci intellexerunt, quam et auro tribuunt scriptores Palaestinenses, auctorque est Strabo, quo tempore bitumen ex mari mortuo erumpat, nebulam attolli, quae omnibus splendentibus, ne auro quidem excepto, aeruginem inducat. Vide haec copiosius disputata §. 12. commentationum de mari mortuo. Impurum si aurum, nullum dubium, quin aeruginem admittat: idque spectasse videtur Syrus, ܡܣܠܝܐ *reprobum atque ἀδόκιμον inventum est*, vertens.

Quod aliqui habent, *plebejum factum est*, ab עַם, et عمّ non placet: *plebejum* enim *aurum* quis dixerit? nec Arabicum عمّ in deteriorem partem est, plebejus, sed, *communis fuit.*

1883. עִים *nubes*, Jeſ. XI, 15.

עים רוחו Jeſ. XI, 15. plerique *vehementiam venti*, interpretantur, ex conjectura, nullo linguarum orientalium uſu: praeiverunt tamen LXX. Vulg. Syrus, *fortitudinem* ſive *venti*, ſive *ſpiritus* habentes. Hoc ita Vitringae certum viſum, ut adſcriberet: *electa vox, quae alibi non occurrit; ſed ex analogia ſatis conſtat, non poſſe hic aliam obtinere ſignificationem.* Atqui multas omnino admitteret filum orationis, ex quo unam indicabo, linguarum uſu firmatam. A praecedente radice Arabibus, غَيْم, Syris ܥܡܛܐ *nubes* eſt: jam ergo עים רוח *nubes venti*, terribile illud phaenomenon, quod nos, *Waſſerhoſe*, vocamus, Galli, *Trombette*: nubes adſpectu, figura conica, a coelo ad terram pertinens, turbinis electrici plena, qui omnia non evertit modo, ſed et ſurſum rapit, ne aqua quidem fluminum quos pervadit, excepta.

1884. עַיִן *oculus*, *fons*.

Frequens, عَيْن de oculo maligno et malefico ponere, id eſt de invidia, cui et maleficia et faſcinum tribuunt: nempe uno oculo oblique illum intuentur, cui valde invident. Ex hac ſignificatione LXX acceperunt Geneſ. XLIX, 22. עלי עין vertentes, ζηλωτός. Refero, nec tamen calculum adjicio, niſi forte de induſtria ambigue poſitum verbum, ut oculum admirantis et invidentis conjungat.

Habent et Arabes oculum benevolum, ut pag. 1681. lexici Goliani, أنت على عيني, *tu in amore et pretio apud me es*, *etiam*, *in praeſidio meo.* Sur. XX, 40. (35 Maraccio) تُصْنَعَ عَلَى عَيْنِي *es ſub oculo* i. e. *praeſidio meo.* Huc iidem LXX retulerunt Geneſ. XLIV, 21. אשימה עיני עליו *ponam oculum meum ſuper ipſum*, vertentes, ἐπιμελοῦμαι αὐτοῦ, quamquam ibi filo orationis aptius videatur, *ponam oculos meos* (עֵינַי) *ſuper ipſum*, i. e. meis ipſe eum oculis videbo, tum demum credam, vera eſſe, quae narratis. Sic quidem pluraliter Vulgata et Arabs Polygl.

De his quidem duobus locis atque interpretatione eorum graeca, utcunque ſit, habent certe Hebraei utrumque oculum, et malevolum, et benevolum, qui ex rei natura, atque uſu Arabum, ſingulariter ponendus eſt.

1) *Oculum malevolum.* Amos. IX, 4. ושמתי עיני עליהם לרעה *ponam oculum meum super illos, ad malum.* Mich. IV, 11. ubi gentes malis Sionis illudentes, *profanata est*, inquiunt, ותחז בציון עינכו *et spectaculo in Sione fruebatur oculus noster.* (Pluraliter quidem עינינו habent editiones, sed עינכו singulariter, duo codices Kennicottiani, totidem de Rossiani, Biblia Soncinensia et Brixiensia, Syriaca versio, Chald. Vulgata, idque ob verbum singularis numeri, ותחז, recte monente de Rossio, praeferendum videtur.) Ps. XXXV, 21. hi, qui alieno malo gaudent, *euge!* inquiunt, ראתה עינכו *vidit oculus noster.* (Et hic quidem plures quam LXX Kennicottiani עינינו, sed obstat verbum singularis numeri.) Etiam Ps. LXXIII, 7. עֵיכְמוֹ malevolus est malorum oculus: quamquam et ibi, verbo יצא contrarie, multi עינימו habeant. Ps. XCII, 12. ותבט עיני בקמים עלי *spectaculo fruitur oculus meus in hostibus meis.* Prov. VI, 13. in textu, קורץ בְּעֵינוֹ, *mordens oculo suo;* sed hic Keri pluraliter בעיניו. Cant. IV, 19. *cor vulnerasti mihi* באחד מֵעֵינַיִךְ *uno oculorum tuorum:* sine dubio fascinator oculus intelligitur, estque ob אחד additum locus insignis atque classicus.

Vides, librarios, vim phrasis non perspicientes, pluralem pro singulari, invita etiam grammatica, ac manifesto sphalmate posuisse. Ipse adeo Schultensius dualiter positum nomen, העיני בשׂר לך, *oculine hominis tibi sunt* Job. X, 4. de oculo maligno accepit. Unquamne in Arabicis عيون hac notione pluraliter legerat?

Jam forte et pro varietate lectionis quorundam locorum interpretatio paululum diversa erit: Job. XIV, 3. si legas, אף על זה פקחת עיניך *etiam super hunc aperuisti oculos tuos*, oculi judicis intelligentur, sin, ut viginti Kennicottiani, עינך, atrocius etiam erit *oculus malevolus Dei, exiguam requiem malorum aegris mortalibus invidens, gaudens malis.* 2 Sam. XII, 9. Keri, *malum faciendo* בְּעֵינָיו *in oculis ejus*, simpliciter erit, *vidente deo*, at quod in textu est, בעינו *coram oculo ejus*, observatorem dei oculum, torvum, et aegre ferentem, indicabit.

2) *Benevolus* oculus, et vero miserantis ac parcentis, Deut. VII, 16. לא תחוס עינך *non parcet oculus tuus*, alibique, occurrit: idem subintelligendus videtur, 1 Sam. XXIV, 11. *hodie vident oculi tui, quod Jehova te dederit, in manum meam, jusseritque occidi,* ותחס עליך, *sed*

ſed pepercit tibi, ut ſupplet Vulgata, *oculus meus*. Nec tamen certum exemplum, poſſis enim ex ſuperiore membro ſupplere, ידי, *manus mea*.

Jerem. XXIV, 6. ושמתי עיני עליהם לטובה *ponam oculum meum ſuper eos ad bonum*, plane ex uſu Arabum de oculo benevolo intelligendum. Habent tamen quinque codices de Roſſii, LXX. Syr. et Vulg. pluraliter, עיני *oculos meos*.

Literam Ain, numeri ſeptuagenarii ſignum, Zachar. III, 9. interpretatus eſt Jo. Ern. Faber in programmate Kilonienſi Natalitio 1771, ut שבעה עינים ſint *ſeptem Ain*, i. e. *ſeptuaginta Danielis hebdomades*, lapidi inſculpta. Veridiſſimillima ſententia, quam ornaturus ſumit, Darium, ſub quo haec vaticinatus eſt Zacharias, Xerxem fuiſſe. Ab hujus ergo dicit anno ſecundo ad Chriſti nativitatem 483 annos fluxiſſe, qui rotundius 490 dicantur. Retuliſſe, id vero et eſt, ſententiam dixiſſe.

1885. עין גדי *Engedi.*

Non ea repeto, ſed ante mea legi velim, quae Relandus de Engedi pagina 763. ſuae Palaeſtinae habet. Unum moneo, in delineationibus Palaeſtinae, ut Relandiana, Bachieniana, male locum urbi adſignari non procul ab eo loco, ubi Jordanes mari mortuo illabitur, qui omnes rationes et geographicas turbat et hiſtoricas: primo enim, deſertum Judae, in quo Engedi ſita (Joſ. XV, 62.) eo uſque non pertinet, ſed teſte Hieronymo, poſt Thecoam incipit, ut vel hanc ob cauſſam Engedam ab Auſtro Thecoae ſitam fuiſſe neceſſe ſit. Deinde 2 Paral. XX, 2. Moabitae, Ammonitae, Edomitae, patria relicta in Palaeſtina ſedes quaeſituri, et ex regione ultra mare mortuum venientes, jam caſtra poſuiſſe ad Engedi narrantur: inſpice, quas dixi delineationes, videbis, illas plane refragari. Jordanem non trajecerunt, certe trajeciſſe non dicuntur, ſed ſinum auſtralem maris mortui circumiiſſe videntur: jam quid illi ad Engedi Relandi? Obviam illis egreditur Joſaphatus, ſed verſus Auſtrum, in deſertum Thecoae v. 20. indeque ex aliquo monte ſtragem mutuam Ammonitarum, Moabitarum, et Idumaeorum ſpectat, v. 22-24. Hic quis non videt ab Auſtro Orientali Hieroſolymae eſſe Engedi, atque ab ea parte, a qua, ſuperato auſtrali ſinu maris mortui, Moabitae, Ammonitae et Idumaei irrupturi erant, non ut poni ſolet, fere ab Oriente. Concinit huic ſitui et Joſephus, ubi in libro de B. Jud. II, 3, 5. duodecim Judaeae proprie ſic dictae regiones enarrat,

hoc

hoc ordine, Ἰδουμαῖα, καὶ Ἐνγαδδαί, καὶ Ἡρώδιον, καὶ Ἱεριχοῦς, proximam Idumaea Engaddam faciens.

De ſitu ergo urbis ſic mihi videtur: Joſepho teſte, cujus tempore adhuc, ut vixdum vidimus ſupererat, 300 ſtadiis, id vero eſt, milliaribus $37\frac{1}{2}$ Romanis, ($7\frac{1}{2}$ Germanicis) Hieroſolymis aberat (*), ultra, ut vix dum vidimus, Thecoam, et verſus Idumaeam. Thecoam XII milliaribus Romanis Hieroſolymis abeſſe, ex Hieronymo notum, ab eaque deſertum incipere: Thecoam ergo inter et Engaddam, in medio jam deſerto, ſed fertili ejus inſula ſitam, $25\frac{1}{2}$ milliaria Romana, i. e. 5 germanica.

In his Joſephi 300 ſtadiis cum Hieronymo conciliandis, qui ad Ezech. XLVII, 10. (**) *Engallim*, inquit, in *principio maris mortui, ubi Jordanes ingreditur, Engaddi vero, ubi finitur et conſumitur*, laborans Relandus (***), fidem Hieronymo abjudicat, auſus, plane oppoſito loco, prope in initio maris mortui, Engaddam delineare, adſeclas nactus vir doctiſſimus, errans aliquando, ignaros. Ipſius verba adſcribo, ne quid in enarranda ſententia peccem: *id vero*, inquit, *eſſe non poteſt, ſi fidem habemus Joſepho, nam is ſcribit, Engaddi 300 ſtadia abfuiſſe Hieroſolymis, ergo fuit non longe a principio maris mortui, ubi Jordanes ingreditur, non vero ubi finitur: ſic enim plura quam 600 aut 700 ſtadia abfuiſſet, cum ipſe lacus longus ſit 580 ſtadia.* Liceat hic ſigillatim aliqua monere,

1) Joſephum inter et Hieronymum hic ſi contradictio, quis quaeſo non praetulerit Hieronymum, in horum locum vicinia, Bethlehemi, diu commoratum, ac prope indigenam, eaque, quae ſcribebat, in Palaeſtina ſcribentem, Joſepho, horum locorum non indigenae, et procul Palaeſtina, Romae, poſt plures annos, antiquitatum libros ſcribenti?

2) Longitudo maris mortui 580 ſtadiorum ex ſolo Joſepho, alibi eam habente, credule ſumta: ſed quis menſus eſt? Recentiores quidem omnes, ut dudum monuit Büſchingius, nec noſtram quaeſtionem attingens, ſed de ſolo mari mortuo exponens, multo minorem mari dant longitudinem: idemque et monuit, Joſephum ſi erroris arguere no-

(*) Antiqu. IX, 1, 2. πρὸς Ἐγγαδδὶ πόλιν, κειμένην πρὸς τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπέχουσαν σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων.

(**) Editionis Benedictinorum T. III. p. 1056.

(***) p. 763. Palaeſtinae.

nolis, videri eum; longitudinem maris non linea recta exponere, sed circuitu a latere (ut equidem putem, Orientali) flexibus quoque in rationes redactis. Id quidem verisimillimum. Mathemathico acumine numquam mensus erat mare mortuum, sed longitudinem ejus referebat, ut ab itineratoribus, ab illapsu Jordanis usque ad extremum sinum Australem didicerat.

3) Maris mortui delineatio in tabulis geographicis, ut idem ex Neitzschützio, Ravio, et Daniele Abbata Sabaeo docuit Büschingius, falsa: nec enim, ut hae illud habent, a Borea versus Austrum recta linea, sed flexu arcuato versus Austrum occidentalem porrigitur: fieri ergo potest, ut, non ipse quidem finis extremus maris mortui, sed tamen ejus vicinia non ultra 300 stadia Hierosolymis absit. Nec vero Hieronymus de fine maris mortui extremo accipi debet, sed de loco, ubi magis etiam paludescere incipit, intelligendus, ut Ezech. XLVII, 9. 10. 11. quos ille versus interpretatur, inspicienti liquebit. Est nempe, ut idem docuit Büschingius aliquis in mari mortuo locus, ubi aestate vadari totum potest, vix ad suras pertinens.

Cant. VII, 14. *vineae* laudantur *Engedi:* Josephus Ant. IX, 1, 2. γεννᾶται ἐν αὐτῇ φοῖνιξ ὁ κάλλιστος, καὶ ὀποβάλσαμον, *nascuntur ibi palmae pulcherrimae et opobalsamum.* A palmarum proventu et nomen accepit חצצן תמר 2 Paral. XX, 2. pro quo brevius, תמר, legitur, Ezech. XLVII, 19. Haec vero Thamara sine dubio in ipso Australi Palaestinae limite, ibi ergo Engedi quaerenda. Est ergo aliqua in medio deserto ejusque arena felicior insula, fonte, ut videtur, humectata, a quo et nomen, *fons capellarum* vel *hoedorum* accepit.

1886. עִינָה *vomer*, Hos. X, 10.

In textu hic legitur לְאָסְרָם לִשְׁתֵּי עֵינֹתָם, quod quidem nemo ausit vertere, *alligare illos ad duos fontes suos*, visumque est plerisque marginali lectione עונתם impeditius, ac prope desperandum. Mihi quidem bonam fundere et expeditam sententiam videtur. عِيَن et عِيَان Arabibus, *vomer*, unde ابنا عيان *filii vomeris*, *duae* sunt *lineae in terra ductae, ad quas augurium capitur*, plane ut Hebraei מַעֲנוֹת *sulcum* dixerunt, Ps. CXXIX, 3. quod forte non ad radicem ענה, sed ad nostram referendum, mutatisque vocalibus מַעֲנוֹת vel מְעָנוֹת scribendum. Vomere

mere pro aratro posito erit, *praeligare illos duobus aratris suis;* duo autem memorantur aratra, quod duo illis boves, Israelitae et Judaei junguntur. Versus sequens, de bobus arantibus et occantibus agens, interpretationem suadet.

Possit illa et Keri, sed plures admittenti, aptari, V et J literis permutatis. Chaldaeus, harmonice: כמיסר פדנא על תרתין עִנְתֵיה *ut ligant compar* (boum arantium) *ad duo* . . . . . Obscurius vocabulum Chaldaicum, atque adeo a Buxtorfio omissum, Raschi explicare tentat: *clavos,* inquit, *descendentes ad utrumque oculum bovis.* Ab עין ergo *oculo,* hos clavos dictos putabat.

1887. עָיֵף, *fessus, deficiens.*

Peculiariter de illis poni videtur 2 Sam. XVII, 19. qui fame ac siti deficiunt, hac serie orationis העם רעב ועיף וצמא במדבר. LXX ibi ἐκλελυμένους verterunt, egregie ut mihi videtur, nam et vicissim graecum ἐκλυθήσονται Marc. VIII, 3. de fame deficientibus in via positum, Syrus ܢܫܬܪܘܢ reddidit. Eodem sensu et accipiendum Jerem. XXXI, 25. *inebriabo* vel, largo potu recreabo, כפש עיפה *siti deficientem.* Recte ibi LXX. ψυχὴν διψῶσαν.

1888. עֵיפָה Amos. IV, 13. Job. X, 22.

Dubia lectio, nec exploratae hucusque interpretationis vocabulum: habent enim editiones pleraeque עשה שחר עיפה *qui facit auroram* . . . (*caliginem* plerique interpretantur,) nec tamen pauci codices in bibliis Kennicottianis, ac LXX עשה שחר ועיפה *faciens auroram et* . . . . (*caliginem*). Caliginis notionem satis aptam loco esse, quisque sentiet, nec tamen veterum ullus praeter Syrum ita vertit, (ܥܡܛܢܐ).

Proximi ab hoc, qui nebulam habent, sed diversa lectione: LXX πρωῒν ὄρθρον καὶ ὁμίχλην, sic quidem esse possint nebulae nubesque matutinae, sed clarius ex consueta lectione Vulgata, *faciens matutinam nebulam.* Pulcra sententia, sed cujus adferre rationes ex philologia Orientali nequeo. Plane contrario tenebris sensu accepit Chaldaeus, כנהור צפרא, *ut lucem aurorae,* quod et in non pauca lexica credule receptum, licet omni linguarum Orientalium usu destitutum.

Mirum, neminem vidisse, quod supra p. 1867. obiter memoratum linguae Arabicae usus offerebat. Ab עוף *volucris,* volatum non solum sub med. rad. ו sed et י denominant, aliaque adeo habent med. rad. ו denomi-

minativa: عيف *augurari*, عايف *augur*, عياف *augurium*, atque, quod maxime nostri loci est, عَيْفَة *volatus*. Verte: *faciens auroram volatum*, i. e. volantem, faciens ut rapida totum quotidie coelum pervolet. Alas aurorae tribuere Hebraei solent: Ps. CXXXIX, 9.

Job. X, 22. עיפתה *altum soporem* intellexerim, ab עיף *defatigari*, *deliquium pati*, Arabicoque عيف *nutare*: ארץ עיפתה כמו אפל est mihi, *terra alti soporis*, *qualis esse media nocte solet*, *Land des tiefen mitternächtigen Schlaafs*. — — Alii hic plane conjecerunt, *tenebras* LXX, *miserias* Vulgata, *desolationem* Syrus, *vaporem* Chaldaeus, (quod nebulae proximum) recentiorum aliqui, *splendorem*. Haec prope omnia in lexica recepta, nullo usu linguarum orientalium, credulis relinquamus.

1889. עִיר.

Plures habet verbum, adpellatione literae ע in duo divisum, quae Arabes scriptione etiam distinguunt, significationes.

1) عير *profectus est*, *abiit*, *iter fecit*, unde et animalia dicunt, quorum maxime in itinere faciendo usus, ut عَيْر *asinus*, عِير *cameli portantes annonam eorumque agmen*, quorum nominum plura derivata, et *itinerantium agmen* (Caravane) عير. Hoc quidem significatu verbum Hebraeis nuspiam ponitur, est tamen ob nomina inde orta memorandus. In lexico Syriaco p. 649. jam monui, suspicari me, angelorum nomen Chaldaicum, עִיר Dan. IV, 10. non tam *vigilem*, significare, quam jussu dei proficiscentem, ejus mandata exsequentem, ab eo missum.

2) *Pudoris*, et *opprobrii* notionem ex verbo med rad. Vau, عور, (p. 1871.) adsciscit: عَيَّرَ *opprobrio adfecit*, *exprobravit*, عَار *opprobrium*, *dedecus*, *ignominia*, مَعَار *res probrosa*: quae et apud Aethiopes usitatissima. Et hac notione verbum Hebraice non inveni, ob sola nomina enoto.

3) غَيَّرَ est, *mutavit*, a غَيْر alius, etiam infesto sensu, *turbavit*. Haec significatio mihi videbatur aliquid lucis impertiri obscuro loco Jes. XXV, 2. ארמון זרים מֵעִיר, quod enim plerumque habent, *palatium peregri-*

grinorum ab urbe Mem privativo, i. e. *desinet esse urbs*, minime placet, urbs nunquam fuerat palatium, qui esse desinet? Ausus sum מֵעִיר efferre, *palatium peregrinorum mutabitur*, *abolebitur*, *destruetur*, sic sequentia apta, *aeternum non reaedificabitur*. Cuperem tamen aut magis haec usu exemplisque linguae Arabicae firmari, aut meliora adferri. Jes. XVII, 1. pro obscuriusculo מוּסָר מֵעִיר (quod equidem verti, *poena evigilat*) unus codex, Kennicotti 150 i. e. Berolinensis, habet מוסד מעיר, quod eodem modo vertere possis, *fundamentum destruitur*, proprie, *fundamenta mutantur*. Consveta tamen lectio adhuc praeplacet, nec huic uni codici satis ad mutandam lectionem fidei aut auctoritatis.

4) غير et est, *zelare*, *zelotypum esse*, *ulcisci*, *vindictam exercere*, *invadere*. Syris quoque, ܚܡܬ *ultus est*, ܚܡܬܐ *ultio*, *vindicta*, peculiariter, *sanguinis*. Haec notio unde orta, et quomodo reliquis cognata difficile dictu, quod enim quidam volunt غير proprie esse *ferbuit*, sine usu linguarum Orientalium sumitur, licet, ubi de ira et vindictae cupidine ponitur, possit *fervere* verti. Suspicionem si promere liceat, غَيْر *alius*, seu غَيْرُهُ *alius ejus*, est et, *superstes*, *cognatus*, idem qui Hebraeis גֹּאֵל, cui, cum vindicta sanguinis incumberet, verbum denominativum, ut Hebraeis גאל ita Arabibus غير, ad vindictam translatum. Sed haec incerta prope mallem non scripsisse. *Invadendi* notionem jam supra p. 1872. sub עור habuimus. Hinc jam sequentia explico.

Job. VIII, 6. יָעִיר עָלֶיךָ Schultensio praeeunte, atque monente Arabes hac ipsa constructione dicere, غار على zelavit pro aliquo, *zelabit pro te*, *vindicabit te*. — — *Evigilare faciet*, quod alii volunt, ferri nequit, quia deest nomen rei quam evigilare facit, audaxque, supplere, *bonitatem suam*. Vulgata et Syrus: *evigilabit ad te*, hac lectione verbi עור in Hiphil locum tueri nequit, est enim illa transitiva, *evigilare fecit*. At si יעור quatuor Codicum Kennicottianorum praeferas, recte sive יָעוּר *evigilabit*, sive יֵעוֹר *excitabitur pro te*, vertes. — — Possis forte et hanc zelandi notionem locis dare Jobi XVII, 7. XXXI, 29. nec tamen opus videtur ad rariorem confugere, cum consveta illis intelligendis sufficiat.

Dan. XI, 2. יָעִיר הַכֹּל non videtur explicandum, *excitabit omnes*, sed, historiae consentanee, *invadet omnes*, *una cum regibus Graeciae*.

Sic

Sic quidem, quoad sententiam, LXX ἐπαναστήσεται παντὶ βασιλεῖ Ἑλλή-
νων, et Theod. ἐπαναστήσεται πάσαις βασιλείαις Ἑλλήνων.

1890. עִיר (nomen) *urbs*, *vallis*, *vindicta? opprobrium? alius.*

1) Notissima nominis significatio, *urbs*, sed soli Hebraicae, ac Rabbino-Chaldaicae priva: Arabica nomen hac significatione non habet, non Syriaca, Chaldaicae alioquin prope eadem, non Samaritana, nec in Phoenicum monumentis quidquam ejus superest. In ער מואב superesse, perquam dubium, ac gratis sumtum: vide num. 1873. Nec etymologiam quidem offerunt reliquae dialecti, nisi hanc forte conjecturam (audaciusculam fateor) probaveris: a prima significatione verbi عير *profectus est*, facere Arabes, عير *itinerantium agmen*, vel etiam, *castra*, *Caravane*, supra memoravimus, (p. 1897.) Exemplum habe Sur. XII, 82. اسأل القرية التي كنا فيها والعير التي اقبلنا فيها *interroga urbem, in qua fuimus, et castra* (caravanam) *in quibus advenimus*, v. 94. ولما فصلت العير *et cum profecta essent castra.* Nomadum urbes initio castra, sed successu temporis constiterunt: Nomadesne cum Abrahamo in Palaestinam adventitii, iique soli, quod initio suorum castrorum nomen erat, urbibus dederunt? Vide simile quid sub חצר num. 824.

Caeterum est, ubi haec urbis notio filo orationis parum apta sit, maxime in מֵעִיר: partem sub verbo expedire tentavimus, partem hic, si fieri possit, expediemus.

2) Plane displicet urbis nomen in his Psalmi LXXII, 16. ויציצו מֵעִיר כעשב הארץ. Quae sententia: *seminatur frumentum*, *strepet ut Libanus*, *et efflorescent* EX URBE *ut herba terrae?* Pertinetne potius ad radicem, עור? idem cum غَوْر, עָר *vallis*, num. 1858? Bona et probabilis sententia: *efflorescent ex vallibus*, *ut herba terrae*: valles erunt, fertiles Coelesyriae valles, Libano, paulo antea memorato, subjectae. Omnia adhuc illustriora, si cum duobus Kennicotti codicibus (76. 246.) בלבנן legas, vallium montisque manifesta oppositione: *erit pauper unius pugni frumentum, in summo monte in terram sparsum: augescet in Libano fructus ejus, et ex vallibus efflorescent ut herba agri.*

3) Jerem. XV, 8. והפלתי עליה פתאום עיר ובהלות bonam quidem fundit sententiam, si, ut patrem meum sequutus in versione germanica feci,

feci, vertas, *cadere faciam super eam* (matrem juvenis) *urbem* i. e. ruinas urbis, *et terrores*, mirorque hanc satis expeditam interpretationem veteres non vidisse. Est tamen aliquid adhuc in hac versione, quod me dubium tenet, adblandiunturque duae aliae, 1) ex verbi secunda significatione, *pudor: cadet super eam pudor et terror.* Favet, quod in versu nono sequitur, בושה וחפרה *pudefiet.* 2) *vindicta*, ex notione verbi quarta: *cadet super eam ultio et terror.* Exponere haec lectoribus, id vero est, judicibus et arbitris volui, dubitans, ea tamen quam in versione germanica dedi, adhuc praeplacet interpretatio.

4) 2 Reg. X, 25. milites regis Jehu, postquam in templo sacrificulos occidissent, וילכו עד עיר בית הבעל *eunt ad urbem templi Baalis*, exque eo statuam aut statuas Baalis auferunt et comburunt. Haec quidem, vel lectis commentariis, quorum auctores hic sudarunt, non intelligo. Hic quidem omnia plana, si עיר non urbem interpreteris, sed idem facias Arabico, غَيْر *alius: iverunt ad aliud templum Baalis.* Arabs diceret, غَيْر هيكل. Hoc in versione germanica sequutus sum. Forte sic et alia puncta substernenda, עִיר stat. constr. ab עַיִר.

1891. עיר המים 2 Sam. XII, 27.

Rabbam Ammoniticam, geographis Graecorum Philadelphiam dictam, obsidens Joabus, capta *urbe aquae* (עיר המים) praevidet, non diu tolerari ab Ammonitis obsidionem posse. Haec quae urbs aquae sit, ex geographia explicandum. Rabba ad fluvium *Zarkam* (زَرْقا) sita, teste Abulfeda p. 91. Syriae. Ex Polybio autem discimus, ipsam urbem in monte conditam fuisse, sub cujus uno latere praecipiti fluvius labebatur, ex hoc aquam petendam fuisse, quae ipsi urbi, situ alias tutae, deerat, libr. V. c. 81. p. 578. Urbs capi non poterat, *donec captivorum aliquis subterraneum obsidentibus meatum ostenderet, per quem obsessi aquatum descendebant. Hoc refractio, et materia, saxis, caeterisque id genus rebus obstructio, aquae inopia oppidanos adegit, ut deditionem facerent.* Hac ergo in valle ad Zarcam tempore Davidis pars urbis, satis ipsa quoque munita, fuisse videtur, sedes regis, (versu enim 26 עיר המלוכה vocatur) qua capta, inaccessa situ in monte urbs aquae inopia laboratura erat.

1892. עַיִר *aſinus.*

Pullum aſini interpretari ſolent, nec recentiores modo, ſed et plerumque veteres. Arabibus tamen عَيْرٌ generatim, *aſinus*, indeque عَيْرَةٌ *aſina*, ut jam ſupra pag. 1897. monitum, a *proficiſcendo*, *itinere faciendo*, quod erat conſvetum Hebraeis vecturae genus. Quod alii adferunt etymon, ab *excitando*, quod *aſellus ſit*, ut Bocharti verbis T. I. p. 60. utar, *parentibus multo excitatior*, *plus éveillé*, diſplicet, cum Arabibus certe non ſit pullus aſini, ſed omnino aſinus, nec ſolos aſinos, ſed et *camelos portantes annonam*, *et talia jumenta alia*, Arabes عير dicant, ſine dubio a proficiſcendo.

Mihi quidem in veteribus Hebraeorum libris, ante exſilium ſcriptis עַיִר tota hac latitudine, quam apud Arabes habet, maxime de aſino maſculo, adulto, vecturae apto, poni videtur. Inſignis locus Geneſ. XXXII, 15. ubi Jacobus Eſavo mittit, אתנות עשרים ועירים עשרה *aſinas viginti*, *aſinosque decem.* Ex analogia praecedentium, *capras ducentas, et hircos viginti*, *oves ducentas et arietes viginti*, *vaccas quadraginta et tauros decem*, decem עירים viginti aſinabus additi, vix alii eſſe videntur, quam mares et adulti. Adde et de aſinis poni quibus pro vectura utimur, cui pulli impares, Jud. X, 4. XII, 14. Jeſ. XXX, 6.

Magno conſenſu quod veterum plerique (excipiendus enim Arabs Samaritanus Geneſ. XLIX, 11. عيرة vertens) pullos intellexerunt, argumento forte eſſe poſſit, ſucceſſu temporum ſignificationem nominis mutatam, inque ſolis pullis haeſiſſe. Ergo antiquum et recentiorem diſtinguens Hebraismum, non negaverim Zachar. IX, 9. עַיִר *pullum* eſſe, explicari plerisque viſum per id quod ſequitur, בן אתנות, *filius aſinarum.* Nec tamen vel hic locus dubio caret, ſingulariter enim, בן אתון *filius aſinae* dicendum fuiſſet: pluraliter, *filius aſinarum* eſſe poſſit, *aſinus nobilior de bona ſtirpe aſinorum*, ſolent enim Arabes jumentorum ſuorum, equorum, camelorum, ſtirpes laudare, et genealogias habere.

1893. 1894. עָשׁ Job. IX, 9. *urſae ſidus*, עַיִשׁ XXXVIII, 32. *urſa minor.*

Magna codices conſtantia Job. IX. ſine Jod עש ſcribunt, cum Jod עיש c. XXXVIII, nihilque variae lectionis invenit Kennicottus. Unumne

ne unius ſideris nomen ſit (urſae, ut credo, majoris) an duplex duorum ſiderum, (urſae utriusque), dubitari poſſit: ſed antea de rei ſumma quaeſtionem inſtituamus, quodnam ſidus intelligatur? urſaene a veteribus hic plerumque neglectae, locus? Et hoc ante omnia enotandum, quod ad interpretationem nonnihil conferre poteſt, עַיִשׁ licet terminationis maſculinae ſit, ut *matrem* aliarum ſtellarum informari, atque feminine, עַל בָּנֶיהָ conſtrui Job. XXXVIII, 32.

In veteribus, ut huc usque intellecti et latine in Polyglottis verſi ſunt, parum hic praeſidii, aut ad verum inveniendum indicii: eorum tamen ſententias, ut in ſiderum nominibus ſoleo, enarrabo.

1) Retinet Chaldaeus in nono Jobi capite, itemque ſecundum Polyglotta Pariſienſia, in XXXVIII. Idne argumento eſt, nomen Chaldaeis uſitatum fuiſſe? an interpres nomen, cujus ſignificationem ignorabat, retinere maluit? In Arabia quidem nomen ſupereſſe urſamque ſignificare, infra teſte Niebuhrio docebo.

2) Idem Chaldaeus in editione Veneta, Baſileenſi, atque Polyglottis Londinenſibus, Job. 38. זגתא vertit, quo de nomine, ſatis obſcuro, diſputat in Hierozoico P. II. l. I. c. 16. p. 113. Bochartus, jubens adpellari זְגָתָא exque Arabico, دجاجة, *gallina*, Pleiades intelligens. Addit, gallinarum nomen apud Thalmudicos nonnunquam eſſe, זגתא, quod et habet Buxtorfius lexici pag. 645. — — Eſt in hoc aliquid perquam ſuſpecti, linguarumque legibus contrarii: Zain Hebraeorum mutare in D Chaldaei ſolent, nunquam ſuum Zain pro D aliarum linguarum ſubſtituere. Accedit quod دجاجة (Dagage) onomatopoeeticum ſit, ex gallinarum blandientium ſono, DUC, hoc quis in ZAG mutaverit? Thalmudicae linguae, non vivae, ſed magiſtralis, exigua in his auctoritas, reliquarum autem nulla ſub his literis gallinarum nomen habet.

Arabibus زُجّ *extremum rei*, *ferramentum in inferiore haſtae parte*, ſignificat, quin et, *polum, ſeu cuſpidem circum quam mola vertitur.* Quid ergo, ſi זגתא *ſtella polaris ſit?* Quidquid ſit, Pleiadas Bocharto ejusque conjecturis, grammaticae repugnantibus, relinquamus! Habent quidem et Pleiadas in nono Jobi capite LXX, ſed ita ut ipſi ſibi contradicant, in capite 38. *Heſperum* interpretati. Sed hoc inde, quod nomina, aut alio ordine lecta, aut memoria ordinem non ſervante, transpoſuerunt: niſi ſecum eodem in libro pugnare velis, erit illis

כימה — — πλειας
עש — — ἕσπερος
כסיל — — Ἀρκτουρος.

Haec in interpretando transpositio cui non accidit?

3) Ergo hi ipsi LXX ἕσπερον potius utrobique interpretantur, sicque et Vulgata, capite 38, Hesperum habet.

4) *Arcturum* Vulgata habet in capite nono Jobi, sed duplicis inconstantiae adcusanda: primo, quod c. 38. עיש Hesperum interpretatur, deinde, quod ibidem v. 31. Arcturi nomen pro כסיל posuit: nec transpositionis excusatio locum habet, in capite enim nono Hesperi nomen omnino non habet. Ergo contradicenti sibi ipsi suffragii jus haud concedendum.

5) Syrus utrobique ܥܝܘܬܐ habet, cujus nominis significatio multo mihi quidem, quam Hebraici obscurior. In additamentis ad Castelli lexicon cum de eo dicere oblitus sim, impositam mihi necessitatem video, hic id faciendi.

Arabs in Jobo Syriaca interpretatus عيوق habet, i. e. *Capellam*, *Aurigae stellam lucidam*. Hinc ut certum sumit Hydius p. 22. 23. notarum ad Ulugbeighi tabulas, Syriacum ܥܝܘܬܐ *capellam* notare. Sequerer illum, si certa lectio Arabis: sed vix mihi suspicionem eximere possum, Arabem, Syriacum nomen retinentem, عيوت scripsisse, atque عيوق errori librariorum deberi, illud nomen non intelligentium. Ipsi mihi aliquoties, manuscriptos codices legenti, accidit, ut ق et ت oculorum lapsu permutarem, aliquando et, ubi minusculae literae, oculorum hebetudine ambigerem. Lexicographi Syrorum ab Hydio citati, forte non tam absurde de ܥܝܘܬܐ sibi ipsi contradicunt, ut ex ejus versione latina facere videntur, sed dubii fuerunt, pluresque inter opiniones ita incerti, ut ignorantiam fateri quam sententiam dicere mallent. Integra adscribo Hydii verba, quod copiosius de ܥܝܘܬܐ egit, ubi ab eo dissentio, in notis subjectis significabo. „عيوق *Aiyuk* inquit, respondet Syriacum ܥܝܘܬܐ *Iyutho*, „et utrisque Hebraicum עיש (*), ut mox pluribus patebit. De signi-„fica-

(*) Ita quidem Job. IX, 9. at Job. XV, 27. pro כסיל ponitur.

„ficatione τῶν עש et עיש Judaei varie ſentiunt. — — — Syri mo-
„derni plus adhuc, ſed fruſtra laborant in explicando vocem ܥܝܘܬܐ.
„Turgjeman Syriacus exponit per الثريا *Pleiades*. Et Iſaac Barali
„ſic legit ܥܝܘܬܐ العيوق وهو احد من الكواكب الثور ويقال الجوزا „*Iyutho eſt Alaiyuk, eſtque una e ſtellis tauri, et dici-*
„*tur, Algiauza*. Primo recte interpretatus per Alaiyuk, at maxime
„errat, cum aſſerit, eſſe e ſtellis tauri (*): et magis adhuc, dum di-
„cit, eſſe Algjauzâ, i. e. Orion (**). Nec melius ſe expedire novit
„*Bahlulides* ſive *Barbahlûli*, ipſe enim alius lexicographi auctoritate
„nixus ſic explicare conatur: ܥܝܘܬܐ هي العيوق وهو كوكب
من الثور او الهقعة ܘܐܟܠܘܗ ܕܥܝܘܬܐ ܓܡܠܐ ܘܕܒܬܪ ܟܝܡܬܐ„
„ܥܝܘܬܐ ܗܝ علعيوق ܒܗ الدبران *Ijûtha in exemplari*
„*quodam* (***) *eſt Al-Aijuk, quae eſt ſtella ex Tauro, aut Alhek'a, et*
„*refert literam Gomal*, (†) *et currit poſt Plejadas, Al-Aiyuk in alio*
„*quo-*

(*) Fateor, magnum hunc errorem eſſe, capella enim non eſt in tauro, ſed in auriga. At contradictionis abſurdiſſimae reus non erit, ſi ſcripſit, legitque in Jobo عيوت, hac ſententia: ܥܝܘܬܐ *ab Arabico bibliorum interprete exprimi iisdem literis ſervatis*, العيوت, *vocabulo, quod ex Syriaco fecerit Arabicum, atque eſſe aliquam in ſidere Tauri ſtellam*. Sic ſanae mentis habebimus ſcriptorem.

(**) Atqui id non lexicographus dixit, ſed ſolus Hydius, male Arabica vertens, ſic potius reddenda: *et ſecundum alios, Orion*. Eſt notiſſima ſcholiaſtarum Arabicorum phraſis, aliam interpretationem adferentium, ويقال *et dicitur*, cujus Hydio non in mentem veniſſe, viro Arabicae linguae peritiſſimo, atque a quo eam diſcere velim, miror. Hac certe parte lexicographum ab omni contradictionis abſurdique erroris adcuſatione facile abſolvo. Ne certum quidem eum de *Orione* vocem miſiſſe, nam الجوزا et geminos ſignificat, ut verba verti poſſint, *una e ſtellis tauri, ſeu, ut alii dicunt Geminorum*, aliis nempe hanc ſtellam ܥܝܘܬܐ, عيوت, ad Geminos, aliis ad Taurum referentibus.

(***) Manifeſtum indicium, non omnia exemplaria ita habuiſſe, ut jam veriſimilior mea fiat conjectura, in aliis العيوت ſcriptum fuiſſe.

(†) Nempe ح Arabicum (ſine puncto) figuram refert Heka, ſeu trianguli trium ſtellarum in capite Orionis.

„*quodam exemplari est Aldebaran.* En portenta errorum (*). Di„cit, esse ex Tauro, esse Aldebaran, i. e. Hyades, aut Al Hek'a, „quod est nomen trium stellarum quae constituunt triangulum in capi„te Orionis".

Ex his quidem intelligitur, ipsis Syris quo tempore lexica scribebantur obscurum fuisse, quid sit ܥܝܘܬܐ, ambigentibus interpretibus obsoleti nominis, *taurum* inter, *Pleiades*, *Hyades*, *triangulumque in capite Orionis*, nemine de *capella* cogitante, unde certum in plerisque Jobi exemplis عيوق non scriptum fuisse, sed عيوث, referentibus tamen, aliqua exempla عيوق i. e. capellam habere. His unum addo, Jobi XV, 27. quo de loco versionis Syriacae plura vide pag. 1268. ܥܝܘܬܐ Hyades valde aptas esse, sunt enim vicina et simillima sidera Pleiades atque Hyades, ut de coeli eversore gigante ac θεομάχῳ dici possit, ܥܒܕ ܟܝܡܬܐ ܟܠܗ ܥܠ ܥܝܘܬܐ *ponit Pleiades super Hyades.*

Certi tamen nihil habemus, ac ne de etymo quidem. Hyades si sunt, potuerint ܥܝܽܘܬܐ, tanquam, *acervus stellarum* dici, ab Hebraico עי: verum et potuerit ܥܝܘܬܐ, sic melius ܥܝܘܬܐ efferendum, ab Hebraico עיש ortum esse, ש pro more utriusque linguae in ת mutato, quale quid jam olim Hydius conjecerat. Sed et hic derivatio dubia, eique obstat, quod Syriacum ܥܝܘܬܐ Job. XV, 27. et Amos V, 8. pro כסיל ponitur.

Vides, nullum prope esse Syri in interpretandis Hebraicis suffragium, cum et ignoremus, quid dicat, et ipse sibi contradicat, ܥܝܘܬܐ jam pro עיש ponens, jam pro כסיל.

Jam

(*) Portenta errorum non video, sed lexicographum dubitantem ac varias ignoti vocabuli explicationes, alias ab aliis proditas, referentem. Non vult, Pleiadas esse Heka, et Heka Aldebaran, sed tres diversas de significatione nominis promit interpretationes, sic vertendus: ܥܝܘܬܐ, *pro quo in aliquo exemplo* (versionis Jobi Arabicae) العيوق *legitur, est stella ex Tauro, aut Alheka, refertque figuram literae* ܟ, *et currit post Pleiades. Pro* العيوق *in quinto exemplari,* (aut, in quinque exemplaribus) الدبران *Eldobran, scriptum est.*

De his judicare et ſententiam ferre tentemus; veriſimilia aut vera a parum probabilibus ſecernentes. Pro Pleiadum ſidere parum dici poteſt, dubiae, ut vidimus, auctoritates, ac ne bona quidem derivatio in promtu, quam enim Bochartus T. II. Hierozoici p. 114. ab עָרַשׁ *congregari* adfert, quod ſit ſtellarum cumulus, incerta nititur, linguisque orientalibus ignota hujus verbi ſignificatione. Vide num. 1863. Sed, quod plane hanc conjecturam evertit, Pleiades ſine dubio ſunt כִּימָה, de quo vide, praeter dicta num. 1136. Syriacum lexicon p. 410. 411.

Hyadas ſolus fortaſſe Syrus habet, incertus auctor ipſeque ſibi contradicens, ac dubiae interpretationis: ſuppeteret tamen etymologia a غَيْث *pluvia*, pluviam enim ciere Hyades credebantur.

Heſperum commendat et Job. XXXVIII, 32. ubi ſtella eſt feminina, mater aliarum dicta, et derivatio ſe offerens, ab عَشِيّ *veſpera*, formae קֵן a קנה. Ergo hanc interpretationem plane amplecterer, niſi melior adeo ac veriſimilior ſe offerret.

Arcturum plane repudio.

Suſpicatus ſupra ſum Chaldaeum, זגתא vertentem, de ſtella polari loqui. Nihil ejusmodi ſuſpicati recentiores, a Bocharti tamen inde tempore de urſa, ſive minore ſive majore cogitare coeperunt. Bochartus, ut mihi quidem videtur errore verum inveniens, facem illis praetulit, in Hierozoico P. II. l. I. c. 16. p. 113. 114. Arabicum confert, نَعْش *feretrum*, quod et de utroque ſidere coeli cognitores ponunt, النعش الصغري *feretrum minus*, et النعش الكبري *feretrum majus*; addit tres ſtellas in cauda utriusque urſae vocari, بنات النعش *filias feretri*, plane ut עַיִשׁ Job. 38. *mater filiorum* ſit. Haec veriſimillima, quis neget? aegre enim careremus in aſtrognoſia Hebraica, illisque locis, ubi primaria ſidera memorantur, utriusque urſae nomine: utrumque nautis, et paſtoribus deſerta pererrantibus, viae index, alterum ideo nobile et primarium, quod ſtellam polarem habet, alterum ob ſeptem ſtellarum per totam noctem conſpicuarum magnitudinem notabile, ut vix ignorare illud poſſit, qui noctem, aut veſperam, ſub dio egit: at adſentiri cupientem revocat, quod نَعْش, et עָשׁ, maxime vero עַיִשׁ diverſarum radicum videntur: addo etiam, pro نعش Arabum Hebraice,

ex

ex utriusque linguae analogia כעס, vel certe עס per Samech exſpectan-
dum fuiſſe.

Suppetias ergo tulit, meliusque etymon ſuppeditavit Schultenſius in
commentario in Jobum, ab عوس et عسّ *noctu circumire*, unde عَاسٌ
vigil nocturnus, *per urbes et alibi obambulans*. Tali quidem vigili no-
cturno, nunquam occidens, perque totam noctem in coelo obambulans,
utraque urſa egregie comparari poſſit. Vide Ovidium T. IV. Triſt. eleg. 3.
Jam ergo *Septentriones* inter, et *Hesperum* optandum, nec id diffi-
cile: ut enim taceam, quod ſupra dixi, mirum eſſe ſi alia ſidera in codi-
ce ſacro commemorentur, haec nobiliſſima nuſpiam, עַיִשׁ Jobi XXXVIII,
32. ut mater ſiſtitur, filiis orba illisque ſuperſtes, quod in ſeptentrioni-
bus verum, at in Hesperum plane non cadit, matri potius ante filios mo-
rienti et occidenti comparandum. Sed accedit, unumque dirimendae
liti ſufficit, quod teſte Niebuhrio, non Judaei ſolum Sanaenſes et Bagda-
denſes (Judaeorum enim minorem rationem habeo) ſed et Arabes Perſici
ſinus accolae urſam majorem ASCH vocant (*).

Jam et quaeri poſſit, ſintne עָשׁ et עַיִשׁ plane ſynonyma, utramque
urſam, quam ob magnam ſimilitudinem pleraeque gentes eodem nomine
complectuntur, ſignificantia? an diverſa? poſſit enim עיש diminutivum
eſſe, formae Arabicae عُبَيْد. Res pendet ab interpretatione loci Job.
XXXVIII, 32. quem, ob rationes in bibliotheca Orient. priore T. VIII.
p. 217. redditas, mutatis vocalibus lego, וְעַיִשׁ עַל בָּנֶיהָ תְּנַחֵם *et Aiſch*
ob filios ſuos ſolaris? Hoc quidem urſae minori, ipſique ſtellae polari
aptiſſimum, quae poſſit recte, Arabica phraſi, *mater ſtellarum* dici, quod
eſt altiſſima. Haec ſola cum per totam noctem annique omne tempus,
non in Syria ſolum ac Palaeſtina, ſed et in Arabia, Aegyptoque, nun-
quam occidat, reliquis ſtellis occidentibus, et tanquam morientibus, ma-
tri comparari poſſit, filiis orbae, illisque ſuperſtiti. Hanc ſolari videtur
Deus, ubi ſtellae iterum oriuntur et ſupra horizontem emergunt.

(*) In deſcriptione Arabiae p. 114. narrat, Judaeum Sanaenſem, aſtro-
logum, ſed imperitum aſtrognoſiae, interrogatum a ſe, conſultis aliis Ju-
daeis, reſpondiſſe: *Aſch eſſe Om ennäſch*, urſam majorem: P. 115. *Näſch*,
oder Benäth Näſch, *welches Sternbild die Juden zu Sanaa und Bagdad*, *im-*
gleichen die Araber am Perſiſchen Meerbuſen auch Aſch nenneten, *iſt der gros-*
ſe Bär.

1895. עכב *moratus est*, ex varia lect. Job. XXXVII, 4.

עכב, verbum in codice masorethico non lectum, ideoque nec in lexicis, Chaldaeis est, *morari*, *tardari*, *cunctari*, *impediri*. Non habent Syri Samaritanique, Arabes alia habent significatione, *fumandi*, ac prope contraria, عكب *agilem*, *alacrem*, sed et derivata habent, *crassitiem* notantia, quae possit cum *tarditate* Chaldaeorum cognata esse. — Hoc quidem verbum Job. XXXVII, 4. לא יעכבם in tribus Kennicotti codicibus legitur, 17, in 249 a prima manu, in 223 a correctore, sicque et Chaldaeus vertit, לָא יְעַכְּבוּן. Lectionem neutiquam praefero, sed tamen interpretor: *nemo illa* (fulmina) *impedit*, *vel moratur*. — — Suspicari possis et Joel. II, 7. Chaldaeum pro יעבטון legisse, יְעַכְּבוּן, vertentem, לָא מְעַכְּבִין *non impediunt vias suas*, verum nullus ita codex, ergo interpretationem potius, quam lectionem a textu diversam dixerim.

1896. עַכְבָּר *mus*.

Non habent Syri, habent Chaldaei de quibus vide Buxtorfium, et perquam raro, ita ut vel in lexicis aliquando desideretur, Arabes, quibus est, *mus biceps Jarbua mas*, docente Bocharto T. I. p. 1015. l. 20–30. Idem in toto illo capite, tricesimo quarto libri tertii copiosius de animali egit, *murem* maxime *agrestem* esse censens, nempe quod agros Philistaeorum 1 Sam. VI. vastaverit, quamquam de hoc quidem loco, vastatisque a muribus agris dubitari posse postea videbimus. Oedmann in *vermischte Sammlungen* fasc. II. c. 3. *glires* (Ratzen) interpretatur, nihil argumenti philologici adferens, sed id modo, glires agros vastare, et cibo esse posse, quasi vero non et in mures utrumque cadat. Habent et Syri, sed per ק, ܥܘܩܒܪܐ, quod ubique pro עכבר Syrus interpres ponit. Arabs in Samuelis libris Syriaca interpretatus, 1 Sam. VI, 5. 11. جرذان vertit, a singulari, جرذ, quae est muris majoris campestris species, muri bipedi in multis similis, adcuratius descripta a Shawio pagina itinerarii 176 (versionis germ. 156) sub nomine *Jird*.

Etymon omnino latet, quod enim Bochartus prodidit, ex Chaldaico עכל *absumsit* (pro אכל) et בר, *comedens frumentum*, Simonisque ab עכר et בר, *fricuit frumentum*, displicet. Mallem referre ad عكب *agilis*, *alacer*, quo et עכביש referendum.

Levit.

Levit. XI, 29. et Jes. LXVI, 17. quin, *mus*, *animans*, sit, dubitari nequit, putemque ibi nomen de toto genere poni, cujus nullam speciem permisisse, sed totum genus cibo impurum habuisse Moses videtur. At de 1 Sam. VI, 4. 5. 11. 18. addubitare coepi lectis illustris archiatri Hensleri, mei olim auditoris, literis, qui suspicatur, murem ibi non animal esse, sed morbum, carbunculum, aut bubonem Venereum forte, copiosius haec tractaturus in secunda parte historiae luis Venereae ante inventam Americam. Sententiam dicere non possum antequam haec, quae promittit, legerim, avidusque ea exspecto. Venerei etiam bubones si non sint, possint esse, haemorrhoidales. Est in tota narratione, quod ejusmodi bubones aut mariscas intelligere svadet. In malis, quae Philistaeos vexarant, nulla 1 Sam. V. murium mentio, quod ita molestum fuit interpretibus, ut LXX et Vulgata 1 Sam. V, 6. mures adderent: placuit Hubigantio, sed codex nullus confirmavit. Omni dubio liberamur, si mures capitis VI sunt idem fere quod עפלים, carbunculi aut tumoris ulcerisve genus. Fuisse jam ex Syris, qui non de animali, sed morbo acciperent, ex Castelli lexico disco, sub ܥܘܟܒܪܐ, quod Syrum 1 Sam. VI. pro עכבר ponere dixi, sub nomine Barbahlulis habente, *morbus serpens, et intorquens se instar serpentis.* — — Obstare tamen videtur, ac pro muribus agrum vastantibus facere versus capitis quintus, עכבריכם המשחיתים את הארץ. Ergo liceat mihi donec certiora edocear, dubitare.

1897. עַכָּבִישׁ *araneus* Job. VIII, 14. Jes. LIX, 5.

Significatio dubio carens, cum et omnes eam versiones veteres praeierint, et Arabibus عنكبوت vel عنكبوت sit, *araneus*, sic et Chaldaeis עַכּוּבִיתָא. Aliquando et עָשׁ *araneum* vertentes veteres, ut LXX Ps. XXXIX, 12. Syrus Job. XXVII, 18. *videntur* pro עכביש, per compendium עש scripto, habuisse. De derivatione nihil habeo novi dicere, sed ad Schultensium, quem Simonis breviter excerpsit, ablego.

1898. עֶכֶס Prov. VII, 22.

De עכסים compedibus, sive captivorum, sive innuptarum atque elegantium puellarum, ornamento, et custodia pudicitiae, ab عكس *ligavit, pedem revinxit*, jam non dico, sed ad Schroederum de vestitu mulierum Hebraicarum ablego, ex quo profeci. Equidem et de his catenulis cruralibus virginum egi in jure Mosaico P. II, §. 92. p. 155. 156.

non

non certam esse virginitatis custodiam monens. Hic quidem non nisi de Prov. VII, 22. ago.

Recentiores plerumque et ibi vincula vertunt, *et velut in compede, vel vinculis*, quod quidem literis textus וכעכס parum aptum, esse enim debuisset, וכבעכס. Unus quidem Kennicotti codex, 155 i. e. Carlsruhensis secundus, ובעסק habet, quod possit optime verti, *et in vinculis* adducebatur ad poenam stultorum: sed cum solus sit, manseritque etiam in secundis de Rossii excerptis, nec veterum interpretum quisquam accedat, ad sphalmata librariorum felicia lectio ablegandа.

Ex veteribus LXX, Syr. Chald. Arabs, in Proverbiis congruere, alterque alterum sequi soliti, *canem* interpretantur (*ducitur ut canis ad vincula)* credo, ab alligando eum dictum putantes, *canem catenarium*. Parum verisimilis imago juvenis stulti, perdite amantis adulteram: saevus non ille nec formidandus, ut canis catenarius. — — Symmachus, σκιρτῶν ἐπὶ δεσμῶν, *saltans in vinculis*. Saltare dicuntur liberius depositis catenis cruralibus, virgines, poëtis Arabum: ejusmodine moris quid spectavit Symmachus, vultque hunc *in catenis saltare?* Similia his habet sumens עכס esse, *ludere*, *saltare*, *Hunt*, in, *observations on several passages of te Proverbs*, vertitque, *ut cervus ad rete saltat*, i. e. *currit*. Hanc tamen *saltandi* significationem certis exemplis firmari non video. Pejus etiam Vulgata, *ut agnus lasciviens*, quod quomodo ex עכס effici possit, viderint, qui talia Hieronymum docuerunt, Judaei. Animalis nomen si velles, non sane ovis foret, sed alius nondum satis noti, quod his verbis in *descriptione animalium*, et vero *quadrupedum p. V. n. 31.* describit Forskålius: *Aeksch* عكش *ejusdem formae* (nempe, *feli simile*, *sed majus*) *gallorum sono clamitans*, rapax. Habet et paulo post eadem pagina, in, *solo nomine notis num. VIII.* عكاش. Possit quidem עכס esse, animalis, rapacis genus, feli simile, quod decipula capitur. Ergo forte in posterum aliquis naturae et linguae Arabicae, non ex lexicis librisque, sed ut vernacula est, perfectior cognitor, plura dederit, et haec quae dare possum aboleverit.

Mihi quidem hucusque verisimilius visum, עֶכֶס *capturam aranei* interpretari; ab عكش, *contorsit* comam, *telam texuit araneus*, unde et عُكَّاشَة *araneus*, ipsumque, quod praecessit, quadriliterum עַכָּבִישׁ. Sic sententia: *et sicut captura aranei in vincula* i. e. in telam ejus. (אויל aliter lectum, ad sequentem versum refero, sed de eo vide in bibliotheca

Orien-

Orientali nova, lectiones Proverbiorum varias.) Haec quidem, donec certius ſciam, quod animal, ac quo vitae genere, utque dicunt naturae hiſtorici, qua oeconomia ſit, عكش et عكاش Forskålii.

1899. עָכַר.

Proprie eſt, phyſico ſenſu, *turbare*, *turbidam facere*, *colore obſcu-*
ro inficere aquam. In fabula Locmani 17. Aethiopi ſe abluenti dicit alius,
لا تُعَكِّر النهر, *noli turbare*, vel tuo colore inficere, *flumen*, *tu*
enim nunquam albeſces. Hinc duplex maxime verbi Hebraici uſus: 1) *in*
furto, *injuſtisque opibus*, quibus tanquam purae et limpidae opes, tur-
bantur, Joſ. VII, 25. *tu turbaſti nos*, furto nempe et ſacrilegio, Geneſ.
XXXIV, 30. עכרתם אתי, *me*, *juſtasque meas opes*, *turbidas feciſtis*, *ra-*
pto, *ſpoliisque injuſtis*. Prov. XI, 29. *qui turbidam facit domum ſuam* in-
juſte partis opibus, *hereditabit ventum*, *ſed juſti ut folium florebunt.* XV,
6. *in aedibus juſti ſunt divitiae magnae*, *ſed in proventu injuſtorum turbidi*
quid. 2) *turbare faciem*, i. e. contriſtare. Sic Joſ. VII, 25. in apodo-
ſi, *tu turbaſti nos* injuſte partis ac furto, יעכרך יהוה *turbet*, i. e. *con-*
triſtet te Jehova.

1900. עִלֵּג Jeſ. XXXII, 4.

עִלְּגִים ſatis unanimiter, *balbos*, vertunt, pro qua ſignificatione ad-
ferri poteſt Syriacum ܓܠܥܐ *balbus*, tranſpoſitis radicalibus.

Hac tamen tranſpoſitione non opus, ſi conferas عِلْج *barbarus*,
qui tranſit ad Arabes: ſic עלגים *barbari* erunt, *barbare hucusque et im-*
pedite loquuti, ac verſio verborum לשון עלגים תמהר לדבר צחות
lingua barbarorum expedite loquetur ſana. Barbari hic, heterodoxi, ex
filo orationis. Arabibus heterodoxia et hallucinatio in fide barbariſmo
comparatur: Coranus Sur. XLVII, 32. de illis, qui de bello ſuſcipiendo
nimis loquuntur dubitanter (v. 22.), *facile agnoſces illos* في لَحْنِ ٱلْقَوْلِ
ex barbarie vocis, quin ipſum عِلْج a Caſtello, *haereticus* explicatur.

Caeterum non haec ſibi oppono invicem, ſed lubens tranſpoſitio-
nem לעג atque עלג admitto, utroque verbo idem dicente: barbaries lin-
guae a balbutiè dicta.

1901. עָלוֹ *altissimus* 1 Sam. II, 10.

Sic ibi in textu: praefero equidem lectionem marginis, עליו, eamque in versione germanica sequutus sum, sed tamen et Chethib explicandum. עָלוֹ esse videtur, *Altissimus*, ab עלה adscendit, et עָלוֹ בשמים ירעם *altissimus in coelo tonabit:* quamquam possis et his vocalibus efferre, עָלוּ בשמים *si coelum scandunt, tonabit*, fulmine gigantes coelum invadere ausos prosternet; sed est hoc nimis elegans et Graecum.

1902. עַלְוָה Hos. X, 9. *fraus.*

Plerique putant, per metathesin factum ex עַוְלָה *injustitia*, multique adeo codices Kennicottiani et de Rossiani עולה habent, quod melius esse existimat de Rossi. Nec tamen עלוה sententia cassum: *fraudem significabit*, a Syriaco ܥܠܒ et Aethiopico עלו *fraudulenter egit, fidem fefellit.* Vide lex Syr. Sententia: *bellum eos non adsequebatur Gibeae,* (expugnari Gibea, vincique Benjaminitae non poterant) *ob filios fraudulentiae*, i. e. ob aliquos fraudulenter bellum gerentes. Haec quidem et lectio et versio totum versum legenti aptior, quam עולה, *injustitia*, videbitur. Vide et notas germanicas ad Jud. XX, 19–25. Arabes verbum hac notione non habent.

Notat Masora ad Hoseam, ter occurrere, nempe computatis locis ubi ut nomen proprium ponitur, Genes. XXXVI, 40. 1 Paral. I, 51, in Keri.

1903. עֹלָה *holocaustum.*

In peculiaribus serioris Hebraismi chronicorum numerandum, quod 2 Paral. XXXV, 12. de illis partibus aliorum etiam sacrificiorum, quae totae comburuntur, ut, *adipe*, ponitur, *Levitae detrahebant pelles, et separabant* העלה *illa quae tota igne absumenda erant:* quae antiquiori Hebraismo et Mosi, אִשֶּׁה. Suspicari lectionis varietatem possis, Vulgata vertente, *separaverunt EA* (ויסירו האלה) sed nullus hucusque consultorum codicum ita habet, omnes העלה aut plene העולה.

1904. עֲלִיָּה ὑπερῷον.

Idem quod Arabum عُلِّيَّة *coenaculum in superiore parte aedium, a reliquis aedibus sejunctum, licet januam versus illas habeat, plerumque clausam, coecam praeterea scalam, per quam descendi, et per peculiarem*

coe-

coenaculo portam exiri in plateam potest Optime descripsit Shawius p. 214. itinerarii, ac plura de eo dicam in praelectionibus in antiquitates meas Hebraicas, mox edendis, ad §. IV. Hebraicum עליה LXX ὑπερῷον vertere solent, vicissim et Graecum ὑπερῷον Arabes علية, ut Jerem. XXII, 13. Pf. CIV, 3. Act. I, 13. IX, 37. 39. XX, 8. Syrus aliquando ܥܠܝܬܐ in vertendo retinet.

1905. עליה 1 Sam. IX, 24?

הֶעָלֶיהָ 1 Sam. IX, 24. quod mihi quidem, puncta masorethica secuto, est, *et quidquid est super illum* (sc. humerum) aliis nomen visum, de quibus vel dissentienti dicendum. Syrus ܥܠܝܬܐ *superiorem partem*, vertebat: Houbigantius, infelici ut solet conjectura in והאליה *caudam adiposam* mutabat, immemor, hanc comedere nefas fuisse, inter adiposa erat, altari sacra, atque aeque ut ipse sanguis vetita.

1906. מַעֲלָה plur. מעלות *gradus.*

Gradus scalae, proprie sic dictos, significare certum: at hi vix apti locis Jes. XXXVIII, 8. 2 Reg. XX, 9-11. ubi sol, i. e. umbra solis *decem gradus quos descenderat in gradibus Achazi retro iisse* dicitur. Immane id, si gradus intelligas, quibus ad palatium regis ascendebatur. Expedita omnia, si gradus hic eo sensu accipias, quo nostro tempore mathematici vocabulo utuntur, ut sit $\frac{1}{360}$ circuli, atque inde, gradus horarii. Sic quidem jam ex veteribus acceperunt, qui Jes. 38. מעלות אחז *horologium Achazi* verterunt, ut Chaldaeus, אבן שעיא *lapis horarum* (in regum libro צורת אבן שעיא) Symmachus, et Vulgata, cujus ipsa verba adscribo: *reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis: et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Est haec denominatio partis trecentesimae sexagesimae plane Orientalis, nec nos eam a Graecis Latinisque habemus, sed ab Arabibus, درجة *gradum* vocantibus, quorum latini interpretes primum latinismo recentiori invexerunt. Vide Kaestneri *geometrische Abhandlungen, erste Sammlung,* n. 58. p. 457. seqq. Hinc etiam factum, ut Hieronymus *lineas* verteret, licet et in altero membro literaliter *gradus* ponere auderet. Absurdiuscule Chaldaeus in libro regum decem gradus de decem horis intellexit. — — Caeterum שיר המעלות, in titulis psalmorum ab 120 ad 134. quid sit, multum disputatum. Meam si adjicere

jicere sententiam liceat, *gradus poeticos*, i. e. *metrum* intellexerim, *canticum metricum.* Sic Syris cantici aliquod genus ܣܒܠܬܐ ܕܙܡܝܪ̈ܬܐ *scalae odarum* dicitur.

1907. עֱלִי Prov. XXVII, 22. (Cohel. XII, 11?)

Obscurum vocabulum, quod *pistillum* interpretari solent, reliquis linguis Orientalibus hac significatione ignotum, atque in quo valde dissident veteres, praeter quos et lege Schultensium ad Proverbia.

Ignorantiam fateri videtur Syrus, plane omittens. *Aream* interpretatus Chaldaeus, *si percusseris stultum plagis inter coetus* ובאודרך *et in area tua.* LXX pro verbo habuerunt, *ignominia adficere* significante, ἀτιμάζων, exque illis Arabs: quae quo modo, aut qua arte his ex literis effici possint, discere ab aliis quam conjicere malim. Est hic magnopere notandus interpretum dissensus, qui in Proverbiis alias iidem esse solent, LXX. Syr. Chaldaei: illorum ergo jam tempore vocabulum dubium obscurumque.

Pistillum praeiverunt, Aqu. et Theod. ἐν ὑπέρῳ, (sicque et habet recentior versio Graeca, quam ex bibliotheca S. Marci Veneta edidit Veloison) Vulgata, expressa quodammodo etymologia, *feriente desuper pilo.* Recentiores fere dictum volunt ab *ascendendo et descendendo*: mihi sane praeplaceret, pistillum, *superius* dici, mortario oppositum. Vera si interpretatio, forte et huc referri possit, mutatis vocalibus, Cohel. XII, 11. מסמרות נטועים בָּעֱלִי, *paxilli infixi altiusque adacti pistillo*, i. e. malleo vel saxo.

Habent Arabes, عَلَاةٌ, *incudem, lapidem qui supponitur rei terendae.* Hoc sequutus Schultensius mallet, עלי *mortarium* interpretari, et מכתש *pistillum.* Josephus quoque Kimchius (in Davidis Kimchii libro radicum pag. שׁעא) interpretabatur, שׁם כלי שבותשׁין בתוכו, *nomen vasis in quo contundebant.* Mihi quidem non satis liquet, verisimilius tamen מכתש, quod supra suo loco vide, esse mortarium.

1908. עלל.

Verbum multarum significationum apud Hebraeos, quas ad unam revocare difficile. Tentavit Schultensius in Originum libro primo, cap. VI. omnia revocans ad عَلَّ de secunda jumentorum adaquatione poni solitum,

litum, atque opponi primae, cui نهل nomen. Valde mihi olim probabatur, cum juvenis legerem, sed postea dubitare coepi, licet non omnia negem: *secunda jumentorum adaquatio* vix prima esse possit verbi primitivi significatio, videturque potius orta a Chaldaico ac Syriaco עלל, *ingressus est*, quod in prima adaquatione modo ad rivum vel stagnum deducuntur, ore ex eo sorptura jumenta, in secunda illa ingrediuntur atque sic bibunt. — — Ipse verbum tractare non audeo, satis explorata nondum habens, quae lexicis addam: id unum, plura עלל significare possit pro adpellationis primae literae diversitate: diversa enim, ac prope opposita علّ *potare*, et غلّ *sitire*. Aliis haec expedienda relinquo, ad quae nimis sero dubitator accedo.

1909. עֲלִיל Ps. XII, 7.

Ἅπαξ λεγόμενον. *Catinum* interpretari solent, nullo linguarum Orientalium usu, sed Rabbinis ita volentibus, quibus Chaldaeus praeivit, כורא vertens. Adscribo Reuchlini verba, ex nostris lexicographis primi magisque perspicui: *est leo, seu vas alchimicum, in quo sublimatur aurum et argentum, quod magistri ejus artis Aludel nominant.* His, quae Kimchius in libro radicum, et Raschi in commentario in psalmos habet, nimis copiosis, supplementa onerare nolim. Etymon addituri aliqui *officinam* vertunt, sumentes, עלל esse *facere*: quam significationem qui in dubium vocat, possit et ad غلّ et غلغل *fluxit* referre. Vera si explicatio, כסף צרוף בעליל לארץ erit, *argentum nativum atque ἄπυρον, a terra ipsa in suo, ut ita dicam chemice laboratorio excoctum.*

Ex veteribus parum hic disces, sententiae modo summam exprimentibus. LXX δόκιμον τῇ γῇ, Vulg. *probatum terrae*, Hieronymus in sua versione, *separatum a terra*, Aquila, χωροῦν τῇ γῇ, quod forte idem significat, *secedens a terra*: ὁ Ἑβραῖος in Hexaplis citatur, τὸ ῥέον ἐν τῇ γῇ, *argentum fluens in terra*, i. e. in ipsa terra liquatum. Rabbinorum aliqui עלי, quod mortarium vertunt, contulerunt: sic quidem intelligendum mortarium, non ex metallo, hoc enim ipsum funderetur, sed עליל לארץ *mortarium ex terra*, tali nempe, ut est *Almerodensis* (Almeröder-Erde) igne nullo liquescens. Verum ל materiam ex qua non denotare solet, exempla tamen usus dubia adferunt.

Vides, aliquid nos usus mtallurgici verbi nominisve ignorare: nec mirum, cum vel in lingua patria haud parum ejusmodi eruditi ignorent. Ad hunc usum metallicum verbi et retuli

1910. על Prov. XIV, 14.

וּמֵעָלָיו efferens, ut עַל sit, excoctum ac purificatum metallum. Deducebat me eo prioris membri oppositio: *de viis suis satiatur cujus cor est scoria*, (ἀδόκιμον) *et explorato suo ac probo metallo, vir bonus*. Vereri incipio, ne nimis audacter, et tamen ita adblanditur, ut repudiare nequeam. — Communis linguae Arabicae usus et lexica hic nos destituunt: a lectore librorum chemicorum et alchemicorum Arabicorum discendum, sed in his mihi nullum nomen. — — Possis etiam עָלָיו vertere, *opera*, *satiatur bonus operibus suis*, ut idem sit quod alias עֲלִילָה et מַעֲלָלָה *opus*, ab עלל *fecit*. Sic Arabs.

1911. עָלָה *ingressus* Job. V, 26?

Displicet auribus *adscendendi* verbum hac orationis serie, כַּעֲלוֹת גָּדִישׁ בְּעִתּוֹ *ut adscendit cumulus frumenti tempore suo*: hos ergo, quibus ad codices aditus, de Rossium maxime interrogaverim, nullusne codex habeat, כַּעֲלוֹת vel, כַּעֲלֹת, ab עלל *ingredi*, quod maxime Chaldaei de ingressu ac comportatione in horreum ponunt: *ut ingreditur* vel importatur horreo *cumulus frumenti tempore suo*.

1912. עָלַם.

Plures una significationes, nulla ratione cognatas, haud raro habere solent verba, quarum litera radicalis ע, ob duplicem ejus adpellationem, ع et غ: nostro autem עלם non duas, sed tres adeo notiones dant linguae Orientales.

1) *Occultum esse*, et transitive *occultare* sine dubio Hebraeis significat: sed, mirum, haec perquam frequens notio linguae Hebraicae ita peculiaris, ut nulla alia reliquarum Orientalium eam habeat, nisi forte eo retuleris Samaritanum עלם *connivit*, quasi diceres, occultavit oculos. Huc etiam refero ומעלם Jes. LVII, 11. aliter lectum, ומעולם, quod habent, teste de Rossio plures codices optimi, tres ab ipso nominati, sed et plures, nonnullaeque editiones, vertuntque LXX, παρορῶ (*).

Nempe

(*) Ἐγώ σε ἰδὼν, παρορῶ, *ego te videns, tamen non video*. Pro אני מחשה ומעולם, habuisse videntur, אֲנִי חֹזֶה וּמַעְלִם.

Nempe וּמַעְלִם efferens, interpretor, *nonne sileo*, *et occulto oculos me-*
os, i. e. *conniveo*, *non video*. (Possit tamen illi loco et alia lectionis
mutatione consuli, quam ipsam codices habent.)

Caeterum mirum, hanc notionem Hebraeis usitatissimam, non so-
lum reliquas orientales ignorare, sed prope contrariam habere.

2) علم frequentissimum Arabibus verbum, est, *novit*, *cognovit*,
indeque عِلْم scientia, atque اصحاب العلم *socii scientiae*,
magi, quo Bochartus in Hierozoico T. I. p. 750. nomen magi pro-
prium ἐλύμας Act. XIII, 8. retulit. Huc referendnm putem, sed co-
gnoscendi verbo sensu venereo accepto, Nahum. III, 11. *etiam tu inebri-*
aberis תהי נעלמה *cognosceris*, i. e. prostitueris libidini: nisi forte, ea-
dem manente sententia ex sequente غلم (num. 4.) interpretari prae-
stiterit. Veteres quod habent, LXX. Vulg. Syr. *eris despecta*, Chal-
daeusque מסלעמא, *absumta*, *perdita*, quomodo ex literis נעלמה ef-
fici possit, difficile dictu.

3) Sciendum etiam, non, ut proficiamus in Hebraicis, sed ut ety-
mologiam quorundam intelligamus, deque ea judicare possimus, ab
عَلِمَ *novit*, esse Arabibus عَلَمٌ *signum*, hinc novum fieri denomi-
tivum عَلَّمَ *signum impressit*, *signavit*: hinc Schultensius ad Prov. XXX,
19. virginem עלמה dici censuit, tanquam, *obsignatam*, quippe quae
sit מעין חתום *fons signatus*. Mihi quidem haec derivatio, ambigua
etiam in deteriorem sensum, haud probatur: עלמה enim femininum
est ab עֶלֶם *adolescens*, cui ipsi aliam Schultensius derivationem dedit.

4) غَلِمَ maxime in conjugatione octava اغتلم est, ut Schulten-
sius ad Job. VI, 16. docuit, *furere*, *cum impetu irruere*, (هاج) in-
primis usitatum de oestro stimulisque Veneris, et de aqua vel mari fu-
rente, et exundante, e. g. (quod sumo ex Castello) البحر اذا اغتلم
mare cum furit: unde et Camus اغتلم الماء explicat, سال الماء,
fluxit, nempe vehementius et cum impetu, *aqua*. Sic et Hebraicum
verbum de nive montium liquescente ponitur, quae furibundis torren-
tibus rivos intumescere et exundare facit, Job. VI, 16. עלימו יתעלם
שלג

שׁלג *in illos* (rivos) *furibunda ruit nix.* Eadem figura Lycus, fluvius rapidissimus, *lupus rabidus* Arabibus dicitur.

1913. עֶלֶם *adolescens.*

Rarius Hebraeis vocabulum, nonnisi 1 Sam. XVII, 56. (quam totam pericopen spuriam mihi videri in bibliotheca Orientali Apend. T. XII. p. 196. XX, p. 30. professus sum,) et XX, 22. obvium, sed reliquis linguis Orientalibus frequentius, unde fit, ut et harmonice vertant, Chaldaeus utrobique עולמא vel עולימא, Syrus c. 17. ܥܠܝܡܐ, Arabs c. 20. غُلَام. Referendum ad quartam praecedentis verbi significationem, ac proprie sic dicitur *adolescens, ex quo stimulos Veneris sentire incipit*, puber. Dubitavit Simonis, maluitque a *latendo* puerum dici, qui nondum in publico compareat: sed vel ipsa Arabica scripto per غ, غلام, argumento est, et Syriacum ܐܬܥܠܡ *adolevit*, de virgine, cum nubilis fit, desinitque puella esse, usitatum. Omittere forte potuissem, cum veram derivationem, licet contradicens, verbo indicaverit Simonis, sed via mihi munienda ad id quod sequitur.

1914. עַלְמָה *virgo.*

Virginem, et vero puram atque intactam significat, qua de re cum Judaeos inter et christianos occasione vaticinii Jes. VII, 14. disputatum sit, vocabulumque in manus polemicas inciderit, male de eo actum. Ex derivatione probare adnitebantur christiani, non nisi intactae virgini proprium esse: male sane, nec enim omnis aut tota vis nominum ex derivatione pendet. *Presbyterum* cum audis, aut *senatorem*, indene efficies, *senem* esse? quinquaginta vel sexaginta annis majorem? Ut in simillimo exemplo maneam, nostra in lingua ex eodem etymo orta, quam sunt diversa significatione, *Jungfrau*, virgo intacta, et *junge Frau*, maritata? Commenti autem, polemico partium studio, sunt lexicographi etymologiam veri dissimillimam, ab *occultando*, quod virgines velatae incesserint, aut domi a virorum conspectu occultatae fuerint (*). Atqui עלמה femininum est praecedentis עֶלֶם, nec vero, sive pueri sive adolescentes, obvelabantur,

(*) Praeivit jam Hieronymus cui in commentario ad Jes. VII, 14. *alma* est, *non solum puella vel virgo, sed cum* ἐπιτάσει *virgo obscondita et secreta, quae nunquam virorum patuit adspectibus, sed magna parentum diligentia custodita est.*

tur, aut domi continebantur. Ipsae adeo virgines olim non velatae, sed libere vultum ostendebant, exque domo patria egrediebantur ac greges pascebant, nobiliores etiam, Genes. XXIV, 11-27. XXIX, 4-12. Exod. II, 16. et עלמה *virgo* nomen jam Mosaici temporis Genes. XXIV, 43. atque de Rebecca positum non velata, extra portas urbis aquam hauriente, ac libere cum servo Abrahami colloquente.

Mihi quidem virgo ex eodem etymo, ex quo עֶלֶם *adolescens*, nomen sortita videtur, quod stimulos Veneris sentire incipit, latine, Horatii verbis, *maturam virginem* dixeris, *puellae immaturae* oppositam. Hinc ܐܬܥܠܡܬ *matura et nubilis evasit*, chrestomathiae Syriacae p. 26. *femina quam nemo* (in publico) *viderat*, ܡܢ ܕܐܬܥܠܡܬ *ex quo adulta fuerat*, unde et ad fruges maturescentes transfertur, Apoc. XIV, 18. ἤκμασαν αἱ σταφυλαὶ αὐτῆς, ܐܬܥܠܡܝ ܥܢ̈ܒܝܗ̇ atque ab adolescentia Chaldaeis עלם est, *roborari.*

Ergo ex etymo erit, *matura*, *adolescentula.* Dices, nihil in eo inesse intactae virginitatis. Fateor! nec inest illa in etymologia Germanici nominis, *Jungfrau, Jungfer*: non omnia in vocabulorum significationibus etymo debentur, usus illas arctius adstringit, vel pandit latius. Ex hoc autem usu linguae mihi certum, עלמה *virgines* significare, nunquam nuptas aut conjuges: neque ita studio aliquo partium statuo, me enim arbitro Jes. VII, 14. non de Christo agit ex virgine nasciturо, sed de rebus post novem menses ita in melius mutatis, ut quae nunc virgo est, tunc paritura, filium *Immanuel, Deus nobiscum*, vocatura sit. Vide notas ad versionem germanicam.

Ergo, ut ita sentiam, facit perpetuus linguae Hebraicae usus, ne locis quidem, ubi de uxore accipere Judaei mallent, Jes. VII, 14. Prov. XXX, 19. exceptis. Jesaiae quidem vaticinium omnino friget, signumque, quod promittitur, ineptum et inane est, si עלמה maritata sit, uxor, sive Jesaiae ut volunt, sive regis. Nullam sic habet temporis notationem, poterat enim uxor hodie, postridie, post noven menses, post decem annos, parere, nec constabat, quo tempore eam opem laturus esset deus, ut soboles nata Jmmanuel dici possit, quo anno puer ablactandus &c. Alter Proverbiorum locus maxime pro virgine facit: עלמה enim, quam viis vix investigandis et callidissimis ambit vir, opponitur adulterae, est ergo sine dubio innupta. Nec vel his ipsis in locis quisquam veterum, qui

qui viventi linguae Hebraicae propiores erant, uxorem, conjugem, aut generatim mulierem, vertit, ſed in Jeſaia, LXX, quos ſtudii partium nemo adcuſaverit, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, Chaldaeus harmonice עולמתא, Aquila, Theod. et Symm. ἡ νεᾶνις *adoleſcentula*, et, quos vix numero quia Chriſtiani ſunt, Syrus ܒܬܘܠܬܐ, Hieronymus *virgo*.

Sed quod plus eſt, accedit uſus linguae Punicae. Hieronymus ad Jeſ. VII. *lingua quoque Punica, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo ALMA adpellatur.*

1915. עֲלֻמִים vel עִלּוּמִים Jerem. XL, 14. 2 Sam. XIII, 18. 2 Par. XXXIII, 7.

Pro בַּעֲלִיס, nomine, ut volunt, regis Ammonitarum, Jerem. XL, 14. Joſephum, Ant. X, 9, 4. בעלים legiſſe, huncque ragem Βααλεὶμ vocare, in Tomo XVII. bibliothecae Orientalis prioris p. 182. monitum, haecque lectio multis poſtea in codicibus editionibusque inventa, quos de Roſſius enumeravit. Sic בְּעֲלָים adpellatum, ex prima verbi ſignificatione verterim, *in occulto*.

In eadem bibliotheca T. XIII. p. 230. monui, quas ob cauſſas מְעִילִים *pallia*, 2 Sam. XIII, 18. diſpliceant: quae enim ſententia, filias regias כתנת *tunicas interiores* induiſſe מעילים, *pallia?* Mihi ergo מ praefixum eſſe videtur, atque עילים, ſeu ut unus codex Kennicotti habet, עלים nomen *adultae aetatis:* כי כן תלבשנה בנות המלך הבתולות מעלים vel etiam, מְעִלָּים, *ſic enim veſtitae eſſe ſolent filiae regis virgines ab adoleſcentia*, i. e. ex quo ad adoloſcentiae annos pervenerunt, exque puellis immaturis exceſſerunt. Sic Arabibus غُلُومٌ ejusque diminutivum, noſtro per Jod ſcripto ſimillimum, غُلَيْمَة *adoleſcentia*, Chaldaeis, his quoque ſed cum Vau, עולים pluraliter עולימין, Syris ܥܠܝܡܐ.

Pro עוֹלָם *ſeculo, aeternitate*, 2 Paral. XXXIII, 7. ſcriptum עֵילוֹם, minore, quam exſpectaſſem, lectionis varietate, לעולם enim non niſi tres codices Kennicottiani habent, unus de Roſſii, atque alter in Keri, tres praeterea de Roſſiani לעילם cum Jod ſed ſine Vau. Videtur ergo vera lectio עילום eſſe, atque peculiaribus ſerioris Hebraismi chronicorum adnumeranda.

1916. עולם, *seculum.*

Duplex aut triplex esse posse seculum, jam supra sub דור dictum:
1) seculum centum annorum, 2) triginta annorum, et, quod huic nu-
mero proximum, 3) γενεὰν, *aetatem hominum*, quales in seculo cen-
tum annorum, circiter tres ab historicis sumi solent. Hac tertia signifi-
catione sine dubio sumitur in Chaldaico illo מלכא לעלמין חיי, *rex in*
secula vive, Dan. II, 2. &c. *plures generationes vive*, *filii nostri nepotes-*
que te adhuc perfruantur: nimis enim absurdum regi adprecari, ut sive ae-
ternum, sive per aliquot annorum centurias vivat. Eodem modo et in
Hebraicis accipiendum, Ps. XXI, 5. ubi deus Davidi regi, qui 40 annos et 6
menses regnavit, alteramque hominum aetatem attigit, dare dicitur, *lon-*
gitudinem dierum, עולם ועד, itemque Ps. LXI, 7. 8. *dies diebus regis*
addis, annos ejus facis generationem et generationem, ישב עולם לפני
יהוה, *ut sedeat in seculum coram Jehova*. Multa prophetarum loca, im-
pedita visa interpretibus, ex hac accepta nominis significatione lucebunt.

Pro seculo centum annorum exacte poni non memini. Fuerunt in-
terpretes non pauci Novi Foederis, qui αἰῶνας *secula quinquaginta anno-*
rum a jubileo ad jubileum statuerunt: ne hoc quidem significatu עולם in
codice Hebraico occurrit, nec mirum, anni enim sabbatici et jubilei, quos
Moses instituit, per quingentos circiter annos in desvetitudinem abierunt.
Vide jus Mosaicum §. 76.

Sunt et secula majora, Platonica dixeris, ut astonomicum, quo sol
iterum eodem die in idem signum coeleste ingreditur, 25920 annorum:
horum quidem non putem Hebraeos cognitionem philosophicam ac ma-
thematicam habuisse, est tamen illis et עולם frequenter longius aevum,
unde et aeternitatem dicunt, maxime ubi עולמי עולמים *secula seculo-*
rum componunt. Ipsa *aeternitas* latinorum proprie, *aeviternitas*, atque
ab *aevo*, nostrum, *Ewig*.

Nomen עולם unde ortum non satis liquet. Alii lexicographi quae
habent, non excerpo: mihi quidem duae se ultro obtulerunt derivationes.

1) ab *adulta aetate* (pag. 1918. 1919. 1920.) sive quod ea a trice-
simo aut quadragesimo anno incipiat, sive quod triginta circiter aut
quadraginta annos duret: sic proprie erit AETAS, γενεὰ, per quam
optimo robore sumus, patres familias, nec senes. Obstare tamen vi-
detur, quod Arabicum nomen per ع scribitur, non per غ, عالَم.

3) Ab عَلْم signum, عَلَّمَ *signavit*, a quo et periodi temporum dici potuerunt.

עולם *mundus*, mere Rabbinicum, vetus Hebraismus non habet.

1917. עלמות Pf. XLVIII, 15.

Multa de his literis, in plerisque editionibus divisim scriptis, על־מות, disputatio, quam hic exantlare non lubet. Ut unam vocem si scribas, quod permultos et codices facere et editiones ex de Rossii variis lectionibus disces, *aeternum* significare videtur, ut et verterunt LXX εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, exque illis Vulgata, *in seculum seculi:* idque ita aptum his, quae praecesserunt, *hic est Deus noster* לעולם ועד, *in seculum et sempiternum, ipse nos reget aeternum*, ut non possim non et lectionem probare et versionem. In solis adhaeremus minutiis grammaticis: qui enim efferunt עָלָמוֹת *per secula*, immemores sunt, עולם pluralem habere terminationis masculinae עֹלָמִים. Ergo malim ut adverbium, more Syrorum formatum, (vide gramm. Syr. §. 92.) עָלְמוֹת efferre, *aeternum*.

Ad *juventutis* notionem plerumque referunt, praeeunte Chaldaeo, ביומי טליותא *in diebus juventutis*. Non placet, et a filo orationis et a re ipsa alienum: populus sub Davide jam adultus, qui dicere poterat, non, *rexit*, sed, *reget nos in juventute?* et quae hujus dicti ratio ad praecedentia, *hic deus noster in seculum* (לעולם) *et sempiternum?* Mirum, talia placere et interpretibus potuisse et lexicographis, quorum varia tentamina hic repetere, longum. Puncta masorethica, עַלְמוּת si sequi malis, vertes potius, sive, *scienter ac perite*, ab عَلِم *novit*, sive, *occulte, mirabili et occulto consilio.*

1918. עלום *occultum peccatum.* Pf. XC, 8. Job. XX, 11.

De *peccatis* non nisi his duobus locis ponitur, nec id mirum, cum psalmus Mosis sit, liberque Jobi plura habeat Mosi peculiaria. Vide introductionem ad Vet. Test. I. §. 13. In scriptione dissident codices, aliis עֲלוּמִים plene, defective aliis עֲלֻמִים utroque in loco habentibus.

Peccata juventutis plerique intelligere solent, quod et praeierunt ex veteribus, in psalmo Chaldaeus, in Jobi libro, Vulgata, *(vitia adolescentiae)*. Mihi tamen *occulta* potius et *clandestina peccata* placent, illis enim con-

convenientius, quod in psalmo dicitur: *occulta nostra peccata posuisti in luce vultus tui.*

Ex veteribus consentientem laudare neminem possum, mirorque eos in vocabulo, cujus significationem derivatio plane prodit, tam fuisse discordes. Servanda tamen lectoribus, quae illi habent.

1) *παρεξράσεις*, Aquila, *ἀμελείας* Symmachus, exque his, *negligentias* habet Hieronymus in psalmo. Videntur hi a pueritia, incogitantiam, et negligentiam, ejusque peccata, dicta putasse, fere ut Syrus כעלמים Ps. XXVI, 4. *stultos* (ܦܟܝܐ) vertit. Possit certe pro hac explicatione adferri, quod Syriacum ܛܠܝܘܬܢ Ps. 90. Arabs Antiochenus vertit هفواتنا *praecipitantias*, vel *lapsus nostros*. Est sane non comtemnenda versio.

2) Ipsam *juventutem* ejusque robur, intellexerunt in Jobo LXX. *ὀστὰ αὐτοῦ ἐμπλησθήσεται νεότητος αὐτοῦ*, *ossa ejus juventute*, i. e. juvenili vigore *implebuntur;* Chaldaeus חֵילֵיהּ *robore ejus*, et paraphrastice Syrus ܡܘܚܢܐ, *medulla plena erunt.* Hi ergo, jam ad juventae notionem, jam ad Chaldaicum inde ductum, עלם *roborari*, retulerunt.

3) Graecis Ps. 90. aliis vocalibus adpellatum עֲלֻמֵנוּ est, *ὁ αἰὼν ἡμῶν*, *seculum nostrum*, i. e. tota aetas nostra, quidquid per omnem vitam egimus.

4) *signata* a judice crimina in Jobo intellexit Schultensius, nempe quod sumebat, eam significationem verbi علم, quae in lexicis primum locum occupat, *signavit*, primam et propriam esse. Rationes reddere, cur haud probem, non opus, sufficit ipsam ejus versionem describere, quam nemini placituram credo: *ossa ejus implebuntur signatis ejus.*

1919. עלס Prov. VII, 18. Job. XX, 18. XXXIX, 13.

Vix ignoscendum recentioribus, quod meram sequuti adliterationem, idem significare volunt, quod עלז, vel עלץ *exsultavit;* alias nobis, ac filo orationis aptissimas significationes usu linguarum Orientalium offerente. Veterum quidem nullus praeierat, praeter Chaldaeum, Job. XX, habentem, לא בדוץ: Kimchius lexico intulit, *significat gaudium et exsultationem.* Reuchlinus, dubitans, ut Raschii sententiam retulit; at recentiores non dubitanter ut solum et unum verum lexicis inseruerunt.

Habent ergo Arabes, reliquis enim linguis Orientalibus verbum periit,

1) عَلَسَ *bibit*, *edit*, *gustavit*, unde عَلَسٌ *cibus potusque*. Hinc quis non explicet Job. XX, 18. *cupidus est emtionis vel adquisitionis suae*, ולא יעלס *sed non gustabit*, i. e. ea non fruetur? maxime cum praecedens membrum hujus verbi loco habeat, לא יבלע *non deglutiet*. Praeierant adeo veteres has significationes: LXX ἀμάσητον, ἀκατάποτον (durum quid, *quod mandi non potest*, *non glutiri*, vel, *nec comedi nec bibi*) Syrus, ܠܐ ܢܬܦܢܩ, *non fruetur*, (vescetur) seu, ut habet Arabs, *alius vescetur*. Mirum, ne ex his quidem profecisse, qui lexica scribere adgressi sunt, maxime cum aliquid rei jam ante centum annos Castellus in lexico monuisset.

2) غَلَسٌ *tenebrae* sunt *supremae noctis circa gallicinium*, unde verbum غلّس et اغلس *hoc tempus noctis ingredi*, *seu illo aliquid facere*. Hanc significationem quis potest non agnoscere, maxime, parallelismo praecedentis membri ad eam deducente, Proverb. VII, 18. *inebriemur amoribus usque ad matutinum tempus*, נתעלסה באהבים *noctem usque ad ultimas tenebras*, ad crepusculum usque, *peragamus in amoribus*.

Ex eadem notione et lucet Job. XXXIX, 13. כנף רננים נעלסה *ala Renanim* (non jam disputo, cujus avis hoc nomen, sed suo loco servo) *matutina est*, sub finem noctis expergiscitur, commovet alas, a nido avolat. Veteres ita hic diffident, ut nihil eos scivisse adpareat, nec id mirum, cum, ut dixi, nullus veterum textus Hebraici interpretum Arabicae linguae notitiam habuerit. LXX, ignorantiam fassi, sonum Graecis literis exprimunt, Νεελεσσα, Aquila, συναναπλέκει *convolvit sese* (ex Proverb. VII, 18.) Symmachus, περιφύεται, (hoc quid est?) Syrus, *gloriatur*, Chaldaeus, *ala galli silvestris laudat et exaltat Deum*.

1920. עלף.

Duo sunt verba Arabica, علف *nutrire*, *pabulum dare*, et غلف: ad posterius Hebraicum עלף, non nisi sexies obvium, Genes. XXXVIII, 14. Jes. LI, 20. Ezech. XXXI, 15. Amos. VIII, 13. Jon. IV, 5. Cant. V, 14. exque varia lectione Hab. II, 4. referendum, hac ut videtur, notionum serie:

1) in-

1) *involvi*, *totum obtegi*, Genes. XXXVIII, 14. Habent et Samaritani, eodemque in loco posuit interpres: Arabibus غلف *recondidit*, unde غلاف *vagina*, et *theca in qua quid reponitur*. Huc quidem et referunt Cant. V, 14. ubi venter comparatur עשת שן מעלפת ספירים *artificio eburneo tecto sapphiris*, vel, ut alii habent, *inducto sapphiris*. Non satisfacit: sapphirum quis ebore, aut ebur, quis sapphiro contegat, ut alterum non videatur? Ergo potius

2) sciamus, غلف a tegendo et esse, *illinere aliquo colore*, *ut barbam rubro*. Vertamus ergo: *artificium eburneum pictum sapphiro*, *illusum sapphiro*. Sic egregie Vulgata: *distinctus sapphiro*. Venter est candidus, cui natura illusit transparentes per cutem venas.

3) Ab involvendo solent et Orientales *deliquio animi* nomen ducere, quod tegi nobis oculi videntur, et nox illis induci. Sic sine dubio verbum accipiendum Amos. VIII, 13. Jon. IV, 8. ubi de defatigatione deliquio proxima ex siti aestuque ponitur. Referunt illuc et Jes. LI, 20. nec obnitor, sunt tamen aliae Arabicae verbi significationes loco Jesaiae aeque aptae, sententia prope non mutata.

4) Nempe ab obtegendo involvendoque غُلْف et غُلْفَة Arabibus *praeputium* significat, et أَغْلَف *praeputiatus*, sensu cum proprio, tum figurato, ut Sur. II, 82. قُلُوبُنَا غُلْف *corda nostra sunt praeputiata*. A praeputio et *stoliditatem* aut *stupiditatem* dicunt, plane ut Hebraei: possis ergo et Jes. LI, 20. vertere: *in plateis stupidi* (ebrietate) *et dementes jacent*. Eadem ut dixi sententia, diversa modo derivatio.

At sine dubio huc pertinet, quod duo codices Kennicottiani, seculi duodecimi, 461 et 531, habent Habac. II, 4. הנה עלפה לא ישרה בנפשו, *si cujus praeputiata est*, *nec recta anima*. Vide bibl. Or. T. XXIII. p. 171. 172. ubi de Capello, sic conjiciente, et Kennicotto, lectionem praeferente, sed aliter eam explicantibus retuli.

Jam et dicendum de mostello verbi, עֻלְפֶּה Ezech. XXXI, 15. dubiae interpretationis. Ante omnia putem, mutatis vocalibus עָלְפָה efferendum, ut praeterit. tert. pers. feminini: mallet adeo de Rossius pluraliter, עָלְפוּ, quod verbum ad *arbores agri* (עצי השדה) pertinet: nec tamen hac emendatione

tione opus, invitis codicibus; eſt conſveta Arabibus, nec inſolita Hebraeis, conſtructio pluralis maſculini cum verbo ſingularis feminini. Vide grammaticam Arabicam § LXX. n. 1. LXXI, 1. (p. 248). Quid autem verbum ſignificet, incertum: tertiam ei ſignificationem aptant LXX. ἐξελύθησαν, ſicque et Syrus, *deliquio* pro ſummo dolore poſito: recentiores, eadem manente ſententia, triſtitiam ab obvoluta facie dici volunt; Raſchius deliquium arborum *humoris exſiccationem* interpretabatur. Haec in veriſimilibus, de quibus lectores judicent: at unde Vulgata habeat, *concuſſa ſunt* omnia ligna agri, Chaldaeusque, *percuſſerunt humerum*, ignoro.

1921. עמד ſtetit.

Aliqua peculiaria de uſu verbi lexicis adnoto.

1) Stantes precari ſolent Orientales, unde et factum, ut قام Arabum de *precando* ponatur, vide infra ſub קום dicenda. Sic et עמדתי Job. XXX, 20. accipiendum videtur, *precor*, *preces fundo*, idem quod in praecedente membro parallelo שועתי *vociferor ad te*.

Poſſis et ad hanc notionem referre עמד cum אל vel על conſtructum, Ezech. XXXI, 14. לא יעמדו אֲלֵיהֶם (*) *non precabuntur ad illas*, non adorabunt illas, *omnes reliquae arbores bibentes aquam*, et c. XXXIII, 26. עמדתם על חרבכם *adoratis gladium veſtrum*, eum ut numen veſtrum, et invictum, invocatis. Praeplacet tamen

2) haec loca ex Syrorum uſu explicare, quibus ܣܟܐ cum ܠ conſtructum eſt, *ſperare*. Ephraemus T. I. p. 110. ܟܠ ܦܘܪ̈ܩܢܐ ܕܡܣܟܝܢ ܗܘܘ ܠܗܘܢ *omnes liberationes, quas exſpectabant*. Sic erit prius: *non ſperabunt amplius in has altas arbores reliquae humiliores arbores, omnes bibentes aquam*; et poſterius, *fiduciam ponitis in gladio veſtro*.

Sed haec dubitans ſcribo, eſt enim uterque locus incertae lectionis vocalium et interpretationis. Ezech. XXXI, 14. pleraeque editiones habent, אֵלֵיכֶם unusque adeo plene אליכם Kennicotti codex, *nec ſublimes ſtabunt terebinthi ipſorum*: ſique c. XXXIII, 26. efferas, עמדתם על חֳרָבֹתֵכֶם, erit, *conſiſtitis in ruinis veſtris*.

3) Hoſ. XIII, 13. ſenſu medicinae obſtetriciae ponitur, de ſtatu foetus, לא יעמד במשבר בנים, *non recte ſtat rupta jam ſecundina*.

4) Ezech.

(*) Has vocales ſubſtratas invenit de Roſſi in XXIII codicibus.

4) Ezech. XXIX, 7. ubi de fracta, cui innitebantur arundine dicitur, העמדת להם כל מתנים, verisimillima videtur explicatio, *intrabas in lumbos eorum transfigebasque illos.* Sic Raschi, inque rei summa LXX et Vulg. Nempe hic conferendum غمد *immittere gladium in vaginam*, a recondendo. Possunt tamen et aliae satis bene locum tueri.

1922. עִמַּד Job. XXIII, 10.

Ignotum nemini pro עם cum suffixo, saepe poni עִמַּד, ut עִמָּדִי *mecum*, CUM a statione dicto, hinc tamen vix explicueris Job. XXIII, 10. דרך עִמָּדִי, quae enim phrasis, *via mecum?* pro, via in qua ambulo? Ego malim, *vestigium* (*) *stationis meae*, i. e. vestigium in quo consisto, sive עֹמֶד et *stationem* significarit, sive praeplaceat עָמְדִי legere. Syrus quidem, דרכי ועמדי legens, interpretationem mihi vocabuli עמדי praeivit, *ipse novit viam meam* ܘܡܩܡܝ *et stationem* vel *stare meum.*

1923. עַמּוּד.

Columnae significationem in dubium non voco, at ex ea expediri phrasin עמוד ענן Exod. XIII, 22. vertique, *columna nubis*, nolim. Non columnae in modum exsurgebat, sed tota castra obumbrabat nubes, Ps. CV, 39. ut jam monuit Lowmannus (**). Mihi quidem est,

1) sive, *constans et perpetua nubes*, ut Num. XIV, 14. dicitur, ענכך עומד עליהם *nubes tua constans est super illos.*

2) sive eadem phrasis, qua Thalmudici Auroram, in tertia fere parte coeli expansam, sed columnae neutiquam similem, in tractatu Berachoth c. I. §. 1. עמוד השחר vocant, i. e. *supra coelum emergentem* vel elevatam. Sic et Arabes, طلع عمود الصبح *exorta est aurora.*

1924. עמלק *Amalec.*

Populus, neutiquam ut aliqui volunt, a nepote Esavi Amaleco (Genes. XXXVI, 12.) ortus, sed antiquissimis accensendus, Num. XXIV, 20. a Mose jam Abrahami tempore commemoratus, Genes. XIV, 7. atque ab Arabum historicis antiquissimis Arabiae populis, Aditis et Themudenis, ad-

(*) Vide num. 502. דרך.
(**) In, *three tracts, essay on the Shechina.*

adnumeratus, ipsisque Joctanitis habitus antiquior. Nomen gentis عمليق in Arabia notissimum, superfuitque ibi diu post Christum populus. Arabes Chamo oriundos volunt, ad Phoenices Philo refert, atque adeo ipse, ut videtur, Moses, Num. XIII, 29. Quantum ex his assequi possum, Phoenices in Palaestina habitantes, כנען, in Arabia qui habitabant, עמלק dicti fuisse videntur. Haec copiosius disputata in Spicilegio geographiae T. I. p. 170–177. quo ablego. Id unum addo, ibi praetermissum, tradunt Arabum historici, Schemerum, Mosis tempore viventem, Amalecitas ex Jemena expulisse. Vide Schultensii monumenta historiae Arabum antiquissimae p. 20. 21.

1925. עמם.

Duae iterum radices distinguendae, sono et significatione diversae, Arabibusque signo diacritico discretae:

1) عمّ. Ad hanc et עַם populus, et praepositio עִם, *cum*, referenda, per ع enim scribunt Arabes, عامّة *vulgus*, *plebs*, ac, meliore etiam significatione, *multitudo*, ut عامّة الحكما *multi sapientes*, p. 95. Syriae Abulfedae, verbumque denominativum, عمّ *communis fuit*, *commune fecit*.

2) غمّ quod *tegendi* et *obscurandi* notionem habet: ut غُمّ (pass.) *nube*, *aliterve tecta fuit luna hominibus*, *ut non potuerit cerni*, أغمّ *nubilosum obductumque fuit coelum*, غمّة *nubilosa nox*, vel, *in qua conspici nova luna non potest*, غمامة *nubes coelum tegens*. Habent et eadem notione Chaldaei, אתעמם *caligavit*.

Ad hanc radicem referendum עָמַם *texit*, Ezech. XXVIII, 3. XXXI, 8. forte et, ut volunt aliqui Thren. IV, 1. (de quo vide n. 1882. dicta) ita tamen, ut mutatis vocalibus יוּעַם scribatur. Quaestio non magni momenti, sententia enim eadem.

1926. עמר Deut. XXI, 14. XXIV, 7. &c. cum derivatis.

In hoc quoque verbo duo, sono diversa, distinguenda, quod nisi feceris, in etymologia certe adhaerebis: 1) عمر, Syriace, ܥܡܪ *habitavit*, et 2) غمر *superstitit aqua*, &c.

Ad

Ad priorem radicem refero, התעמר Deut. XXIV, 7. *pro servo usus*
est, qua significatione et accipio c. XXI, 14. Nempe, ab *habitando, do-*
mesticus dicitur, is vero est, *οἰκέτης*, *servus*, hinc denominativum, *pro ser-*
vo usus est. Plus non addo, reliqua enim lexicographi, Castellus maxi-
me ac Simonis, ditiores, occuparunt: quorum nomina commemoranti
id unum addendum, Simonis etymologiam ex غمر *pressit*, non solum
me non probare: sed et hanc *premendi* significationem plane conjectura-
lem esse, non ex linguae usu petitam.

1927. עֹמֶר *mensurae genus, pars decima Efae.* Exod. XVI, 16. 18. 22. 32. 33. 36.

Non occurrit nisi in sola hac mannae historia. Videtur ad radicem
غمر referendum, idemque esse Arabico غُمَرٌ quod lexicographi inter-
pretantur, *catini, seu poculi parvi genus omnium minimum*: addunt etiam,
secundum majus, ad virum saturandum قعب *dicitur, tertium, quod sa-*
tis pro duobus قَدَحٌ, *quartum pro tribus vel quatuor*, عُسٌّ, *quintum*
pro pluribus صَحْنٌ, *sextum pro viginti* تِبْنٌ. Proprie ergo nomen
poculi fuit, quale secum gestare solent Orientales per deserta iter faci-
entes, ad hauriendam, si quam rivus vel fons offerret, aquam, a غمر
superstitit aqua, texit rem, in septima, *demersus fuit*, quod totum in aquam
immergeretur, ea implendum. Hoc in poculo, alia vasa non habentes,
et mannam collegerunt Israelitae.

1928. עֹמֶר et עָמִיר *manipulus*,

notissimum nomen, ad neutram praedictarum radicum referre possum,
fateorque hic in etymologicis ignorantiam. Ortumne literarum ע et ח
permutatione prope Samaritana, ex Arabico أَخْمَرَ *collegit*, Chald. חוּמְרָא
acervus?

1929. תענוג *gubernatio* Prov. XIX, 10.

Vertunt fere, *deliciae, delicate vivere*, ex consveta verbi ענג signi-
ficatione, sed parum concinna sententia, aut oppositione ad sequens mem-
brum proditura. *Thomas Hunt* in *observations on several passages of the*
Proverbs p. 58. ex Arabico عنج *capistro ducere, regere animal, rege-*
re

re rempublicam, q. d. fraena ejus tenere, interpretatur, eximia ſententia: *non decet ſtultum regere*, ſeu adminiſtrare rempublicam, *quanto minus, ſervum dominari principibus*. Caeterum عنج hac ſignificatione ortum ſuſpicor, literarum permutatione, ex حنك, חנך, quod vide ſuo loco.

Caeterum conſveta verbi Hebraici notio *oblectari*, *in deliciis vivere*, ad radicem Arabicam per غ ſcriptam referenda, غُنْج *geſtus amatorius feminae*, غَنِج, *geſtu amatorio*, *ac limo intuitu*, *faſtoſa gratia*, *ſuperbiore inceſſu fuit femina*, niſi quod Arabia transfert voluptatis notionem ad geſtus.

1930. עָנָה.

Haud opus puto, multa arte diverſiſſimas verbi ſignificationes ad unam revocare, tria pro illo, ſignificatione diverſa, Arabia habente, عنو, عني et غني. Mihi quidem duo maxime ſignificare videtur, Arabicis literis ſi verbum ſcribas, facile diſtinguenda.

1) *Humilis fuit*, *adflictus fuit*, habes in Arabico عَنَا pro عنو. Huc ergo dimidia fere pars locorum, quibus et verbum legimus et derivata, referenda.

2) عني *voluit*, *intendit*, *ſignificavit* &c. &c. ex prima ſignificatione eſſe videtur, *oculos intendit*, *oculos convertit*, *intuitus eſt*: ſive ſit denominativum ab עַיִן, ſive עין inde ortum formae קִין, ſive, quod potius reor, ut multa verba anomala duas literas easdem habentia, ita et עין atque ענה cognata ſunt, ab antiquioris linguae voce bilitera orta.

Hac ſignificatione proprie poſitum videri poſſit, cum alio *contemplandi* verbo שור conjunctum, Hoſ. XIV, 9. אני עניתי ואשורנו, ſed res incerta, nam et aliae verbi ſignificationes egregie ibi locum tuentur.

Ab hac notione manavit frequentiſſimi uſus, *reſpondit*, ἀπεκρίθη, ſaepe tamen poni ſolitum, ubi nullus reſponſioni locus, isque, de quo ponitur, ſermonem orditur. Eſt ergo potius utrumque, *reſpondit*, et, *adfatus eſt*, *infit*, qui uſus et per Hebraismum ad Graecum ἀποκρίνεσθαι ſacrarum literarum tranſiit. Nempe וַיַּעַן וַיֹּאמַר proprie eſt, *convertit oculos ac dixit*, quod et adfantis eſt, et reſpondentis: ex ſua origine,

gine, verbum auxiliare, verbo אמר jungi ſolitum, ſed quod et ſine illo ſeparatim poni poteſt.

Innumeris locis de exauditione precum ponitur, incertum, utrum ex etymo, *reſpondit* Deus, i. e. precibus annuit, an, *reſpexit* eum benevole deus? Prius plerisque placuit, nec obnitor. — — Figurate hac ſignificatione cum ponitur de coelo terram exaudiente, eamque compluente, Hoſ. II, 21. 22. conferre liceat ſimillimam Arabum phraſin, quibus *ager pluvia rigatus* dicitur, مُسْتَجُوب, proprie, *exauditus*, quod ipſum verbum eſt a reſpondendo.

3) Ab eadem intentione oculorum Arabes et ad intentionem animi verbum عني transferunt, in conj. 1. et 8. *curae habuit*, *ſtudium et curam impendit*, unde et in 2 et 4 faciunt, عنّي, اعني *defatigavit*. Huc putem mutatis punctis referendum Pſ. CXXXII, 1. *memor eſto Davidi* לכל ענתו *omnis ſtudii et laboris ejus*, *ſtudii quod aedificando aliquando templo impendit*, ſequitur enim, *qui vovit juravitque Jehovae, ſomnum non capiam, donec invenero habitaculum Jehovae*, quod conſvetae explicationi, *omnium adflictionum ejus*, parum aptum. Miror, neminem praeiiſſe. Vide et infra ſub עני dicenda.

4) غني eſt, *frui*, idemque et, *uxorem ducere*, tanquam, *ea frui*. Huc referendum putem ענה ubi ſenſu Venereo ponitur pro *conſtuprare*, Geneſ. XXXIV, 2. Jud. XX, 5. 2 Sam. XIII, 22. Thren. V, 11. ac forte etiam de marito, qui *uxore ſua* menſtruorum tempore *fruitur*, Ezech. XXII, 10.

5) Idem غني cujus forte prima vis in fructu deliciarum fuit, eſt et in ſecunda, غَنَّي itemque in quinta تَغَنَّي *cecinit*, indeque غِنَاء *cantus*, أُغْنِيَّة *cantilena*, *certus canendi modus*, مُغَنِّيَة *cantatrix*. Huc referendum putem ענה ſenſu muſico poſitum, quod plerumque vertunt, *alternis canere*. Nec equidem nego, alternis ceciniſſe Hebraeos in choreis, atque etiam in ipſa vernacula lingua ſaepe verbum ex *reſpondendi* etymo acceptum fuiſſe: at cum per غ ſcriptum Arabibus ſit, *canere*, huc proprie et ex prima origine referendum videtur. Inſignis locus, ubi ענות *reſpondere ſibi invicem*, *occlamare*, et, ענות can-

cantare, opponuntur, Exod. XXXII, 18. alterum *Anoth* efferendum putem, alterum cum G gutturali, *Gannoth*. — — Recentius hoc observatum versione mea germanica bibliorum, in qua nunquam illud, sed ubique receptam sententiam sequutus sum.

1931. עֳנִי *summum studium*, 1 Paral. XXII, 14.

עֳנִי *humilitatem*, *paupertatem*, significare posse, non dubium, at 1 Paral. XXII, 14. si ita accipias, *ecce* בעניי *in paupertate mea sepofui templo Jehovae centum millia talentorum auri, millies millena argenti*, quid dicere absurdius David potuerit? Deme etiam de numeris, quos in majus librariorum error auxit, senties tamen, absurde paupertatem memorari. Hic ergo ad tertiam verbi significationem referens, *summum studium* verterim, ut idem sit quod Arabum, عَنَا et عِنَايَة, *cura*, *solicitudo*.

עונה quaere sub עי, עונה.

1932. מַעֲנִית *sulcus*, מַעֲנָה *jugerum*,

ad hanc radicem referre solent, quam ob caussam et hic commemoro, ubi quaesitum iri puto. Ab *humilitate* dici volunt, tanquam terrae partem ab aratro depressam; alii a *respondendo*, quod sulco sulcus respondeat, sintque lineae aequaliter ductae. Mihi, cum *sulci* nihil sub ענה habeant linguae Orientales, potius ad rad. עין referendum videtur, de qua sub עֵינָה num. 1886. egi. Sic quidem in punctis errarint, qui ea bibliis adscripserunt, meliusque efferretur, מְעָנִית, et מְעָנָה, plur. מְעָנוֹת. Consentiuntne in consveta puncta codices omnes? an est aliqua varietas lectionis? Equidem, si vel omnes consentirent, tamen in quaestione grammatica punctatorem, falli certe non nescium, haud sequerer.

1933. עֲנָמִים vel עינמים *Anamaei*. Genes. X, 13.

Nomen proprium populi, Aegyptiae originis, de cujus varia lectione, et diversis interpretationibus, in Spicilegii geographiae T. I. p. 160. 161. exposui, cumque nihil aut certi reperirem, aut verisimilis, professus sum ignorantiam: est tamen adhuc de Bocharti sententia dicendum distinctius.

Jam monui, illum in Phaleg libr. IV. c. 30. Arabicum غَنَم, *grex ovium* conferre, ut sint, *Nomades ovium pastores circa Jovis Ammonis templum*.

plum. Opponebam, *quid si nomen Aegyptium, nec ex Arabica lingua explicandum? aut si lectio Samaritana* עינמים *sit Hebraica verior?* Haec quidem scribens nimis prope cum viro, a quo multum profeci, egeram benevole, nec enim veri plane dissimile, nomen Arabicum et Hebraicum esse, non quo gens Aegyptia ipsa se vocabat, sed ab Arabibus aut Israelitis Aegyptum incolentibus, illi inditum, fere ut Graeci habent Hamaxobios, non Sarmatice sed Graece ita dictos. Sed iterum relegens video, non tam verisimilia animo Bochartum volvisse, sic enim orationem orditur: ענם *Anam, priscis Aegyptiis ovem vel pecudem fuisse puto, ut Arabibus ganam, iisdem literis.* Jam nulla veri similitudo. Lingua vetus Aegyptiorum ab Arabica diversissima, ut ab hac ad illam conjicere non liceat: nec Bocharti, PUTO, cuiquam probetur, quod enim ovis apud Aegyptios nomen fuerit, non *putandum*, nec talibus conjecturis et transpositionibus efficiendum, ut, cum ille Jovis *Ammonis* nomen cum *Anam* confert, sed aut sciendum, aut plane de re ignota tacendum. Certe linguae Copticae reliquiae nullum ovis nomen ita sonans habent.

Sed ut ad meliora revertar, gens si ab Israelitis ענמים ab ovium gregibus dicta, (quod in incertis relinquo) fuerit sane Nomadica, deserta sive ab Arabico latere Nili, sive ab Occidentali cum gregibus suis pererrans, quales gentes Nomadicas, late per Africam vagas, Occidens maxime habet. Ut unam ex multis exempli caussa nominem, *Blemmyes*, qui usque ad fines Aegypti vagantes, Nestorium in Oasim, tertiam sine dubio, relegatum invenerunt captivumque fecerunt, *Nomades* erant, ipso in epistola referente. Vide Evagrii historiam ecclesiasticam l. I. c. 7. Nec haec ita accipi velim, ac si Blemmyas Anamaeos statuem: nec obstreperem sane Bocharto, Nasemones optanti: at ejus etymologiam, pro argumento positam, נשי אמון *homines Amonis* quis concoquere potest! Gratis sumit, PUTAT, ענם Aegyptiis *ovem* fuisse, literas transponit in עמון, mutat in אמון, nunc alienissimi populi, nunquam Hebraice locuti, nomen, quo apud Graecos vocatur, *Nasemones*, derivat a נשי אמון! Sed hac fere etymologica, omnia ex Hebraicis derivante, vir magnus laboravit, cujus scriptis sic utantur, qui legunt, ut multa ex illis proficientes, statim suspecta habeant, quae in nominibus propriis populorum etymologica sunt.

1934. הֶעֱנִיק, עָנָק Num. XV, 14. Ps. LXXIII, 6.

Verbum non nisi bis obvium. Arabiam si consulas, denominativum erit ab عُنُق *collum*, ut multa alia, a membris humanis. Hinc

عنق *caput cum collo in latibulo abdidit*, *longo collo fuit* (عَنِقَ), *eminuit*, عانق *manibus collo injectis violenter duxit*, *amplexatus est*, (proprie collum amplexus est) أعنق *collari ornavit*, *longa fuit seges* (proprie, longo collo fuit, alta, fuit): animalibus enim, quae longiore collo sunt, nomina inde ducta, *capellae* عَنَاق, et *avi ingenti fabulosae*, أَعْنَق.

Haec sequutus, cum lexicographorum melioribus Num. XV, 14. העניק תעניק לו vertes, *collo ejus impones* (*) de ovibus tuis, de area tua &c. i. e. dabis ei dono, absportanda, et Ps. LXXIII, 6. ענקתמו גאוה *tanquam torque ornat illos superbia*, nisi potius posterius esse malis, *altius illis collum erigit superbia*, quod mihi expeditius videtur.

1935. עֲנָק *specus*, בני ענק, עֲנָקִים.

Anak, in ילידי הענק Num. XIII, 22. 28. et בני הענק Jos. XV, 14. Jud. I, 20. male, et grammaticae contrarie, pro nomine viri proprio habitum est, cujus posteri fuerint ענקים, Enacitae: He enim articuli habet, quod nomina propria non admittunt. Est ergo sine dubio adpellativum, ac me quidem judice, *specus*, *speluncae subterraneae*, idem quod Arabicum عَانِقَاء *latibulum* muris campestris, ab عنق *intravit latibulum*, *abdidit in latibulo caput et collum*. Erunt ergo, *filii specus*, *nati specus*, Troglodytae, idemque et nomen gentis inde ductum ענקים significabit. Occurrit praeter loca jam memorata, Num. XIII, 33. Deut. I, 28. (pluraliter, בני ענקים *filii specuum*) II, 10. 21. IX, 2. Jos. XI, 21. 22. XV, 13. XXI, 11. Nempe multi ex Chananaeis olim Troglodytae, hique ipsi Anacaei in vicinia, ac deinde incolae Hebronae, quam circa urbem nobilissima Abrahami emtione spelunca Genes. XXIII, aliaeque forte plures. — — In solis adhaerere possis locis ubi *Arba Pater Anaci*, memoratur, Jos. XV, 13. XXI, 11. *civitas Arbae* אבי הענק utrobique tamen cum He, nomen proprium excludente: hic vero, sive vertere *patrem specus* possis, i. e. patrem gentis Troglodyticae illa in specu habitan-

(*) Praeierat jam, quem illaudatum dimittere nequeo, in radicum libro Kimchius, טענהו ושים על צוארו *onera illum et pone in collo ejus*; unum displicet, quod addit, *ut torquem*. Multa lexica evolvens, videbis, ab antiquis melius dicta, recentiorum conjecturis depravata esse.

tantis, ſive et העכך *ſpecum*, ipſius Hebronae nomen facere, quam habi-
tatores ſpecus in vicinia condiderunt. Solebant Troglodytae in vicinia
ſpecus, quae adverſo tempore receptacula illis praebebat, urbes conde-
re. Vide notas ad 1 Maccab. IX, 2. p. 189. et Guilielmum Tyrium de
bello ſacro l. XIX. c. 11. de *Cavea de Tyrum* agentem, quae ipſi eſt
ſpelunca inexpugnabilis et municipium in agro Sidonienſi. Jam et in-
telliges, quo jure, et quam proprie Anacaeis tribui urbes Joſ. XI,
21. poſſint, ſi vel illo adhuc tempore ex derivatione nominis Troglody-
tae erant.

Praeter haec loca bis adhuc ענקים ex varia lectione Graecorum pro
עמקים occurrit, Jerem. XLVII, 5. שארית עמקם *τὰ λοιπὰ τῶν Ἐνακείμ*.
Ipſi quidem LXX quid ita vertentes ſenſerint, cum Philiſtaei, gens origine
Aegyptia, neutiquam Enacitarum reliquiae dici poſſint, non expedio: equi-
dem hanc eorum lectionem שארית ענקים verterim, *reliquias ſpe-
cuum, ſeu Troglodytarum*, in quibus et Philiſtaei adverſis temporibus habita-
verint. Idem Jerem. XLIX, 4. iidem habent, *τί ἀγαλλιάσῃ ἐν τοῖς πε-
δίοις Ἐνακείμ*, *quid laetaris in vallibus Enacim*, ac ſi legiſſent מה תתהללי
בעמקי ענקים. Egregiam haec Hebraica fundunt ſententiam, ſed neuti-
quam de Enacitis intelligenda: *quid gloriaris de vallibus ſpecuum ſubterra-
nearum.* Ammonitis his ſpecubus abundabat, in quas tutum perfugium.

1936. עסס Malach. IV, 3.

Ἅπαξ λεγόμενον, *premere*, vel *calcare*, *proculcare*, vertunt lexico-
graphi, loco ſane Malachiae apte, poſteriusque praeeuntibus veteribus,
LXX. Vulg. Chaldaeo, Syro. Plane tamen hac ſignificatione non habent
linguae Orientis reliquae. Idemne levi mutatione literarum Syriaco ܥܨܪ
preſſit, *oppreſſit*?

De עסיס *muſto*, vide dicta in biblioth. Or. nova T. II. p. 108.

1937. עֹעֵר Jeſ. XV, 5.

Referunt fere ad radicem עור: quid tamen, ſi potius ſit ab ערר,
quadriliterum formae בַּבֵּל, pro ערער? عَرَّ, *clamavit*, de voce ſtruthio-
nis maris ponunt Arabes, quod ad omnem clamorem inconditum et in-
gratum transferri poſſit. Struthionis clamorem et alibi lugubrem habent
Hebraei, Job. XXX, 28. 29. Mich. I, 8.

1938. עפה *dormivit* Job. XI, 17.

Multiplicis explicationis, prout puncta illis substraveris, literae תעפה Job. XI, 17. de quibus jam num. 1854. dictum: possis idem, תָּעֻפָה lectum, ad radicem עפה referre, qua ratione non solum vitabis anomaliam He paragogici (תָּעֻפָה) post secundam personam positi, post quam locum aut nunquam habet aut perquam raro, sed et eximiam habebis sententiam: غفا pro غفو est, dormivit: en quod sententiae lumen! *ex sepulcris surget putrefactum corpus*, תָּעֻפָה כבקר תהיה *dormies, et eris ut mane*, i. e. evigilabis ut matutino tempore. Vide scripta sub חלד pag. 761. et scribenda sub צהר.

Pro כבקר duo codices Kennicottiani, octodecim de Rossiani, atque editio Venet. 1613. בבקר habent, ac pro תהיה unus Kennicotti, תחיה: has si lectiones componas, תָּעֻפָה בבקר תחיה, haec prodibit sententia, *dormies, sed mane vives*, apta praecedenti membro, si צהרים meredim interpreteris.

1939. עפל, העפיל.

Radix, quam cum solis Arabibus communem habent Hebraei, inusitatam Aramaeis: nec ergo mirum hic adhaesisse lexicographos, quorum primis Arabia incognita. Praeterea, cum duae sint diversissimae radicis significationes, pro diversa adpellatione primae literae, عفل et غفل, ad unam revocantes, et miris usi sunt artificiis, et significationes excogitarunt, ut העפיל, clivum conscendere, vel, erigere se, quarum in linguis Orientalibus nullum vestigium. Ergo haec abdicantes denuo tractemus.

1) عفل *tumore, simili herniae virorum laboravit mulier*, cujus prima vis in tumendo fuisse videtur, unde et *pinguedinem circa scrotum arietis* &c. عَفَل dicunt. Ad hanc radicem עֹפֶל *clivus*, et עפלים, morbi nomen, referes.

2) غفل *neglexit, non curavit*, sive sola inconsiderantia et imprudentia, sive et sciens volensque, frequentissimum Arabibus verbum, cujus, derivatorumque sat multa exempla in Castelli lexico Arabico reperies. Muhammedes illo de *inobedientia*, aut *fide effatis divinis non habita*, itemque *de cura vitae futurae posthabita*, uti solet: exempla non enoto, quisque enim Corani lector obvia habebit. Prima vis verbi in con-

conniveendo, *dormitando*, *dormiendo*, fuisse videtur, quas ipsas no-
tiones et in Castelli lexico exemplis firmatas, reperies.
Ad hanc posteriorem notionem referendum Num. XIV, 44. ubi, cum
deus jussisset in castris manere, nec montem conscendere, dicitur, ויעפלו
לעלות אל ראש ההר *sed neglexerunt haec, adscendendo in fastigium mon-
tis.* — — In diversa hic abeunt veteres, nemo tamen illud recentiorum
commentum, *in clivum se erexerunt adscendendo in caput montis*, *cliva-
runt*, praeivit. Chaldaeus, וארשיעו *male egerunt, peccarunt*, hic a vero
proxime, namque et غفل *negligentia*, generatim de *peccato* ponitur.
Alii ita diversi, et a se ipsis, et ab usu linguarum, ut non nisi conjecisse
videas: LXX διαβιασάμενοι, Syrus ܫܪܝܘ *coeperunt* (adscendere) Sam.
עצפו *institerunt*, vel, *audaces fuerunt.* Arabs Erpenii, تواقحوا *obdurate et
inverecunde egerunt*; Ar. Pol. أُعْتِدُوا *numerati sunt*, vel, ut legendum
putem, أَعْتَدُوا *pararunt sese.* Mirum, ne Arabes quidem verbo,
quod felicitas linguae illis offerebat, غفلوا usos esse. Vulgata quod
habet, *contenebrati*, Rabbino Hieronymi deberi videtur, עפל cum אפלה
confundenti: certe et R. Tanchuma, teste Raschio ad hunc locum, ויעפילו
significare ajebat עופל *caliginem: ambularunt Israelitae* (חשכים) *contene-
brati*, *quia sine divino jussu fecerunt.* Kimchius, linguae Arabicae igna-
rus, ex qua sola ejusque frequentissimo usu verbo lux, lexico suo intulit,
הגביהו לב *exaltarunt cor*, ac si esset ab עפל *clivus*, quod in alia lexi-
ca, sed multis ineptis mutationibus, receptum. Reuchlinus, dubitans,
varia referebat.

Hinc vero egregie lucet Habac. II, 4. secundum puncta, הנה עֻפְּלָה
נפשו בו, *si cujus anima socors et negligens fuerit*, i. e. *haec promissa di-
vina neglexerit*, *non illis crediderit*, sive etiam mutatis punctis, הנה
עַפְּלָהּ *si quis neglexerit illud*, sc. visum. Confirmat explicationem
oppositio sequentis membri, וצדיק באמונתו יחיה, *fide autem sua justus*,
vivet. — — Veram hic significationem vidisse videtur Aquila, vertens,
νωχελευομένου, *tardi*, *pigri*, (negligentis promissiones) licet meliore vo-
cabulo uti potuisset, sed amat, etyma exprimere. Egregie vero Vulga-
ta: *ecce qui incredulus est.*
LXX ἐὰν ὑποστείληται, *si timidus fuerit*: idemne voluerunt, *si de-
speraverit*, *si non crediderit?* Chaldaeus רַשִׁיעַיָּא *injustos*, Syr. ܥܘܠܐ *in-
justi.*

justitiam vertit: non probo, nec tamen negarim verbum id significare posse, cum ut supra dixi, *negligentia, incogitantia*, et pro *peccato ac delicto* poni soleat.

1940. עפלים *tumores seu mariscae haemorrhoidales.*

Promisi p. 1007. me, si quid hucusque a Fullero et Bocharto dictis addere possim, hic daturum: nihil tamen novi ac certi interea reperiens, eoque libro, quem tunc exspectabam, nondum edito (secunda parte historiae luis Venereae Hensleri) de ipso morbo non disputo, sed solum etymon pono. Verbum עפל *tumendi* significationem habuisse videri, supra dictum, unde عفل est Arabibus, *tumore simili herniae virorum, anteriore parte vulvae laboravit mulier, camela:* cui tumori عَفَل nomen. Hinc et tumores atque ulcera haemorrhoidalia dicere Hebraei potuerunt. Sed certi quid, et novi, nihil habeo, ergo ad Fullerum Bochartumque ablego.

1941. עפר *cinis?* Num. XIX, 17.

Loco quem indicavi satis legitur unanimiter, *accipient* מעפר שׂרפת החטאת quod vix potest aliter verti, quam, *de cinere combusti sacrificii piacularis*, et habent LXX. Vulg. Arabs uterque. Ergone עפר permutatione literarum idem jam olim, Mosisque tempore significabat, quod אֵפֶר? Varietas lectionis nulla, nec in Hebraicis nec in Samaritanis codicibus, nisi quod unus Hebraicus Kennicotti exhibet, מעפר הארץ, *de pulvere terrae.*

1942. עץ חיים *arbor vitae* Proverb. III, 18. XI, 30. XIII, 12. XV, 4.

Quater in eodem libro recurrentem phrasin vix putem ex paradiso desumtam: nec alias Salomoni frequens, ad Mosaicas historias alludere. Potius עץ חיים *arbor salutaris* seu *medica* esse videtur, cujus sive fructus, sive folia aut cortex, in medicamentis sunt. Ipsam paradisi arborem vitae, medicam alio nomine dixeris.

1943. עצב.

Verbum plura significare potest, pro adpellationis diversitate, quam punctis diacriticis distinguunt Arabes.

1) عصب *ligandi*, et *circumdandi*, significationem habet, unde et nervos corporis humani عَصَب dicunt, a nervis *nervosum*, i. e. *fortem*, معصوب

N. 1943.

مَعْصُوب: *taenias*, *vittas capitis*, عِصَاب atque عِصَابَة, quod et de *fascia* ponunt, *qua vulnus obligatur*. Huc quidem videbis et Syriacum עצב, *fascia ligavit*, *medicatus est*, *sanavit*, referendum

2) عَضَبَ est, *secuit*, *confodit*, und عَضْب *ensis acutus*. Hoc verbum et ad probrosa dicta transferunt, *proscidit lingua*, عَضْب *acuta et virulenta lingua*.

3) غَصَبَ *violenter egit*, *vi usus*, e. g. *violenter eripuit*, *coëgit*. Matth. XI, 12. pro βιάζεσθαι positum.

4) غَضِبَ longe frequentissimum, *irasci*, unde غَضْبَان *ira*. Huc referendum videtur frequentissimum Hebraeis, *doluit*: doloris enim et irae notiones saepe in linguis conjunguntur, atque inter se permutantur. Vide num. 844. pag. 915. — — — Habent et sub his literis, غُضَاب *quisquilias*, *aut simile quid*, *incidens in oculum*, forte ab irritando, vel quod exosum (مَغْضُوب) sit.

Haec quidem in lexicis Arabum copiosius dicta, atque in Castelliano exemplis confirmata, excerpo, ut intelligatur, primo, non omnes verborum diversorum significationes ad unam, ut aliqui tentarunt, revocandas; deinde, qui fiat, ut quorundam locorum Hebraicorum tam diversae sint interpretationes, quarum nulla improbabilis.

De *labore* et *elaborando* cum ponitur, mihi quidem denominativum videtur ut עצבון ידים *dolore manuum*, i. e. duro et aspero labore, Genes. V, 29. pro quo et simpliciter עצבון ponitur Genes. III, 17.

Quarti verbi Arabici significatio, *irasci*, alicubi etiam in Hebraicis superesse videtur, ut Jes. LXIII, 10. *at illi immorigeri erant*, ועצבו את רוח קדשו, *sanctumque ejus animum ad iram provocabant*, *factusque est hostis ipsorum*: filo quidem orationis ad iram provocare hic aptius, quam consvetum, *dolore adfecerunt spiritum sanctum ejus*. Eadem *irascendi* et *indignandi* notio etiam verbo ויתעצבו Genes. XXXIV, 7. aptior, quam consveta, dolendi. Vulgata, hoc et sequens ויחר להם, in unum contrahens, *irati sunt valde*.

Quid sit יעצבו דברי Ps. LVI, 6. de eo valde diffident interpretes, cum veteres, tum recentiores. LXX exque illis Vulgata, λόγους μου ἐβδε-

ἐβδελύσσοντο, *verba mea exſecrantur*, forte יתעבו legentes. — Symmachus, *λόγους περὶ ἐμοῦ ἐφρόντιζον*, *verba de me meditantur*, idem quod Syrus planius dicit, ܡܬܡܠܟܝܢ ܗܘܘ ܥܠܝ *conſilia contra me capiunt*, Chaldaeus, *propter me laborant*: hi quidem ad laboris et elaborandi notionem retuliſſe videntur, ſed invita conſtructione, dicendum enim fuiſſet, דברים עלי יעצבו. — — Hieronymus ex doloris notione, *ſermonibus me adfligebant*, ſic tamen בדברים dicendum fuiſſet. Recentiorum aliqui, ex primi verbi Arabici notione, *detorquent verba mea*: verum aliud eſt, *ligare*, *circumligare vittam*, *coronari*, *faſciam*, et, *torquere*, *detorquere*: nec ab illa notione ad hanc tranſitus fieri tutus ſine uſu linguarum exemplisque poteſt.

Mihi quidem, ſi quid in loco difficili pſalmi obſcurioris tentandum, ܥܨܒ *circumdandi*, aut, *ligandi*, i. e. *irretiendi* ſignificatu accipiendum videtur: *omnia verba mea circumdant*, vel, *irretiunt*, i. e. verbis meis imminent, inſidiantur, omnia verba mea captant, ex illis adcuſationes et crimina paraturi.

Job. X, 8. יָדֶיךָ עִצְּבוּנִי omnibus quidem aliis verſionibus hanc praefero, *manus tuae elaborarunt me*, congruam ſequenti, ויעשוני: quam et ſententiae ſummam ſi ſpectes veteres omnes praeierunt, Syr. ܠܐܝܘ ܒܝ exque eo Arabs تَعِبْنَ فِيَّ *laborarunt in me*; LXX *ἔπλασαν*, aliusque Graecus *ἡτοίμασάν με*, Vulgata (ſed verba transponens) *plasmaverunt me*, Chald. צַיְירוּנִי *formarunt me*. Nec tamen mihi tempero, quin enotem elegantem, quae et Schultenſio placuit, explicationem, *crearunt nervos corporis mei*, tanquam, *nervis me conſtrinxerunt*, *nervos mihi dederunt*, ab عَصَبٌ *nervus*. Placet eximie, ſed obſtare videtur inverſus verborum ordo: *nervos dederunt mihi et fecerunt me*. Aliorum ſententias ex Schultenſii commentario diſces, quem compilare nolim, omnibus ſupplementorum horum lectoribus lectu neceſſarium.

In difficillimis eſt Jerem. XLIV, 19. *fecimus reginae coelorum placentas* לְהַעֲצִבָה, ſeu, ut alii cum He mobili ſcribunt, לְהַעֲצִבָהּ. Verti nequit, *ad illam dolore adficiendam*, honorant enim Deam: nec, *ad dolore adficiendum* verum deum, ipſae enim cultrices idoli loquuntur, non propheta. Omiſerunt LXX et Syrus, incertum, utrum in ſuo codice non habentes? an quod non intelligerent. In Hexaplis ex Symmacho additum

tum cum asterisco: χαυῶνας ※Σ καὶ σόββα. In Syriacis, ܟܘܢܘܣܐ
※ ܣܘܒܐ sine Symmachi nomine, qui in eorum margine citatur pro
ܘܠܦܬܟܐ ܕܝܠܗ̇ *sculptili ejus*: quod Graecum Σοββα qui posuit,
sine He et Ain וצבה legit, cumque non intelligeret, retinuit. Possit hoc
esse, sive צָבָה *pilentum*, quo forte dea vehebatur, sive *effundere*, *libare*,
a صب *effudit*. — — Aquila in Hexaplis Syriacis habet, ܠܡܥܒܕܘܬܗ̇
male agendo; filo orationis parum apte. — — Vulgata, *ad colendum*
eam, optima sententia. — — Pluribus nomen visum est, *idolo*: sic
Chaldaeus, in Hexaplis Syriacis supra memoratus Symmachus, in Grae-
cis, Ἄλλος, καὶ τῶν γλυπτῶν αὐτῆς. Parum verisimile: feminae super-
stitiosae reginamne coeli *idolum* vocaverint, ignominioso ex usu Hebrae-
orum vocabulo? — — Simonis quae habet, *ad imaginem ejus effingen-*
dam placentis, apud ipsum legi velim.

Mihi quidem plures subnatae conjecturae, quas lectoribus dijudicandas
proponere liceat, ipse enim sum dubius. 1) Estne העציבה *impense elabo-*
rando, i. e. *summo studio eam colendo?* Sic opem tuleris Vulgatae versioni.
2) Estne ab Arabico, quod sub primo verbo posui, عِصَابَة *vitta*, *sa-*
cras vittas sumendo, *et libando*. Hoc in versione germanica ut verisimi-
le praetuli. Multus vittarum in superstitione idololatrica usus. 3) Estne
plane spurium verbum, quod in Aegyptio suo exemplo non legerunt LXX,
gravissimi in Jeremiae vaticiniis testes, additum a librario Hebraico indi-
gnante Babyloniis exemplis, ac parenthesi includendum, ut prophetae
aliqua interpellatio: עשׂינו לה כונים (להעציבה) והסך לה נסכים.
Hoc mihi perquam verisimile, cui in Jeremia maxima est Graecae versio-
nis ex Aegyptio exemplo auctoritas, quam omnibus nostris Hebraicis co-
dicibus, ex Babylonio exemplo descriptis, multis in locis jam aequiparo,
jam praefero.

1944. עִצָּבוֹן, עֶצֶב, עֹצֶב.

Jam supra monui עצבון ידים *dolorem manuum* Genes. V, 29. durum
et asperum esse laborem, ex quo manus dolent, sicque et עצבון c. III,
17. Ipsum nos eo filum orationis deducit, videruntque jam veteres:
Chaldaeus, עמל, et לאות ידיכא (*defatigationem manuum*) Vulgata, *la-*
bores, et, *labores manuum*, Syrus c. V, 29. ܕܐܝܕܝܢ ܥܡܠܐ, verterunt.

עצב quoque non, ut plerique lexicographi habent, dolorem, sed *laborem*, vertendum reor, Prov. X, 22. *benedictio dei tam ditat, ut ne labor quidem plus addere possit*, XIV, 23. *ex omni labore, abundantia*, Jes. XIV, 3. *cum quietem tibi dabit*, מעצבך ומרגזך ומן העבדה הקשה, *a labore tuo, et tremore, et dura servitute.*

Proverb. XV, 1. non possum non עצב, ex quarti verbi significatione, iram interpretari, quae Arabibus غَضَب. En filum orationis: *responsum lene retroire facit iram*, ודבר עצב *sed verbum iratum ercitat iram.* Plures tamen hic veterum, *durum* verterunt, Aquila λόγος σκληρὸς, Syrus ܡܠܬܐ ܩܫܝܬܐ, Vulg. *sermo durus*, Chaldaeus, מלתא דעזיזא, quod possit defendi usu linguae Aethiopicae, quae his sub literis *duri* notionem habet.

Jes. LVIII, 3. עַצְּבִים *dolores*, pro jejuniis aliisque corporis adflictionibus poni videtur: כל עַצְּבֵיכֶם תנגשו *omnes dolores vestros cum foenore a me exigitis*, jejunia vestra mihi imputatis, mercedem tanquam debitum cum foenore reposcentes. Dissident tamen et recentiores, de quibus videatur Vitringa ad hunc locum, et veteres, nec improbabilia adferentes. LXX ὑποχειρίους verterunt, reprehendente in commentariis Hieronymo, inque Vulgata, *debitores*, praeferente. Sic ille, "*LXX et „omnes subjectos vobis conjungitis, sive, adfligitis:* melius Theodotio et „*Symmachus transtulerunt, quos nos in hoc loco sequuti sumus, et om„nes debitores vestros exigitis.*" Sed forte idem LXX voluerint, debitores enim *ὑποχείριοι*, obnoxii, recte dici possint: suspicari adeo possis, *ὑποχείριος subjectus*, et *ὑπόχρεως debitor*, hic sive a librariis, sive ab ipso interprete Graeco, perquam inerudito, confusa fuisse. Potuerint sane a primo verbo عصب *ligavit*, debitores tanquam *obligati* dici. Ergo haec versio non improbabilis. — — Idola intellexerunt Syrus Chaldaeusque, *omnia idola* (vel, ut Chaldaeus vertit, *offendicula*) *vestra appropinquare facitis*, his vocalibus, וכל עֲצַבֵּיכֶם תַּגִּשׁוּ; parum probabile, totum enim caput non de idololatris loquitur, sed de Judaeis rigide orthodoxis, fere ad Pharisaeorum modum.

עֶצֶב נִבְזֶה Jerem. XXII, 28. quid sit, varie disputatum: mihi quidem verisimillimum ex quarti verbi significatione, *invisum, molestum, quisquiliae, purgamenta.* Sic quidem Symmachus, teste Hieronymo in commen-

mentario: *Symmachus tranſtulit: numquid purgamentum, ſive quisquiliae viles atque projectae? pro quo in LXX nihil habetur.* Inſigne, hoc ipſum *quisquiliarum* nomen in Arabum lexicis ſub غضاب legi. Proximi a Symmacho, qui ſpretum vertunt, Chaldaeus, בסירא, Syrus, ܒܣܝܪܐ. *Exoſum, inviſum* Arabibus مغضوب.

Mire alii diffident. *Vas fictile* habet Vulgata, quod unde ſumſerit Hieronymus, in commentario non prodidit, nec facile eſt conjectu. Στό-μα ἐξουδενωμένον, *os contemtum*, Aquila, ſub cujus nomine in Hexaplis Syriacis legimus, ܡܩܦܚܐ ܡܫܟܠܢܐ *colaphizatio ignominioſa*: qua ex allegatione עצב poſſit ad *dolorificae plagae* notionem referri; στόμα quomodo verti potuerit, haud adſequor. Recentiores ambigunt inter, *idolum*, *vas elaboratum*, et, quem Venema ex Arabico عصب habet, *nervum ſpretum*: vult autem, nervum eſſe principem, rem publicam firmantem.

1945. מִעֲצָד, עצד Jerem. X, 3. Jeſ. XLIV, 12.

Iterum ante omnia ſciendum duplex verbum eſſe, pro diverſa mediae radicalis adpellatione.

1) عصد *torſit.*

2) عضد *reſecuit, cecidit, inſtrumento, quod* مِعْضَد *dicitur:* quod nomen explicat Geuharius, *inſtrumentum enſiforme, quo arbores caeduntur.* Primitivum forte, ex quo haec et alia fluxerunt, ut ſaepe alias, nomen membri corporis humani, عَضُد *brachium*, a cujus ſimilitudine inſtrumentum enſiforme nomen accipere potuerit. Samaritanis עצד eſt *metere*, incertum, utrum a ſecando, an a brachio; brachio enim, et manu in Aſia meſſores evellere ariſtas ſolent.

Jam haec legens, et vero ſine accentibus, aliam conſtructionem ſvadentibus, Jerem. X, 3. עץ מיער כרתו מעשה ידי חרש במעצד, quis non hoc inſtrumentum enſiforme, ſecurim vocare liceat, intelligat, vertatque: *arborem in ſilva caedit, opus fabrorum futuram, ſecuri?* Sic quidem Chaldaeus חציבא *ſecurim* vertit; habentque et Thalmudici, מעצד של לגיונות *ſecures legionum*, i. e. *bipennes.* — — *Aſciam*, ܚܨܦܐ vertunt Syrus et Vulgata, nempe cum proxime praecedentibus conſtruentes, *opus*

opus manuum artificis ascia; sic et praecipiunt accentus, sequutusque sum in prima ac secunda editione versionis germanicae, sed video, hanc significationem conjecturalem potius esse, usu certe linguae Arabicae non firmari.

Jes. XLIV, 12. חרשׁ ברזל מַעֲצָד, vix potest, ut plerique volunt, instrumentum esse, quo faber in cudendo vel fingendo ferro utitur, scribendum enim fuisset, במעצד, nec in Jeremia est instrumentum fabri ferrarii, sed ut apud Arabes, quo arbores caeduntur: ergo deserendi LXX, qui vertunt, σκεπάρνῳ εἰργάσατο αὐτὸ, *securi vel bipenni operatus illud.* Alii ergo in adcusandi casu: Chaldaeus, *ex ferro fecit securim* (חצינא), Vulgata, *limam operatus est.* Neutrum satis ad filum orationis, describitur enim ipsa idoli fabrica, non instrumentorum necessariorum, quae non nunc parabat, sed diu antea parata habebat deorum faber. Syrus pro verbo habens, (מְעַצֵּד) vertit ܚܕܐ *ferrum ferro acuit faber.*

Equdem ipse velim ut verbum accipere, his toti versui substratis vocalibus וְחָרַשׁ בַּרְזֶל מְעַצֵּד *et faber ferrum torquet*, ab عصد, i. e. malleo in formam, quam vult, diducit.

Ergo meorum cogitatorum summa, עצד est, et *secare*, et *torquere, malleo formare:* מַעֲצָד *instrumentum, quo arbores silvae caeduntur.*

1946. עצה Prov. XVI, 30. et ex var. lect. Ps. XXXII, 8.

Ἅπαξ λεγόμενον textus masorethici, in lexicis, *clausit*, verti solet, עֹצֶה עֵינָיו *claudit oculos.* Sumtum ac tralatitium ex Kimchii libro radicum, qui interpretatur per, סותם occultat. Non inficior, pro hac versione adferri Aethiopicum עצו posse, *clausit januam*, proprie, *firmavit*, ut Galli dicunt, *fermer la porte*, — — Aliter tamen, nec veri dissimiliter, antiquissimi, LXX. στηρίζων ὀφθαλμοὺς, exque illis Arabs مسن يصلب عينيه, Aqu. et Theod. στηρίων, *firmans oculos*, i. e. unum illos in locum attonitus aut meditabundus firmiter dirigens. Arabicum عصا pro عصو, in octava est, *durus fuit*, sive denominativum ab עץ lignum, sive ligno a duritie et rigore dicto, translatum frequentissime in prima conjugatione ad duritiem moralem, obstinationem animi et inobedientiam, quo sensu in Corano perquam frequens. Syris quoque ܥܨܐ *obstinatus fuit, rebellavit.* Annotarunt jam aliqui, idem

esse,

esse, quod عصّ, *durus*, *firmus fuit*, duabus literis conveniens. Hinc ergo et firmatio oculorum unum in locum recte dici potuerit. Ex varia lectione idem verbum eodem sensu, sed in melius accepto, recurrit Ps. XXXII, 8. pro איעצה duobus ibi Kennicotti codicibus habentibus אעצה, quam lectionem sequuti LXX verterunt, ἐπιστηριῶ ἐπὶ σε τοὺς ὀφθαλμούς μου, Syrusque, [illegible]: hic, *firmare super aliquem oculos*, erit, semper illum respicere, ejusque curam agere.

Caeterum Proverb. XVI, 30. Chaldaeus Syrusque verterunt, רמז, *innuens oculis*, ex conjectura credo; Schultensius perquam coacte, et ut commentario magis indigeat quam Hebraica, *stipans oculos suos*. Commentarium in notis addidit, non describendum.

1947. עָצַם *obligavit*, Jes. XXIX, 10.

Observarunt jam alii ויעצם vertendum esse, *clausit*, vel potius, *obligavit* oculos illorum. Nempe est hic أعصم Arabum, vinculo loroque constrinxit, idem quod alias عصب et Chald. עצב, frequenti literarum M et B permutatione.

1948. עֶצֶם, *os*, *ipse*.

Notatum jam lexicographis, עצם היום, *os diei*, esse, hunc ipsum diem, a quibus collecta exempla lustrans, videbis, phrasin esse maxime Mosaicam, nec tamen aliis scriptoribus ignotam. Est idem, quod Arabicum ذات اليوم, *essentia diei*, i. e. hic dies, sicque et ab Arabe vertitur Deuteron. XXXII, 48. في ذات ذلك اليوم. Eodem modo et acceperim Job. XXI, 23. ימות בעצם תמו *moritur ipso perfectionis* i. e. *perfectae aetatis tempore*, summo in senio.

Thren. IV, 7. אדמו עֶצֶם vix verti potest, *rubent* ossibus, putemque, verà si lectio, et hic עצם esse, (ut ita dicam) *ipseitatem*. Sic quidem accepisse LXX. et Vulg. putem, simpliciter vertentes, *rubuerunt*, omisso nomine auxiliari. Chaldaeus quidem, חֵיזוּ adspectu, Symmachus τὴν ἕξιν. Recentiorum non pauci ossa pro corpore poni sumunt, quod quidem vix placet, non toto corpore, sed sola facie rubet, quem a pulchritudine commendamus. Variam lectionem עצים vide sub עצץ.

1949. עדינו העצני 2 Sam. XXII, 8.

Voces, ut videtur, in mendo cubantes, librariorumque errore ita obſcurae, ut quales nunc leguntur, ſenſus ex illis grammatice erui vix poſſit: totum ejusmodi erroribus caput ſcatet. Aliquid tamen ex illis transparere veri, aut veriſimilis videtur. Solent Arabum poetae in forti viro laudare, mollitiem ac luxum in pace, feritatem in bello, ut in chreſtomathia Arabica p. 73. Tale quid et his ex literis, male deſcriptis, pellucere videtur: עדין eſt, *delicatius, in luxu et deliciis vivens*, עצין habent Arabes ſub غُصْن plur. أَغْصَان quod Golius p. 1712. generatim *ramos* interpretatur, ſed in fabula Locmani 22 ſpeciatim de ſpinarum ramis ponitur: quod ſi ergo idem ſit ac Syriacum ܚܘܨܢܐ ſpinae, poſſis עצין *ſpinoſum*, i. e. aſperum alios vulnerantem interpretari. Sed hoc abdicandum reor, generatim enim de ramis ponitur in exemplis a Caſtello allatis, Geneſ. XLIX, 22. غُصْن مُثْمِر *ramus foecundus ad aquam*, Levit. XXIII, 40. pro ענף, Jeſ. XXV, 3. pro κλημάτις, Matth. XXI, 8. pro κλάδοι, itemque Marc. IV, 32. At aliud offert Arabia ſub غُضْن *ruga frontis*, غَضَّنَ *corrugavit*, quod ad iram transferunt, غاضن *corrugavit contra alium frontem inimicitia*, أَغْضَن *corrugatos oculos habens, ſenio, ira, ſuperbia*: hinc et quadriliterum faciunt, غَضَنْفَر *leo, vir robuſtus, valido corpore, fortis, heros*. Sic jam ex his fragmentis literarum haberes *virum jucundum mollemque*, ſi amicus, *et rugoſum, iracundum, fortem in bello*. Expeditiora omnia, hac lectione reſtituta, עדין ועצני.

Nec tamen diſſimulandum et aliam ſe offerre, cum lectionem, tum interpretationem collato loco parallelo 1 Paral. XI, 11. ubi pro

הוא עדינו העצני

legis — — — הוא עורר חניתו

egregia ſententia, *ille vibravit haſtam ſuam contra trecentos* (vel, octingentos) confoſſos. Sic quidem pro עדינו aliud verbum legendum, vibrandi vel agitandi arma, עצנו autem vel, ut alii codices habent, עצינו idem foret, quod חניתו, *haſtam ſuam*, potueritque a ramo et haſta dici. Omnia adhuc faciliora, ſi demta litera N, עצו legas, *lignum, baculum ſuum*, quod ipſum Hebraeis et de haſta ponitur. Prope idem me hic ſentire

tire quisque videt, quod Simonis, qui עצן inquit, *idem quod Arab.* غصن *thyrsus, i. e. hasta aculeata.* *Thyrsi* notionem soli lexico Castelliano credidit, hastamque aculeatam intellexit, immemor, thyrsum et caulem cujuslibet herbae vel fruticis esse, sicque a Castello poni, *virgultum, thyrsus.* Id aliquoties video viro diligentissimo accidisse, ut Castelli lexicon, quo utebatur, non satis intelligeret, nec aegre fero, vix enim dubito, quin et mihi aliquando accidat.

Ut et de veteribus hic referam, lectores exacturos arbitror, maxime cum hic, egregia alias Vulgata, ac post Syriacam versionum prima, aliquid commiserit, quod rideri solet. LXX ergo ut nomen proprium retinuerunt, Ἀδεινὼν ὁ Ἀσωναῖος, vel, ut Alexandrinus codex habet Ἀδεὶν ὁ Ἀσωναῖος: enoto, quod עדין sine Vau legit, ut equidem legendum suspicabar. Syrus et Arabs omittunt, quod equidem non arguo, velim enim et mihi licere, ut, quae non intelligo, omittam. At aegrius ferri solet, quod habet Vulgata: *et ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Hoc quidem plane non est ingenii Hieronymiani, sed Judaici, Judaeisque credidisse Hieronymus videtur. Lege Raschium, habebisque aliquem fontis Rabbinici non dissimilem rivum: *quando studebat in lege, convolvebat atque ligabat se tanquan vermis, ex significatione* מערכות כימה, *ligamina Pleiadum, et qando egrediebatur ad bellum, erat durus ut lignum.* His si contentus non es nugis Judaeorum, pluresque animi caussa legere cupias, evolve Thargum 1 Chron. XI, 11. cum notis Beckii, ego parcus chartae, quam suis emunt sumtibus lectores, non describo.

1950. עציון גבר Num. XXXIII, 35. Deut. II, 8. 1 Reg. IX, 26. XXII, 49. 2 Paral. VIII, 17.

Nomen portus nobilissimi ad maris rubri sinum Aelaniticum, prope Aelanam, ut 1 Reg. IX, 26. refertur, de quo donec aliquis linguae et geographiae peritus curiosusque litora sinus Aelanitici adierit, frustra anquiremus: habet enim multos ille portus, quorum ex Nubiensi, Climatis III. sect. V. secunda statim textus pagina, hos excerpam, ab occidente incipiens, in bona delineatione Arabiae quaerendos: شرم, Scherm, portus parum aquae habens, seu, ut Nubiensis dicit, مرسي لا ما فيه, portus, in quo non est aqua, — — شرم البير *Scherm elbir*, portus parum aquae haebens, — — راس ابي محمد *promontorium Abi Muhammed*, portus parum aquae habens. Sequitur jam in ipso vertice sinus Aelana

Aelana ايلة, ac deinde in Orientali litore, عومد, *Aumed*, portus in quo aqua est, i. e. satis profundam aquam habens e regione insulae Noman, — طنا *Tenna*, portus profundam aquam habens. Quis ex his sit portus Etziongeber, definiri nequit, donec aliquis, ut dixi, itinerator, aut de situ et bonitate portuum plura retulerit, ex quibus conjectura fieri possit, aut ipsas nominis reliquias detexerit. Büschingio شرم Scherm praeplacet, quem portum et profundum dicit esse et tutissimum. Ad ipsius descriptionem Asiae, quae in manibus omnium est geographiam amantium, ablego.

In veteribus nihil hic praesidii. Plerique nomen, sed varie scriptum, retinent, non interpretantur. Josephus, elisa litera N Ἀσιωγγάβαρος scribens, Berenicen interpretatur, Ant. VIII, 6, 4. *Ἀσιωγγάβαρος αὕτη γὰρ Βερενίκη καλεῖται, οὐ πόῤῥω Αἰλανῆς πόλεως· ἡ χώρα τὸ πρὶν Ἰουδαίων ἦν.* Verum nulla Berenices urbis illo in tractu apud reliquos geographos mentio (*), vereorque, ne Josephus, cui soli ea credi solet, crediturque hic et a Cellario, Berenicen Aegypti, de qua audierat forte naves Salomonis eam navigando attigisse, confuderit cum Etsjongebera, magnoque errore prope Aelanam sitam dixerit. Certe nec ipsi sibi constat, ac plane aliter עציון גבר 1 Reg. XXII, 49. interpretatur. Primo, nescio quo correptus errore, aut quid in suo exemplo legens, Josaphatum dicit navigationem in Ponti et Thraciae emporia parasse, quae quidem ex sinu Arabico non nisi a vesano suscipi potuisset: deinde naves dicit *nimia magnitudine periisse*, בעציון גבר *magnitudinem molis* interpretatus, *nimiam ligni copiam*, ad עצים ligna et גָּבַר *praevaluit*, referens. Injuriam ne facere scriptori videar, festinanti haud raro ac sibi contradicenti, ipsa verba adscribo, ex Ant. IX, 1, 4. *πρὸς ὃν κοινωνήσας ἐπὶ κατασκευῇ νηῶν, εἴς τε Πόντον πλευσῶν, καὶ ἐπὶ Θράκης ἐμπόρια, διήμαρτε τοῦ κτήματος· ὑπὸ γὰρ μεγέθους ἀπώλετο τὰ σκάφη.* Huicne, tam vocabuli עציון גבר ignaro, tam sibi aperte contradicenti scriptori, credendum, Etsjongeber fuisse aliquam Aelanae vicinam Berenicen, reliquis geographis omnibus ignotam? Nimis de illo benevole sensit et Cellarius, et quos ille p. 687. 688. geogr. citat.

Arabica versio libri regum primi, ex Syriaca facta, sed alicubi ab alio Hebraica legente mutata, correcta, depravata, in capite quidem XXII nomen Hebraicum seu Syriacum retinet, عصيون جابر (Syriace,

(*) Vide Cellarii geographiam P. II. p. 687. 688.

riace, nisi quid in edendo peccatum بجيرته ىحض) c. IX, 26. vertit, وال بغيضة, *in silva praefecti* (*), עציון non urbem intelligens, sed silvam, ex cujus arboribus naves fabricatae sint, ab עץ, et גבר *magnatem illi silvae praefectum.* 2 Paral. VIII, 17 ضيعة *praedium*, vel pagus vertitur, sed suspicor et hic غيضة *silva*, legendum. Silva vero, ex qua caesa navigiis fabricandis ligna, עציון גבר esse nequit, si in ea fractae vento naves, 1 Reg. XXII, 29.

Antiquiores Chaldaei nomen retinent, ignorantiam ingenue professi, at recentiores Pentateuchi metaphrastae, Pseudojonathan, et Hierosolymitanus, itemque interpres chronicorum Chaldaeus, כרך תרנגלא *arcem galli* interpretati sunt, ex etymologia, et vero perquam indocta, geographiam commenti: nempe גבר, non veteri Hebraismo, sed Thalmudicis, *gallus*, quod illi ad nomen proprium, in Mose jam lectum, transtulerunt.

Ergo, donec meliora edoceamur, ignoremus, quis portus fuerit.

1951. עצים, עצץ Thren. IV, 7. *labia?*

Pro עֶצֶם de quo p. 1945. egimus, malles sane aliquod partis corporis humani nomen, pulcre rubentis, *genarum*, aut similis. Duo quidem codices Kennicottiani, 136, et 212, עצים habent quod עַצִּים appellatum, non genarum quidem, sed labiorum esse nomen possit, ab عض momordit: *rubebant labiis prae coralliis.* Non definio, estque etiam quod in etymologia displiceat, in loco tamen difficili omnia tentanda, et vel variae lectionis ratio reddenda. De Rossius utinam nos doceat, pluresne codices ita habeant.

1952. עצר.

Loco hujus verbi tria adpellatione diversa, عصر, عضر, et غضر habent Arabes, quae quidem omnia in *continendi*, *prohibendi*, *detinendi* significatione, Hebraeis nota conveniunt, ut ipsorum lexica docebunt, forte discrimine adpellationis ac scriptionis, ut saepe accidere solet in linguis viventibus, non curiose observato: sed habent tamen illae et suas peculiares notiones, non ignorandas, maxime ob nomina ab עצר derivata.

1) عصر

(*) Male in Polyglottis vertitur, *in silva Val.*

1) عصر, *pressit uvas, expressit succum*, unde عَصِير *mustum* مِعْصَرَةٌ et مَعْصِرَةٌ, *torcular*, ac poetice, *nubes*, Sur. LXXVIII, 14. Haec calcandi, uvas calcandi, et torcularis, notio, omnibus Aramaeorum dialectis communis, Chaldaicae, Syriacae, Samaritanae.

A premendo forte, *continere*, *continere in officio*, atque etiam, imperio premere, regere, 1 Sam. IX, 17.

2) عَاصِرٌ jam rarius, cujus exemplum legere non memini, explicatur per مَانِعٌ *prohibens*, *recusans*.

3) غضر de *commoditate vitae et adfluentia bonorum poni solet*.

4) *Congregandi* notio quam multi verbo tribuunt, veterum etiam aliqui, linguis Orientalibus ignota. Vide de ea sub sequente nomine dicenda.

1953. עֲצָרָה, עֲצֶרֶת *festum* Levit. XXIII, 36. Num. XXIX, 35. Deut. XVI, 8. 2 Reg. X, 20. Jes. I, 13. Jerem. IX, 1. Joel. I, 14. Amos V, 21. Nehem. VIII, 18. 2 Chron. VII, 9.

Vocabulum, de cujus et significatione et derivatione multum disputatum est, consulendusque ante omnes in dissertationum philologico-theologicarum quinta Ikenius. Inauditi nihil adfero, sed aliqua distinctius exponere, ac sententiam dicere animus est.

Primo de derivatione. Plures una se offerunt, ex quibus plane repudiandae,

1) quae *clausulam*, *ultimum diem festi* paschalis vel tabernaculorum exponit, *a claudendo*. Primo enim, ut statim videbimus, et alios dies festos denotat, deinde haec claudendi significatio plane conficta: עצר est, *claudere*, quatenus idem cum, *continere*, *prohibere*, sed nulli Orientalium linguarum *claudere*, pro *finire*. Haec derivatio ex confusione eorum, quae latinum *claudere*, *concludere*, significare potest, orta.

2) a *congregando* ducta. Est haec significatio linguis Orientalibus plane ignota. Citant pro illa Castelli lexicon, Syriacum ܥܨܪ *collegit* vertens, exemplumque addens, Deut. XX, 6. sed manifesto errore, ac nimis, ne sententiae quidem, sed solis verbis Gabrielis Sionitae obsequio-

quiose, qui ܡܥܨܪ ܠܐ ܚܡܪ ; ܠܐ reddiderat, *mustum ex ea nondum colli-*
git, cum potius vertere debuisset, *et uvas nondum calcavit*, vel, *mu-*
stum expressit ex illa, ut statim in sequente membro, ܚܡܪܗ ܢܥܨܪ
vertit, *mustum ejus exprimat*.

Ab his ergo etymologiis caveant sibi lectores. Addere alias possem, ut,
ab عَصْرٌ *tempus*, ut sit, statum tempus, sed nolo hac copia nebulas of-
fundere. Una certissima derivatio ab עצר *cohibuit*, *prohibuit*, ut sit, *pro-*
hibitio laboris, hancque firmat, quod ter, Levit. XXIII, 36. Num. XXIX,
35. Deut. XVI, 3. post עצרת היא, vel, עצרת תהיה לכם, additur tan-
quam explicationis caussa, כל מלאכת עבדה לא תעשו *ullum opus ser-*
vile non facietis, vel עצרת היא ליהוה אלהיך לא תעשה מלאכה,
cohabitio est Jehovae deo tuo, non facies negotium. Jam et intelliges,
quomodo 2 Paral. VII, 8. 9. festo (חג) opponi possit, per medios enim
festi tabernaculorum dies, 2, 3, 4, 5, 6, licebat labores peragere, non
ultimo, qui sabbati jus habebat.

Caeterum loca, in quibus עצרת de festo positum occurrit, in tres,
aut Josephi usum si addas, quatuor significationes dispertiri licuerit.

I) Generatim de omni festo, atque etiam extraordinario ponitur,
2 Reg. X, 20. (de festo extraordinario in honorem Baalis,) Jes. I, 13. Joel
I, 14. (de supplicatione extraordinaria) et Amos V, 21. Sed de hoc lo-
co adcuratius dicendum. Quod in priore membro חגיכם festa vestra,
in posteriore sunt עצרתיכם, ut dubitari vix possit, altero vocabulo alte-
rum explicante; et tamen constructio cum verbo *odorandi* displicere pos-
sit, לא אריח בעצרתיכם, *non odorabor festa vestra*. Hic quidem sic sub-
veniendum, ut dicamus, Deum festa odorari, ubi sacrificia festo tem-
pore oblata gratus ei odor sunt: quod tamen si displiceat, עצרות *dona*,
sacrificia, vel *convivia sacrificialia* interpretare, collato عَصَرَ *donavit*,
عَصْرٌ *prandium et coena*, quae notiones quomodo cum reliquis ejusdem
عصر connectendae, nondum expedio. Prius praefero, sed forte et ad
hanc convivii notionem, ut sunt Hebraei valde paronomasiae amatores,
alluditur. Nec tamen hic subticenda harmonica Syri versio. ܥܨܝܪܬܟܘܢ,
quod Ephraem Syrus *vinum libationis vestrae* interpretatur, a calcandis in
torculari uvis, expressoque musto sic dictum. At reliqui veterum hic,
ne-

nescio quo casu, in congregandi notionem undecunque arreptam, forte ex חצר, consenserunt: LXX. excusatius, *οὐ μὴ ὀσφρανθῶ θυσίας ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ὑμῶν*, forte enim *πανήγυριν* simpliciter de festo posuerunt, non etymon exprimere voluerunt, Chald. קורבן כנשתכון *oblationem congregationis vestrae*, et prope foede Vulgata, *non capiam odorem coetuum vestrorum.*

II) De die septimo festi paschalis ponitur, Deut. XVI, 8. nempe, quod illo omnis labor prohibitus, praecedentibus diebus a secundo ad quintum permissus.

III) De octavo die, festo tabernaculorum addito, Levit. XXIII, 36. Num. XXIX, 35. Nehem. VIII, 18. 2 Paral. VII, 9. hic quidem cum manifesta oppositione ad reliquum festum. Huic diei cum nomen tanquam proprium sit, verisimile mihi videtur, non a solo laboris interdicto eum accepisse, sed et a calcando, ut sit tanquam calcationis vini ac torcularis festum, cum praecedentes septem dies vindemiae essent, collectionisque fructuum aestivorum. Intuli versioni germanicae bibliorum: timere tamen invento incipio, certe deesse videns argumenta historica.

IV) Josephi tempore pentecostes festum *κατ' ἐξοχὴν* hoc nomine dictum fuit, Ant. III, 10, 6. *τῇ πεντεκοστῇ, ἣν Ἑβραῖοι Ἀσαρθὰ καλοῦσιν, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντεκοστήν*, *quinquagesimo die, quem Hebraei Asartha vocant, significat id autem quinquagesimum.* Nuspiam ita nomen in sacris literis occurrit, sed in Chaldaicis versionibus scriptisque Judaeorum non insolitum esse, docuit Ikenius, dissertationis quam sub initio citavi §. 8. עצרתא quomodo *πεντεκοστὴν* interpretari Josephus potuerit forte quaeras: suspicor, jam ejus tempore solitum Rabbinis fuisse, עצרת *conclusionem* interpretari, sic, *conclusio septem hebdomadum*, de quibus antea dixerat, dies *illis additus*, erit quinquagesimus.

V) Unum ex his expedire Jeremiae, עֲצֶרֶת בֹּגְדִים (c. IX, 1.) difficile. *Σύνοδον*, *coetum* praevaricatorum satis unanimiter vertunt LXX. Vulg. Chald. Syrus, non male ad filum orationis, sed jam supra monui, *congregandi*, quae hic sumitur, significationem, linguis orientalibus ignotam esse. Venema, *strictionem*, i. e. *coetum constrictum* interpretatur, sumens, עצר, proprie, *strictionem* denotare: hoc vero quid est, nisi, in etymologiis nullo usu linguarum conjicere? ejusmodi lusibus possimusne interpretationem credere? Equidem duo tentamina lectoribus propono.

1) Estne, *stirps perfidorum*, ab عَصْر *tempus, aetas*, unde et *prosapia*

nobi-

nobilis et antiqua dicitur? 2) Possitne festi notio hic retineri? *omnes illi sunt moechi, festum perfidorum,* i. e. *scortantur cum aliis diis, et festa idololatrica perfidi celebrant?* Meliora si quis dederit, aut si quis congregandi notionem, de qua me dubitare professus sum, probet, gratus accipiam.

1954. מַעְצֵרָה *torcular*. Jes. X, 33.

In codice masorethico non occurrit, at Jes. X, 33. pro מַעֲרָצָה *terror*, Chaldaeus ita legisse videtur, vertens, בְמַעְצַרְתָא *in torcular*. Insignis lectio, egregiamque sententiam fundens, *defluere faciet Deus fructus aestivos, conjicietque in torcular.* Vide biblioth. Or. prior. T. XIV. p. 143. 144. Nec tamen ullus eam codex hucusque excerptorum habet, sed velim codices adcuratius inspici, facile enim in his transpositionibus conferenti somnus obrepit. Referendum nomen ad primam verbi significationem, ex qua مِعْصَر, مِعْصَرَة, Chaldaicum Samaritanumque מַעְצְרָא, *torcular*.

1955. עָקֹב Jes. XL, 4.

Periculosam plerumque ac lubricam viam intelligunt, tanquam a supplantando et insidiando dictam. Aptius tamen filo orationis, quod Jobus Ludolphus monuit, Aethiopibus hoc nomen *clivum* significare. Quin et Arabibus عُقَاب est, *saxum in monte protuberans, ut gradui simile videatur.* Nempe sic dicitur ab עָקֵב *vestigium*, quod in eo vestigium figere et adscendere possis. Vide delineationem ejusmodi montis, per cujus saxa tanquam per gradus ascenditur, in Niebuhrii itinerario T. I. tab. LXIII. LXV. vocemque et Hebraicam et Arabicam intelligere tibi videberis. Ejusmodi aspera saxa, quae equo curruque adscendere periculosum, aut plane illicitum, in planitiem mutabuntur. ܟܙܩܐ *asperum tumulum*, vertit Syrus.

1956. עֵקֶב Ps. XL, 16. LXX, 4.

עַל עֵקֶב, his quae dixi, locis, LXX παραχρῆμα interpretati sunt, possitque id, *in vestigio*, seu, ut Latine diceres, *e vestigio*, significare. Sic Arabibus, فِي حَال *in statu*, est, *statim.* Vide collegium criticum in hunc psalmum. Sequutus sum in versione germanica, *ihre Beschämung gehe plötzlich in Erstarren über.* Nec tamen nego, posse etiam verti: *ob-*

obstupescent ob finem, i. e. *poenas pudendorum suorum operum*. عَقِبَةٌ Arabibus frequenter, *praemium*, (Sur. XX, 132.) inque malis operibus poena.

1957. עָקוֹד Genes. XXX, 35.

Varii coloris in pedibus, ac si illi ligamine alius coloris ligati essent, ut jam monuerunt alii. Addo illustrationis loco insigne vocabulum Arabicum, حُجُول *periscelide notati*, et مُحَجَّلَة *equus a natura tanquam periscelide notatus*, de quo Tebrizius, p. 89. chrestomathiae nostrae, *prima vocis significatio, compedes, cum autem est aliquid albi in loco, ubi compedes esse solent* (alligati nempe equi) *equus vocatur* مُحَجَّل.

1958. עקל cum derivatis.

Recte dant huic radici, me judice, significationem *tortuosi*, monendum tamen, eam a *constringendo*, quod Arabibus عقل denotat, ortam videri. Hinc et explicandum quod Ps. CXXV, 5. עקלקלות a LXX et Vulg. στραγγαλιαὶ, *obligationes*, redditur, quo quidem loco possit *curvas vias et distortas* significare, possit et, *exitu carentes*, et *tanquam obligatas*. عاقول *obligata*, est, *terra per quam non patet via*.

נחש עֲקַלָּתוֹן Jes. XXVII, 1. mihi videtur *serpens constrictus et contortus* esse, nec vero terrestris, sed sidus coeleste, *serpens ophiuchi*, qui ab ophiucho utraque manu tenetur, altera etiam in gyrum contractus. Vide ejus figuram in delineatione coeli, ac statim intelliges. Caeterum confer sive notas germanicas ad hunc locum, sive num. 290. de בריח scripta.

1959. עקר.

Sitne proprie, ut Syris Chaldaeisque, *eradicavit*, dubito, suspicorque, idem esse, quod عقر, *secuit, resecuit*, a resecando primo radicem resecta arbore superstitem, Syris Chaldaeisque עִקָּר dictam fuisse, hoc nomen deinde latius patuisse, atque a *radice* verbum denominativum ductum *eradicare*. In antiquissimo adeo exemplo Chaldaici עִקָּר, cum שרש componitur, Dan. IV, 12. עקר שרשוהי, quod explicandum videtur, ne idem bis in genitivo ac nominativo dicatur, *resectum radicis ejus*, i. e. rese-

resecta et abscissa ejus radix. Unicum exemplum certum Hebraici verbi eradicandi significatione positi, est Coheleth. III, 2. quem librum Aramaeismis scatere, quis ignorat?

Plerumque Hebraice de equis ponitur, quibus vehemente ictu gladii nervi posteriores inciduntur, ut statim corruant, sintque inutiles, quod et nostro tempore in proeliis fieri solet, ubi equos captos non secum abducere victor potest: hic quidem ictus plerumque ita adigitur, ut et venae vulnerentur, nec equus solum inutilis fiat, sed et non multo post profluvio sanguinis moriatur, aut, si quem ejus miseret, uno ictu occidatur: Germani equites dicunt, *dem Pferde die Hessen abhauen.* Vide Jos. XI, 6. 9. 2 Sam. VIII, 4. 1 Paral. XVIII, 4. Arabibus etiam hoc significatu عقر frequentissimum.

Accipiunt non pauci eadem significatione Genes. XLIX, 6. עקרו שור *succiderunt bovem*, praeeuntibus LXX ἐνευροκόπησαν ταῦρον. Displicuit hoc aliis, jure quidem, nec enim verisimile, Jacobi filios, qui Sichemitarum boves aliosque greges praedae loco abduxisse dicuntur, Genes. XXXIV, 28. tauros magno suo damno truncasse, vel obtruncasse. Accedit etiam, quod hoc vulneris genus, in equis solitum, insolitum in bobus, nec ullo hic reliquarum linguarum usu exemploque firmatur.

Ergo jam plures veterum *destruendi* notionem verbo hic dederunt, aliisque vocalibus animatum עִקְּרוּ שׁוּר verterunt, *diruerunt murum.* Recte illi, ut opinor. Sic ex veteribus Onkelos, Pseudojonathan, Syrus, Aquila, Symmachus, Vulgata, Arabs uterque, Arabes etiam Samaritanorum, cum Durelli, tum Hwidii, quorum consensus eo magis notandus, quod, possitne עקר tale quid significare, nemo melius Arabe ex suae linguae usu judicare poterat. Obverti video, עקר de vulneribus animalium, non de muris poni: sed hic ipse consensus Arabum omnium verisimile facit, ne Arabiae quidem plane ignotam hac significatione fuisse, licet lexica eam non habeant. Omnia autem perficit Syrorum usus, quibus ܥܩܪ est, *evertere aedificia, perrumpere muros*, cujus exempla dabit lexicon Syr. p. 669. 670. Jam ergo malim veteres hic sequi, quam cum Rukersfeldero, *mactare, nempe ad epulas*, interpretari, licet non negem, sic et عقر Arabum poni: vide illum in sylloge commentationum, fasc. I. p. 400-404. Video et Sophoniae II, 4. de eversione urbium poni עֶקְרוֹן תֵּעָקֵר, quod jam malim ex usu Syrorum reddere, *Ekron evertetur*, quam, eradicabitur.

Caeterum suspicor, verbum etiam de exsectione seu castratione usitatum fuisse, licet exempla mihi non suppetant, atque ab illa עָקָר *sterilem*, nomen accepisse.

1960. עקרבים scorpius, מעלה עקרבים.

De spina scorpii, Arabibus quoque sic dicta, 1 Reg. XII, 11. 2 Par. X, 11. forte et Ezech. II, 6. vide praeter citatos ab aliis Celsium p. 45. 46. Partis II. hierobotanici.

מעלה עקרבים *ascensus scorpiorum*, Num. XXXIV, 4. Jos. XV, 3. Jud. I, 36. seu, ut Graece dicitur, Ἀκϱαβαττήνη, 1 Macc. V, 3. Joseph. Ant. XII, 8, 1. ab animali noxio, an a spina nomen acceperit, in plane certis non habeo: pro animali tamen facit, quod desertum, ad cujus finem adscensus scorpionum fuisse videtur, illo valde abundare auctor est *Volney*, Voyage de Syrie Tom. II. p. 318. Partem descriptionis regionis, nunc vastae, sed olim cultissimae, et magna urbium rudera habentis, excerpsi in bibliothecae Orient. novae T. IV. p. 192–194. sententiamque dixi, cujus populi esse videantur, Judaeorum et Idumaeorum, non, ut conjiciebat Volneyns, Nabataeorum, ne in aedibus quidem habitantium.

De aliis Palaestinae regionibus, a scorpiorum multitudine *Acrabattene* dictis, consules Relandi Palaestinam p. 191. 192. Cave cum ascensu scorpiorum confundas.

Mirum, qua inconstantia et varietate, מעלה עקרבים a Syro interprete exprimatur: Num. 34. ܡܣܩܢܐ ܕܣܦܪܘܝܡ (*adscensus Sefarvaim*) Jos. 15. ܥܩܪܘܦܣ Jud. I, 36. ܡܣܩܢܐ ܕܥܩܪܘܢ *adscensus Ekron*, Arabe etiam, qui in hoc libro Syrum exprimere solet, عقبة عقرون habente: in solo Maccabaeorum libro, quem Syrus ex Hebraeo vertit, c. V, 3. rectius ܥܩܪܒܬ. Quid caussae suberat, cur in vocabulo non difficili toties aut erraretur aut dissideretur? Velim hic consuli codices Syriacos.

1961. ערב.

His sub literis, pro diversa primae literae adpellatione, diversae, atque adeo contrariae coeunt significationes, ut cuique lexicon Arabicum sub عرب et غرب inspicienti, parebit.

Ad radicem عرب, ut exemplis utar, manifeste referendum, ipsum Arabiae Arabumque nomen, עֲרָב, et עַרְבִי, scribunt enim ipsi Arabes

عرب

عَرَبَ، غَرْبِيٌّ &c. ut ex Golio disces: ergo noli confundere, cum עֶרֶב
vespera, *occidens*, ac sive mirari, quomodo Arabia, maxime Orienta-
lis Israelitis, ac cujus incolae בני קדם, *filii Orientis* dicuntur, hoc
nomine vocari possint, sive cum Ditmaro, ex etymologiis linguarum
quas non intelligit, miras historias confingente, comminisci, Arabes
a sinu Persico ad sinum Arabicum profectos, hoc Arabiae nomen in-
didisse. Plane sunt diversa et opposita, عَرَب *Arabia*, ac vero to-
ta, quam hoc sub nomine descriptam vide ab Abulfeda, indeque dictus
يَعْرُب quem *patrem Jemenitarum* Arabes dicunt, et غَرْب *occasus so-
lis*, unde eidem Abulfedae aliisque Arabum geographis اَلْمَغْرِب *occi-
dentalis Africa*, unde et nota nostris geographis *Algarbia* Lusitaniae no-
men habet. Sunt haec ita diversa, ut *alienigenam*, *qui nulla ipsos cogna-
tione attingit*, *exoticum*, غَرِيب vocare Arabes soleant.

Etymologice utriusque verbi significatus عَرَب et غَرَب digerere,
nimis longum et difficile. Hac ergo disputatione omissa, quae de qui-
busdam locis difficilioribus mihi notaveram, lexicis adjicio.

غَرَب *occidit sol*, unde ערב *vespera*, dicta, est et, ut ex Arabum
lexicis disces, *abfuit*, *distitit*, *longius recessit*, quo et referendum Sama-
rianum ערב, transitive, *expulit*, *exhaeredavit*, *exterminavit*. Hinc
egregie explicabis illud Jes. XXIV, 11. עָרְבָה כל שמחה, *recessit*, *mi-
gravit omne gaudium*, idem, quod statim in sequente membro aliis ver-
bis dicitur גלה משוש הארץ, *migravit laetitia terrae*. Laudare primum,
qui hoc vidit, fas esto, Houbigantium, sed solum linguae Samaritanae
consensum citantem, hunc et sequutus est, Samaritanum verbum repe-
tens, Dathius.

غَرْبٌ est, *lacrimarum fluxus seu scaturigo*, *vena*, *meatusque oculi*,
qua lacrimae manant, *aqua ex situla stillans*. Hinc ausus sum, cum עָרְבֵנִי
sponde pro me, parum filo orationis et imagini aptum videretur, עָרְבֵנִי Jes.
XXXVIII, 14. *stillat mihi* oculus, interpretari. Nec genus verbi mascu-
linum opposueris: עַיִן generis communis, et vero ita, ut dextero mascu-
linum,

linum, sinistro femininum competat: *sinister oculus flebat mihi, dexter stillabat mihi.* Vide infra de עשש dicenda. Viam mihi monstraverat, sed paulo aliter interpretationem instituens, S. R. Velthusen.

Quid sit, מי הוא זה ערב את לבו לגשת אלי Jerem. XXX, 21. valde dubium: possimne ei opem aliquam ferre ex Arabico عَرِبَ *alacer et lubens fuit?* hac sententia: *quis alacre fecerit cor suum, ut ad me accedat? ad me quis ausit accedere?* quod sequutus sum in versione germanica, aut, *quis est, qui lubens ad me accedit*, sic fere Chaldaeus, דאתרעי לבה *cujus cor vult ad me accedere.* Cuperem tamen, hanc ipsam Arabici verbi notionem, forte cum ערב *suavis fuit*, cognatam, distinctius explicari, exemplisque confirmari, solis enim hucusque lexicis creditur. Nec de lectione satis certus sum, licet codices hucusque consulti concinant: placeret sane, si conjecturae locus קֵרֵב, *quis ipsum cor suum adpropinquare facit, ad me accedendo? quis ita sacerdos, ut non corpore solum sed et toto animo ad me accedat?* cujusmodi quid habet, plane in Jeremia egregia, Vulgata, *qui adplicat cor suum* – – aut ערך, *quis disposuit cor suum, ut accedat ad me.*

Recentiores hic, Rabbinos ערבון *pignus* conferentes, sequuti, vertere solent, *quis spondet pro corde suo, ut accedat ad me?* quae mihi incondita videtur phrasis: pro aliis sponsores fieri possumus, non ipsi pro nobis. LXX simpliciter, ὃς ἔδωκε τὴν καρδίαν αὐτοῦ.

1962. עָרֹב Exod. VIII, 17. 18. 20. 25. 27. Ps. LXXVIII, 45. CV, 31. *musca canina, tabanus? blatta Orientalis Linnei.*

Vocabulum vix significare, ut vulgo credebatur, colluviem insectorum posse, recte docuit, argumentisque confirmavit Bochartus in hierozoico T. II. l. IV. c. 15. 16. quod autem insecti genus sit, non satis distincte docuit. Accedit quidem Graecis, magnis in re Aegyptia auctoribus, κυνόμυιαν ubique vertentibus, quae autem sit, κυνόμυια, *musca canina*, vix ex eo disces. Ex solo graeci vocabuli etymo, et vero alio, quam quod veteres prodiderant, maxime Philo, Aegyptiarum rerum optimus cognitor, eam facit muscam esse, quae canes maxime pungit; Linneo *conopis* nomine dicitur, nobis *die Stechfliege.* Haec autem intelligi plane nequit has quidem ob caussas.

1) Κυνόμυια, de qua LXX loquuntur, Philone teste *stridet* (T. II. p. 105. πόῤῥωθεν μετὰ ῥοίζου καθάπερ βέλος εἰσακοντίζεται) quod in hanc muscam, oris loco aculeum habentem, non cadit.

2) Exile

2) Exile malum hominibus haec musca, quam manu facile abiges, aut pungere incipientem occides, quaeque noctu omnino non pungit, nec, postquam pupugit, doloris quidquam relinquit. Jam lege Exod. VIII, 17. ubi *κυνόμυιαν* immissurus dicitur Deus, Pharaoni, *servis ejus*, *populo ejus*, et 21–24. ubi tantum hoc malum, ut populum se dimissurum promittat Pharao, si ab illo liberetur.

3) Ne derivationem quidem Hebraico ערב sic accepto reperio, quae enim ultro se offert ab عرب *intumuit vulnus*, huic muscae non apta, cujus vulnera, dum infixus est aculeus, intolerabilia, tamen nec tument, nec abacta musca omnino sentiuntur. Quod si cum aliis ad עֶרֶב *vesperam* referas, ne hoc quidem etymon muscae caninae aptum, noctu, ut vix dum diximus, non pungenti.

4) Quae Bochartus c. 16. p. 557. habet: *in muscarum genere caninam maxime in Aegypto multiplicari voluit Deus, quia canibus maxime infesta, atque ob id ipsum magis odiosa Aegyptiis, a quibus colebantur canes*, Mosis verbis plane non conveniunt, canes omnino non memorantis, sed Pharaonem, servos ejus, atque populum.

De oestro forte cogitare possis ova in armentorum pellem deponente, unde ejus vulnera maxime tument, magno etiam stridore armenta terrente, de quo Virgilius Georg. III, 148.

cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graeci vertere vocantes,
Asper, *acerba sonans*, *quo tota exterrita silvis*
Diffugiunt armenta

ac de quo sub בער egi. — — Sed nec ille partes *κυνομυίας* explet, sive a Philone descriptae sive a Mose. Nunquam ille, ut ante plures me annos per literas Schaeferus docuit, docetque, haec dum scribo, denuo interrogatus Murrayus (*), hominibus molestus, in quos ערב irruisse Moses idemtidem auctor est, v. 17. 20. 25. 27: boum greges, et equos invadit, inque vesaniam agit, de quibus ne vocem quidem Moses mittit.

Κυνομυιαν, in ipsa Aegypto vivens, nec sane ignarus, quid Graecum Alexandriae nomen significaret, clare satis descripsit Philo, de vita Mo-

(*) Hunc potissimum interrogandum existimabam, quod alias jam ex eo audieram, frequentem hanc Lapponiae pestem esse, rhenonum gregibus terribilem.

Moſis, T. II. Mangeyanae editionis p. 101. (al. 622.) Nomen illam habere ait, non a canibus quos pungat, ſed ut multi veterum, a canina impudentia. Verba ſunt: ἣν ἐτύμως ἐκάλουν οἱ θετικοὶ τῶν ὀνομάτων, (σοφοὶ γὰρ ἦσαν) ἐκ τῶν ἀναιδεστάτων ζώων συνθέντες τοὔνομα, μυίας, καὶ κυνός. Ἐπιφοιτοῦσι γὰρ καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀδεῶς, κἂν ἀνείργῃ τὶς, εἰς τὸ ἀήττητον ἀντιφιλονικοῦσιν, ἄχρις ἂν αἵματος καὶ σαρκῶν κορεσθῶσιν. Ἡ γὰρ κυνόμυια, τὴν ἀφ᾽ ἑκατέρου τόλμαν προσειληφυῖα, δηκτικὸν καὶ ἐπίβουλον ζῶόν ἐστι. Καὶ γὰρ πόῤῥωθεν μετὰ ῥοίζου καθάπερ βέλος εἰσακοντίζεται, καὶ ἐπεμπίπτουσα βιαίως, εὖ μάλα ἐγχρίμπτεται: i. e. *quam veriſſime nominum impoſitores, ſapientes enim erant, juncto ex animantibus impudentiſſimis vocabulo, cane et muſca, adpellarunt. Sine metu enim* κυνόμυιαι *involant et irruunt, ac ſi abigas, pervicaci tamen pertinacia obnituntur, donec ſanguine ac carne exſatiatae fuerint.* Κυνόμυια *ergo, conjuncta utriusque animantis audacia, audax et mordax beſtia eſt. Nam et eminus cum ſtridore ut telum ſe ejaculatur, et vehementer irruens pungit acerrime.* Haec quis legens *tabanum* non videt deſcribi proprie ſic dictum. Abigi plane non poteſt, mortem minime timens ut aliae muſcae, (unde et Germani eum, *coecam muſcam, die blinde Fliege*, vocare ſolent) nec avolans, moriturque potius, quam eum deſerit, quem impetere coepit, quod ipſe aliquoties expertus ſum. Acris morſus, ac dolorificus, multum citiſſime ſanguinis proboſcide exſugens, ut uno vel duobus ſexageſimis horae temporibus plane ſatietur, tumeatque ſanguine; ipſe in ſilvis equos furiis pene actos vidi tabanorum morſu, momentoque temporis cruentos, tantum ſanguinis morſus eliciebat. *Stridorem* audire ipſe non memini, equis potius, furore correptis attentus, interrogavi ergo Schaeferum, qui Ratisbonae, die 10 Dec. 1765. reſpondit: *dieſe Fliege macht ein groſſes Geſchwirre, ſie iſt, wo ſie ſich anſetzt an Menſchen und Thiere nicht abzukriegen, und läſt ſich eher todtſchlagen: ſie ſäufft ſich voll Blut, und macht blutige Beulen, groſſe Schmertzen, und iſt ſonderlich auf den groſſen Heiden in Ungarn den Viehheerden und Viehhütern ganz unerträglich.*

Haec quidem de Graeco, κυνόμυια. At recte ne Hebraicum ערב ita Alexandrini interpretes reddiderunt? Non illi quidem falli aut errare neſcii, magna tamen eorum in rebus Aegyptiis auctoritas, utpote Alexandrinorum, et ſatis concinit nominis Hebraici etymologia, ab عرب *intumuit vulnus*: tabani ipſi ſuctu ſanguinis ita intumeſcunt, ut ſaepe ſanguinis hauſti partem per poſteriora emittant, ipſumque eorum vulnus, ut

vix-

vixdum ex Schaefero mônui, tumet. Verum haec etymologica non
in certis habeo, nec de Hebraici vocabuli significatione quidquam adferre
praeter antiquissimi et Aegyptii interpretis auctoritatem existimari velim:
reliquarum enim linguarum Orientalium usu, cui maxima in probando
vis inest, vocabulum ערב, quatenus insecti nomen est, destituitur.

Tabani iconem dedit Schaeferus num. CXXII. In Oriente illum
invenit, ac descripsit, sed nimis breviter, de loco Mosis non cogitans,
nec mores animalculi notans, *Forskål* in *descriptione animalium* p. 85. n.
24. Arabibus *Tajaq* vocari addens, quod, nisi fallor, طيباق scri-
bendum, in lexicis omittitur, (per ت enim scriptum, تَيَاق *Tejak*
sonaturum erat.) Versio Coptica, ex Graeco facta, magni sane usus es-
set ad intelligendum Graeco-Aegyptium κυνόμυια, modo ipsa satis intel-
ligeretur: vertit, (latinis literis utcunque scribo, Copticis destitutus) *Af-*
Buhor: id Wilkinsius vertit, *pilex caninus*, Kircherus, *musca*, la Croze
in lexico a Woidio edito, p. 110. *Af*, apes quoque et vespas denota-
re tradit. Nihil hic certi, philologi de natura minus adcurate referunt
rusticis, quos de *Af-Buhor* in Aegypto interrogare, quam Wilkinsium,
ipsumque adeo la Crozium malim, Kirchero enim plus quam utrique in
quaestione ad naturae historiam pertinente fidei habeo, sed ille hic prope
silet, nimis universali usus vocabulo.

Nec tamen dissimulandum aut subticendum, quid adhuc in tabano
ipso dubii supersit. Primo, cum ille et hominibus infestus sit, et jumen-
tis, (bobus equisque) Moses ubique de solis hominibus loquitur, vocem
de gregibus jumentisque Aegyptiorum non mittit: deinde ערוב maxime
aedibus minatur, v. 17. ac magna copia fuisse hoc insectum dicitur in *ae-*
dibus Pharaonis, aedibusque servorum ejus v. 20, tabanus vero musca mi-
nime domestica: denique quod additur, *et in omni Aegypto perdebatur*
terra propter Arob (תשחת הארץ מפני הערוב) vix intelligo si de taba-
no sermo. Quae quidem ante aliquot annos scribens, adjiciebam: haec
expedienda aliis relinquo.

Suppetias interea tulit, qui horum nihil noverat, Oedmann, in fa-
sciculo secundo libri, *Vermischte Sammlungen von der Naturkunde* cap.
VII. perquam verisimiliter conjiciens, *blattam* esse *Orientalem Linnei*,
Torraka. Quod ut planum faciam lectoribus, monuerim, hujus exitia-
lis insecti nomen Russicum esse *Torraka*, quo ille, Svecus, utitur, nos
qui-

quidem in Germania vocabulo Belgico, ex Indiarum altera, Orientali aut Occidentali, allato *Kakerlak* dicere solemus, quo et nomine Germanus utor. Terribilis sane et exitialis blattae species, cujus delineationem satis fidam habes in *Philippi Ludovici Mülleri systemate naturae Linneano*, T. V. tab. VIII. ipsum animalculum, acu transfixum, Petropoli deportatum, monstravit mihi Becmannus. Pestilentissimum sane insectum, recens nobis in Europa ex Oriente advectitium. Ex China Petropolim deportatum, unde dicitur jam commerciis in Sveciae et Daniae aliquas partes penetrasse, in Germania, gratias agimus deo, nondum habemus: quod enim nuper audivi in Silesia jam notum esse, veri quidem non dissimile commercia gentis cum Russis cogitanti, nec tamen certum, qui enim referebat, non perfectus erat naturae cognitor, ac forte de alia specie blattae loquebatur. In Helvetiam tamen, nescio quo casu aut qua via, penetrasse, ab his refertur, quibus fidem denegare verecundiae est.

Haec quidem blatta, seu, ut nostro jam nomine utar, Kakerlacus, nonnisi vesperi et per noctem conspicitur, lucem diurnam non ferens, ingenti plerumque multitudine, ut vel solum camerae nigrescere videas, optime ergo nomen ab עֶרֶב *vespera*, et, *nocte*, nancisci potuerit. *Domesticum* maxime est animal, audivi adeo, domos nonnullas desertas esse ab habitatoribus, metu insecti, quod ob incredibilem foecundiam exstirpari posse desperabant. Vastat et perforat omnia, ipsas etiam aedes ac parietes non potest non ut reliqua omnia vastare: ergo et perdi seu vastari ab eo Aegyptus dici possit. Hominibus molestum, quos mordere Oedmannus auctor est: sed et plus addiderim noxae inferre, in aures enim irrepit, convulsionum epilepticarum caussa. Narravit mihi collega, Joannes Becmann, Petropoli se vidisse aliquem epilepsia concidentem, cujus caussam circumstantes dicebant Kakerlakum esse, in aurem intrantem; se jussisse oleum auri infundi, quod necat animalculum, eoque facto convulsiones desiisse. Mira velocitate, ideoque captu et exstirpatu difficillimum animalculum.

Unum verosimillimae, ac prope omnes veritatis numeros habenti conjecturae opponi posse video, quod Mosis jam tempore notum Aegyptiis fuit insectum ערב, Hebraeum adeo et Aegyptium nomen habens, quo illud minitans Moses uti poterat. Jam vix opinabile, blattam Orientalem, sero nobis atque adeo hoc ipso demum ut volunt seculo ex China in Europam advectam, Mosis jam tempore in Aegypto et Palaestina fuisse, quarum regionum indigena non potuisset non commerciis per totam Euro-

ropam vulgari. Forte non illud ipſum ſed aliud blattae genus eſt: habemus Kakerlakum Americanum, perquam ſed minus tamen Orientali noxium, quem *Oldendorp* in *hiſtoria miſſionis fratrum evangelicorum* egregie deſcripſit: habemus et *Aegyptium*, ſed cujus oeconomiam, noxas, damna, nondum ſatis deſcripta. De hoc plura ſcire geſtio.

1963. עֶרֶב, *veſpera* עַרְבַּיִם *duae veſperae.*

עֶרֶב et *veſpera*, et *occidens*, ad Arabicum غرب, *abiit*, *occidit ſol*, referendum, ex ſupra dictis recordemur. Duale ejus, עַרְבַּיִם *duplex veſpera*, quid ſignificet, anceps eſt quaeſtio, atque de qua non nunc ſolum Samaritani et Karaitae a Rabbanitis diſſentiunt, ſed et jam Judaeis adhuc in Palaeſtina degentibus Phariſaei, traditionem ſequuti, diſſenſiſſe ab aliis hanc non admittentibus videntur, et vero in primaria cerimonia, *duas* enim *inter veſperas*, בין הערבים, et agnus paſchalis mactandus, et offerendum veſpertinum ſacrificium. Exod. XII, 6. XXIX, 39. Poſſit nempe duplex veſpera eſſe,

1) *prima*, cum ſol declinare incipit, aeſtusque vehementior remittere, tertia aut quarta poſt meridiem hora, *ſecunda*, cum vere occidit. Sic quidem Phariſaei acceperunt, accipiuntque Rabbanitae, hancque explicationem Joſephi tempore, ut tunc plerumque placita Phariſaeorum, Judaei publice ſequuti ſunt, licet ſummi ſacerdotes plerumque Sadducaei ſecta eſſent: ſic enim ille, l. VI. de bello Jud. 9. §. 3. ἐνστάσης ἑορτῆς, (πάσχα καλεῖται,) καθ' ἣν θύουσι μὲν ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης. Ergo horam inter IX et XI, id eſt, noſtram inter pomeridianam III et V, paſcha mactabatur. Veri non diſſimilis ſententia, malles tamen forte primam veſperam a refrigerio diei, רוח היום, incipere, i. e. *ſeſquihorâ ante occaſum ſolis*, qua in terris auſtralibus ventus temperare aeſtum diei ſolet. Arabes duplicem veſperam habent, مَغْرِبَانٌ cum ſol occidit, et diminutivum inde ductum, *veſperulam*, مُغَيْرِبَانٌ, *primum et incipientem ſolis occaſum*, quam tamen a qua hora computent, dicere non habeo, ex ſolo Geuhario lexicisque vocabulum noſcens, uſus exemplis deſtitutus.

2) *prima veſpera*, cum ſol occidit, *ſecunda* cum crepuſculo deſinente perfectae ingruunt nocturnaeque tenebrae. Sic quidem Karaei, qui-

quibuscum et consentire Samaritanos docet Relandus in dissertat. de Samaritanis §. 22.

Mihi, leges a Mose latas si spectes, multo verisimilior ac prope certa videtur secunda, seu Karaeorum interpretatio, has quidem ob caussas:

1) matutinum sacrificium si post ortum solis oblatum est, vespertinum non ante occasum solis, sed post illum, duodecima post matutinum hora offerendum fuisse videtur. Exod. XXIX, 39.

2) Agnum paschalem, duas inter vesperas mactandum, ipse Moses mactari jubet, בערב בבוא השמש *vesperi cum occidit sol*, Deut. XVI, 6.

3) Gravius accedit his argumentis. Agnum unius anni assare non plus quam trium horarum spatium requirit: media nocte, cum internecione perirent primogeniti Aegyptiorum, vixdum desierant Israelitae agno paschali vesci, atque a coena surgebant, ergo horam inter (nostro more loquar,) sextam et nonam vel octavam agnus mactatus, statim enim a mactatione assare solent Orientales. Ante solis occasum mactatus si esset, comedi vix potuisset, mactata enim aut calentia igni admovenda, aut si id non fiat, per aliquot dies servanda; post paucas horas igni si admoveas, duriora sunt, nec dentibus confici possunt. Nos, Germani, illa aliquot dies servamus, ut mollescant, Orientales statim calentia igni admovent, sed cavendum, ne decalescant.

Alia tamen interpretatio legis Mosaicae jam obtinuisse, inter decem certe tribus, videtur, Eliae tempore, si לעלות המנחה 1 Reg. XVIII, 29. est, ut fere volunt, *tempus sacrificii vespertini:* quae enim sequuntur aliquot horas ante occasum solis poscunt. Lege ipsam historiam, et arbitrare. Nec tamen haec certa explicandae phrasi Mosis auctoritas, ut enim taceam, Mosen inter et Eliam sex aut septem secula valde turbulenta et ignara intercessisse, multa decem tribus in religionibus mutaverant, jussu Jeroboami, ut a Judaeis remotiores essent.

Haec verisimiliter, nec ut certa, disputavi. Quid momenti in gravissima quaestione de officiis circa cerimonias christianas, quas sacramenta dicimus, faciant, in dogmaticis institutionibus (Edit. 2. germ.) §. 178. pag. 609. 610. exposui, quas paginas relegenti non superfluum videbitur, quod meae, Samaritanorumque et Karaeorum sententiae fundamenta hic paulo exposui copiosius.

1964. מַעֲרָב *Occidens.*

Mirari subit in vocabulo non dubiae significationis, LXX illud 2 Par. XXXII, 30. Λίβα, XXXIII, 14. Λίβα κατὰ Νότον vertere, quod quidem

dem quomodo vel indocto excidere interpreti potuerit, aliterne legerit, quaerere possis. Mihi quidem sic videtur: مَغْرِب *Occidens* Arabibus est Africa tota occidentalis; hoc forte nomen jam apud Judaeos aliosque habuit, quo tempore vivebat interpres, hinc illi מערב, ut Latina voce dicam, *Africus.* Similis insanus error et in Theodotionis versione Danielis legitur c. VIII, 5. ἀπὸ Λίβος, absurdissima sententia, Alexandrum enim, Persiae victorem ab Austro venisse, quis Danieli obtrudat? Vix sperem, talia scripsisse ipsum Theodotionem, nec tamen varietatem lectionis invenio.

1965. ערב nomen proprium Arabiae, ערבי *Arabs.*

Et hoc, عرب, litera non punctata, Arabibus scribi, supra jam monuimus, hocque ipsi se Arabes nomine vocant, quod unde ortum, insanientibus anquirendum relinquo etymologis, qui in nominibus propriis gentium, casu aliquo ortis, ludunt, delirant. Significatio nominis proprii ipsa, usu quoque linguae Arabicae certa.

De solo ambigi loco posse video Jerem. XXV, 24. ubi duplex ערב distinguitur: ואת כל מלכי עֲרָב ואת כל מלכי הָעֶרֶב. Mihi verimisile, עֲרָב et עֶרֶב ita diversa esse significatione, ut عَرَب *Arabes in urbibus habitantes*, et أَعْرَاب *Arabes campestres*, maxime, cum posteriori nomini addatur, השכנים במדבר, sensumque: *omnes reges Arabum in urbibus habitantium, et omnes reges Arabum Beduinorum habitantium in deserto.* Possis vero et pro diversa literae ע adpellatione vocabula distinguere: sic reges عرب cum Ain puro erunt, *reges Arabum*, reges غرب cum G gutturali, sive *reges exterorum deserta Arabiae pererrantium*, vide num. 1966. sive, *reges Occidentis:* illud voluerunt LXX. Aquila et Symmachus, συμμίκτους vertentes, satis probabili sententia, hoc Hieronymus, *cunctis regibus Arabiae, et cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deserto*, nec tamen in commentario explicans, quem Occidentem intelligat. De Africa Occidentali, ejusque desertis (Sahara nomine Arabico) si cogitavit, parum mihi probatur: vicit et illos Nabochodonosar, verum si id praedicit propheta, potius tertium הערב v. 20. cum Aegypti mentione conjunctum, Occidentem significaverit, quamquam ibi stipendiarios Aegyptiorum milites intelligere malim.

כחל

- נַחַל עֲרָבִים Jef. XV, 7. malim, ut jam tentavit Hieronymus, *Orebim*, עֹרְבִים adpellare, rivumque corvorum interpretari, i. e. rivum Cherith, ad quem a corvis integrum per annum Elias nutritus eſt, 1 Reg. XVII, 3-7. qua de hiſtoria, incredibili nonnullis viſa, in notis Germanicis dixi. Opponitur *corvorum rivus*, in alto deſerto tutus, et ſumma etiam ſiccitate perennis, *aquis Nimrim*, quibus v. 6. propheta vaſtationem et ſiccitatem minatus erat: his vaſtatis cum omnibus ſuis opibus ad rivum corvorum confugiunt. Diſplicet ſane, *rivus Arabum*, nimiae latitudinis nomen, multoque magis, quem alii volunt, *rivus ſalicum*, i. e. *Euphrates*, *ad quem ſalices*, Pſ. CXXXVII, 2. Euphratemne *rivum* dixeris, aut a ſalicibus nomen ei dederis, arbore tam communi, ac multorum rivorum fluviorumque ripas veſtiente?

עַרְבִי Jerem. III, 2. *Arabem latronem* fere omnes habent, praeeunte Hieronymo, qui, cum in Vulgata *latronem* vertiſſet, in commentario, *pro latrone*, inquit, *in Hebraeo ſcriptum eſt Arabs*, *quod poteſt et Arabas ſignificare*, *quae gens latrociniis dedita usque hodie incurſat terminos Palaeſtinae*. Crimen gentis notum, de quo ſibi ad marginem bibliorum pater meus ex veteribus excerpſerat, Diodorum Siculum l. II. p. 131. (159. edit. Weſſelingii, ſeu c. 48.) Plinium, hiſt. nat. VI, 28. Julianum p. 21. orationis de laudibus Conſtantii, et plura daturum, Clodium §. 4. ſcopeliſmi criminis Arabiae. — — Sequutus ſum olim hanc ſententiam: ſed jam, cum de meretrice ſermo, quosvis praetereuntes invitante et admittente, *hoſpitalis* potius *Arabs* intelligi videtur, omnes in via praetereuntes et excipiens et ultro invitans, qualis magnae partis Arabum progenitor Abrahamus, Geneſ. XVIII, 1-8. Notiſſima gentis hoſpitalitas. Primus mihi ad hanc ſententiam index, ſed alia ad illam via deveniens, Symmachus, cujus in Hexaplis Syriacis haec citantur, *exſpectas illos* ܡܣܟܝܐ ; ܡܫܪܝܐ ܒܝܬ ܐܝܟ *ut diverſorium nocturnum:* עַרְבִי videtur ad עֶרֶב *veſperam* retuliſſe.

1966. עֵרֶב vel עֶרֶב *exteri*. Exod. XII, 38. Jerem. XXV, 20. L, 37. Nehem. XIII, 3.

Exod. XII, 38. Nehem. XIII, 3. quin ſit, *exterus*, *non Israelita*, nullum dubium, נוכראין in Exodo Chaldaeus, *alienigena* in Nehemia Vulgata vertit: beneficio linguae harmonice expreſſit Syrus et Samaritanus, ܥܪܘܒܝܐ, ערוב. Statuunt fere, ab *admiſcendo* ita dictum, praeiveruntque

que ex veteribus, LXX. utrobique ἐπίμικτος habentes, Vulgata in Exodo,
vulgus promiscuum, Arabs uterque خلط, nec inficias ierim: possit ta-
men eadem verisimilitudine et referri ad Arabum, غرب *abfuit*, *longe*
distitit, in 2, *peregrinatus fuit*, *peregrinum quid fecit*, 4ta, *peregrinus*
evasit, *rem peregrinam attulit*, vel *fecit*, sicque et in conjugatione 5,
8, 10. unde nomina, غُرُب, غَرِيب, plur. غُرَبَا *peregrinus*, *qui*
nulla nos propinquitate attingit, atque adeo a peregrino, *inusitatus*, *stu-*
pendus, (Abulfedae Aegyptus p. 7. 13.) غَرْبَة *longe distans locus*, غُرْبَة
peregrinatio مُغَرَّب, *procul distans*, *ex peregrina veniens regione*: sic-
que et Nehem. XIII, 3. Arabs ex Syro harmonice vertit, غُرَبَاء.

Eadem notione accipiendum ערב, *peregrini*, *qui sunt in ea*, Jerem.
L, 37. ubi et LXX σύμμικτον, et Syrus ܬܘܬܒܐ, *accolas*, habent, ac
magis definite Chaldaeus, *milites auxiliares*, quod quidem verisimile,
cum illo tempore perquam usitati essent milites ex aliis gentibus, maxi-
me ex Graecis conducti, et militibus conductis aptum praecipue sit, quod
sequitur, *facti sunt mulieres*.

Jerem. XXV, 20. כל הערב neutiquam esse potest, Arabia, versu 24
sub duplici nomine commemorata, sed *exteri in Aegypto habitantes*, *ac*
stipendia facientes, construendum cum praecedente versu, ואת כל עמו
ואת כל הערב, *omnem populum ejus*, *et omnes exteros*. Hieronymus
in commentario ad hunc locum: *cunctusque*, *qui non est Aegyptius*, *sed*
in ejus regionibus commoratur, *quos LXX συμμίκτους*, *i. e. mixticios*,
vulgus, *non Aegyptiae originis*, *sed peregrinum*, *et adventitium*: in eo
solo errans, quod contemtim *vulgus* vocat. Melius Arabs Graecum συμ-
μίκτους, harmonice adeo Hebraico, vertit, الغبايل الغريبة *fa-*
milias exteras, distinctiusque adhuc, et historiae illius temporis congrue,
Chaldaeus, סומכותא *auxiliares*. Tales illo tempore multos Aegyptus
habebat, cum ex aliis gentibus Africanis, Jerem. XLVI, 9. tum ex Grae-
cis, de quibus vide Herodotum l. II. c. 152. 154.

1967. עֲרֻבָּה 1 Sam. XVII, 18.

Ἅπαξ λεγόμενον, et vero, ut mihi videtur, inferioris Hebraismi,
totam enim pericopam 1 Sam. XVII, 12-31. ob rationes a Kennicotto
red-

redditas in *dissertatione generali* bibliis addita p. 9. spuriam censeo. Plura habet insolentiora Hebraica. Mihi quidem, *sponsio*, *tessera*, *chirographum*, *pignus*, displicent, ut parum rei aut gestae, aut a seriore interpolatore confictae, apta: ambigo inter

1) *bonum statum et valetudinem*, a غرب *alacer fuit*, et

2) *peregrinationem illorum*, collato غرب et غربة *peregrinatio*, i. e. quomodo a domo patria sejuncti valeant,

neutrum tamen satisfacit, cuperemque habere vel in interpolamento meliora. Bona sententia Vulgata, *et quibuscum ordinati sunt disce*. Legisse Hieronymus ערכתם videtur, quod nullo hucusque in codice inventum, sed iterum eos inspici consulique velim, discrimen enim literarum Caph et Beth oculos facile tenuitate fugit.

1968. ערג Ps. XLII, 2. Joel I, 20. *adscendit*.

Explicant fere lexicographi rarius verbum, *clamare*, quod est a Kimchii jam et Reuchlini lexico tralatitium, alii, *sitire*, *desiderare*. Apta omnino duobus locis, sed non nisi conjectura, nullo linguarum Orientalium usu confirmata, cui novas conjecturas Coccejus inaedificavit, apud ipsum legendas. Veteres quidem ita dissident, ut et ipsi conjecisse, non scivisse, videri possint, *clamorem* in psalmo habet Syrus, *desiderium*, LXX. Vulg. et Chaldaeus; in sua versione, quam ecclesia non recepit, Hieronymus, *sicut areola praeparata ad irrigationes aquarum*, *sic anima mea praeparata est ad te*, *deus*, artificiose, ut sit denominativum ab ערוגה, sequutus Aquilae illud, ὡς αὐλὼν πεπρασίαστα͵, Symmachus, σπεύδει, festinat: at in Joele LXX ἀνέβλεψαν πρός σε, Vulgata, duo conjungens, *quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te*.

Non habent verbum Aramaei, at Arabibus عرج est, *adscendere*, sicque et Aethiopibus. Psalmo 42 id egregie aptum: *ut cervus ad fontes aquae adscendit*, *ita desiderium meum ad te adscendit*, *Deus*: nempe, planities plerumque calido illo in tractu aquae inopia laborant, in montibus fontes ac rivi, ad quos aquatum adscendunt ferae. Viderat jam, et ad psalmum 42 copiosius dixerat Ludovicus de Dieu, ad quem ablego, miror que, in lexica non receptum esse. In Joelis vaticinio, ubi *adscendunt jumenta adaquatum ad deum*, figurate sine dubio accipiendum, nec obnitor, quin de clamore et mugitu, sed phrasis, ex psalmo 42, qui eam vulgaverat, sumta esse possit.

1969. עֲרוּגָה.

Areolas fere vertunt. Mihi res dubia. Suntne potius *fulcimenta lignea*, (*juga* Plinius vocat) quibus sustentata vitis, inque vitium morem crescens opobalsami arbor ascendit? عرج peculiariter est, *per scalam ascendere*, indeque معرج *scala*. Locis ubi ערוגה legitur haec significatio apta.

1970. ערוד.

Duo nomina habent Hebraei, quae *onager* verti solent, ערוד et פרא, de quibus nemo melius distinctiusque egit, Oedmanno, in, *vermischten Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heiligen Schrift*, fasc. II. c. I. Adnotat ille, tria esse animalium genera, quae ad asinum referantur, 1) *asinum nostrum communem*, qui Hebraeis sine dubio חמור 2) *equum hemionum*, nec tamen ex equo et asino ortum, non mulum, sed animal sui generis, asinum inter et equum medium, Mongolis *Dsiggerai* dictum. Genus suum propagat, unde mulo accenseri nequit, est et mulo minor, ac summae celeritatis. 3) *equum asinum*, *onagrum*, Tataris *Kulan*. Ergo inter secundum tertiumque genus nomina ערוד et פרא dispescenda, quod ipse quidem ita facit, ut פרא illi sit *hemionus*, ערוד *onager*, illum germanice vocat, *wilder Maulesel*, hunc, *Waldesel*. Haec apud ipsum copiosius explicata, multamque lucem locis biblicis adfusam, invenies.

1971. ערה.

Verbum, ejusque derivata, *nuditatis* et *nudandi* notione apud Arabes sub radice عري invenies: at عرو praeter alias significationes, quarum cognationem nondum perspicio, et illam *virendi*, habuisse videtur, unde عُرْوَةٌ *arbor perennis*, *semper virens*. Hinc verisimillime explicant, מִתְעָרֶה, *virentem*. Ps. XXXVII, 35. *Elevatam*, verterunt LXX, Vulg. Syrus, *fortissimam* Hieronymus, sicque et Chaldaeus חסין. Fortitudo quidem ac robur a *conglutinatione*, quam Arabes sub غرو habent, dici potuerit, Syrisque ܚܰܣܺܝܢܳܐ *durus*: tribuit illis etiam Ferrarius ܐܬܚܣܢ, *elevatus*, *elatus est*, sed nullo addito exemplo.

1972. עָרָה *semper virens* Mich. V, 13.

עָרֶיךָ Mich. V, 13. nolim vertere, *urbes tuas*, odiosa tautologia, idem enim jam antea dictum versu 10, et minus cohaerenter cum mem-

bro praecedente. Ergo malim עֵרָה a singulari concipere, atque idem facere Arabico عُرْوَة *arbor semper virens*.

1973. עָרוֹת Jes. XIX, 7.

Ad eandem virendi notionem et hoc vocabulum retulerim, *virentia* ad ripam et exitum Nili intelligens. LXX Aegypti optimi cognitores, Aegyptio vocabulo, τὸ Ἄχι τὸ χλωρὸν verterunt, quod quid sit, num. 59. dictum.

1974. ערטל *nudavit.*

Habent Chaldaei Syrique, עַרְטִיל, עַרְטִילַי, ܥܪܛܠܝ, *nudus*, itemque Samaritani, ערטלא. In codice Hebraico nostro non occurrit, at pro הֵעָרֵל, Hab. II, 16. Chaldaeus הערטל legisse videtur, idque eodem verbo reddidit, התערטל, *nudator*, aptissime filo orationis. In codicibus nondum repertum. Interpretantur haud pauci Judaeorum etiam הערל, *videatur*, *et denudetur praeputium tuum*, quod pene eodem redit: ego tamen mallem, *praeputium admitte*, *i. e. a praeputiatis constuprator* et muliebria patere.

1975. ערך *fricare*, *conterere.*

Terrores dei, יערכוני Job. VI, 4. referunt fere ad significationem, *aciem instruendi*, optima sententia, sed aspera constructione, *aciem instruunt me*, pro, *contra me*. Hanc expeditiorem habebis, si memineris, عرك esse, *fricare*, indeque et, *manus conserere*, *pugnare*, quo Arabes معرك, *locum pugnae*, referre solent: *terrores tui confricant et obterunt me*. — De Ps. V, 4. vide bibliothecam Or. priorem P. XI. p. 196. 197. הערל Hab. II, 16. quaere sub n. 1974.

1976. ערער Ps. CII, 18. Jerem. XVII, 6.

Varie interpretantur, plerumque tamen consentientes, aut herbam aut arborem esse, sed quae sit, valde dissentientes. Arbor quidem vix esse possit, cum ei in psalmo vox tribuatur et preces, quod mirum est non attendisse recentiores interpretes. Animal aliquod vocale, ac lugubriter vocale intelligi ibi prope necesse est, quis enim, ut unam ex multis ponam de arbore interpretationem, hoc ferat, *respexit ad preces juniperi*, *nec sprevit?* Quod quidem eo pertinuit, ut aliter ibi vertere jam veteres

teres coacti sint, LXX ταπεινοὺς, Vulg. *humiles*, Syr. ܡܣܟܢܐ *pau-*
peres, Chald. מצטרין *laceratos*. At in Jeremia Syrus generatim ܥܩܪܐ
radicem, *plantam*, habet, Symmachus, ξύλον ἄκαρπον, LXX ἀγριομυ-
ρίκην, Vulg. *myricam* (quam cum erica confundens Lutherus vertit, *wie*
die Heide in der Wüste) Chaldaeus, עכוביתא, de cujus nominis signifi-
catione iterum disputatur, sed plures myricam esse volunt. Hos omnes
non ex usu linguae certa posuisse, sed conjecisse, suspiceris.

Non conjiciens, sed linguae Arabicae usum sequutus, *juniperum* in-
terpretatus est Celsius, عَرْعَر enim Arabibus *juniperus*. Vide ipsum in
hierobotanici Parte II p. 195–198. Acciperem, totumque, ut alia mul-
ta magni viri, meum facerem, nisi duo obstarent: primo incondita phra-
sis, *preces juniperi*, deinde, puod non adsequor, quomodo juniperus,
laeta satis arbor, a Jeremia ut imago maledictionis divinae poni possit.

Ergo mihi, ערער in regno potius animali ac vocali quaerenti, esse
videtur, aliter litera ע adpellata, غُرْغُر, *gallina silvestris*, *meleagris*, *das*
Perlhun, per deserta vagari solita, et semper querula, tristem sonum
ac monotonicum edens. Disputationem copiosiorem de meleagri na-
turae peritioribus, Oedmannis, relinquo, aliqua tamen in notis ad Ps.
CII, 18. dixi. Videntur tamen et vocales mutandae, ac עַרְעֵר vel עֲרָעָר
scribendum.

ערער Jes. XVII, quaere sub ער num. 1861.

1977. ערף Hos. X, 2.

Verbum plura significare disjunctissima potest, jam denominativum
ab עֹרֶף, jam Arabicum غرف *hausit*, de quo vide sub ערפל dicenda, un-
de et transitive Hebraeis *haurire fecit*, *effudit*, forte et Hos. X, 2. Ara-
bicum عَرَف *novit*. Vertunt quidem ibi יערף מזבחתם satis unanimiter
veteres, LXX κατασκάψει, Vulg. *depopulabitur*, Syrus ܢܣܚܘܦ
destruet: sed haec significatio usu linguarum sororiarum non firmatur.
Chaldaeus quod habet, *circumaget* vel *retro torquebit cervicem altarium*
ipsorum, recentioresque, *decervicabit altaria ipsorum*, non bene compo-
sita phrasis. Ergo tentemus ex عرف: *jam rei agentur: ipse novit alta-*
ria ipsorum, et vastabit statuas ipsorum.

1978. עֲרָפֶל.

Proprie caliginem ſpiſſarum nubium indicat, quo ſenſu ſine dubio ponitur, Exod. XX, 18. Deuteron. IV, 11. V, 19. 1 Reg. VIII, 12. Pſ. XVIII, 10. Sola ex linguis cognatis habet Syriaca, ut Hebr. XII, 8. ܥܪܦܠܐ pro, σκότος, et Sap. II, 4. pro ὁμίχλη (tenebroſa nube) praetereaque Caſtellus ܐܬܥܪܦܠ, ſed non addito exemplo, vertit, *nubilatus eſt, caligavit.*

Ortum ab ערף, Arabicoque غرف *hauſit aquam*, unde nubes Jeſ. V, 30. עריף dicitur, ſolent enim Arabes nubes dicere amphoras et hauſtra, quippe quae pluviam effundunt. Unde ל habeat, non aeque certum: ſitne litera addititia formando quadrilitero, an ex ר repetito orta pro ערפר, an potius compoſitum nomen ex ערף et רפל. رفل Arabibus ponitur de ſyrmate, promiſſisque veſtibus humi tractis, unde et رِفَلّ *promiſſa et longa veſtis.* Hoc transferri ad nubes potuit, in terra paene volutatas, ut ערפל ſit, *denſa nubes in terra volutata.* Quamquam et ex Golio diſco, رَفَل eſſe *locum putei ubi confluit aqua*, et تَرْفيل *cum puteus confluente impletur aqua.* Sic verteres, *amphorae plenae aqua.*

1979. עריף *nubes* Jeſ. V, 30.

Jam explicui obiter in praecedente ערפל, *nubes*, *coelum*, ut Arabicum غُرْفَة. Caeterum עריפיה, cujus ſuffixum femininum quo referri poſſit non adparet, ſic divido, עֲרִיף יָהּ *nubes Jehovae.*

1980. ערץ.

Et hoc verbum triplex habent Arabes, عرص *continuo fulguravit*, عرض *occurrit*, *adverſus ſtetit*, et غرض varia ſignificatione. Mihi quidem ſecundi ex his, ac longe frequentiſſimi Arabibus, عرض, ſignificationes haud paucis Hebraici codicis locis aptiſſimae, lucemque illis adfundere videntur. Eſt nempe, ut dixi, *occurrit*, *adverſus ſtetit*, *praeſentem ſe ſtitit*, *manifeſte viſus eſt*: ponitur inter alia de luſtratione exercitus, aut cum praeſens ſiſtitur res emenda, inprimis autem frequenter in Corano de extremo judicio, quo omnes praeſentes deo judici ſiſtemur,

والبه

وَالبَيْهِ مُعْتَرِضُونَ unde et *dies extremi judicii est* يَوْمُ ٱلْعَرْضِ. Est et hostiliter, *resistere*. Syris ܥܪܙ eandem *occurrendi* notionem habet, aliasque ex ea natas.

Jam haec expende loca, et vide, placeatne haec interpretatio, an consveta, plerumque ne satis quidem usu linguae alius Orientalis firmata. Job. XXXI, 34. (non tegere se peccata sua antea dixerat pergitque,) כי אערץ המון רבה, *sistar enim innumerae multitudini*, judicandus, *obruetque me*, si clandestina peccata commisissem, *contemtus familiarum*. Ps. X, 18. *nec audebit porro* לערץ *occurrere* tibi judici *mortalis terrigena*, judica et puni hostes, easque ab illis poenas exige, ut non audeant porro judicio tuo rem experiri. Deus, a cujus numine bellorum eventus pendent, judex. Jes. II, 19. *cum surget Deus* לערץ הארץ *ut terrae se praesentem exhibeat*, judicem nempe, aut, si malis, *ut terra coram ipso sistatur*: utrum enim terra, an Deus praesens sisti, (*praesentari*, ut Corani interpretes loqui solent) dicatur, incertum, sensu eodem manente. Jes. XLVII, 12. *forte aliquid proficies*, אולי תערצי *forte occurres* malo, illudque avertes.

Job. XIII, 25. de occursu hostili poni videtur *in foliumne propulsum* תערץ *incurres?* quo me parallelismus sequentis membri deducit, *et persequeris stipulam aridam?* Varie hic veteres: LXX εὐλαβηθήσῃ, *timesne folium propulsum*, quam significationem verbum quidem habet, sed sequentis membri parallelismo parum aptam, Syrus, ܙܥܦ ܐܢܬ *conculcas*, quod quomodo ערץ significare possit, non video, Symmachus, καταδυναστεύεις, Vulg. *potentiam tuam ostendis*, Chald. *frangis*.

Ps. LXXXIX, 8. Syrus reddidit, ܩܐܡ, *deus stat in coetu sanctorum*: non probo, unum moneo, eum spectasse videri significationem verbi, ex qua est, *praesens fuit*.

Quam ei plerumque dant *fortitudinis* et *roboris* notionem, est mihi paulo suspectior; nullum ejus in lingua Arabica Syriacaque vestigium inveni, praeter ذو عارضة *pollens robore et fortitudine*, sed quod possit esse, *pollens occursu*, vel, *praeditus sagittis*, vel etiam a *lustratione militis*, ductum. Sunt adhuc multa perpurganda, in quae forte alius inquiret.

Constructum cum מִפְּנֵי verbum est sine dubio, *timere*, Deut. VII, 21. XX, 3. Jos. I, 9. Idne cognatum cum أَعْرَضَ عَنْ *declinavit*, *recessit*,

cessit, ac proprie, *declinare*, *fugere ab hoste?* Certi nihil habeo, multis enim locis, ubi de timore accipi solet, sine מפני ponitur.

1981. ערוץ.

Ex eadem *adversi*, et *resistendi* notione, *adversarius*, *hostis*, esse mihi visum est, Jes. XXV, 3. 4. XXIX, 20. Job. XXVII, 13. rectene? alii judicent, multa enim mihi in hac radice obscura esse fassus sum. In Jobi quidem loco, ubi cum רָשָׁע, et Jes. XXVII, 13. ubi cum לץ componitur, mallem jam prope *declinantem* a recto, a mandato dei, intelligere, ut verbum عرض posuit Muhammedes Sur. XX, 100. *dedimus tibi a nobis commonefactionem:* من اعرض عنه *qui recesserit ab illa, eum portare faciemus die resurrectionis onus.*

Ps. XXXVII, 35. esse videtur, *derepente ante nos stans* viridis et laeta arbor, quae sequente versu disparet, frustra quaeritur nec invenitur.

1982. ערוץ כחלים Job. XXX, 6.

Difficilius ἅπαξ λεγόμενον, in quo nec dissimulo me olim adhaesisse. Malis, ex societate hominum expulsis, latronibus, ut ex filo sequentis orationis colligo, confungiendum dicitur, in ערוץ כחלים (*vallium?* an, *torrentium?*) additurque, *in speluncis terrae et petrarum*, ut latrones troglodytas describi plane videas, quales in vicinia domicilii Jobi Auranitis habere solebat, de qua, lustrisque subterraneis a natura prope ipsa latronibus paratis, vide sub חורן num. 694. dicta. Hoc quidem cogitatione complecti oportet de ערוץ anquisiturum. Caeterum et de scriptione vocabuli notandum, XXVI codices sine Vau ערץ habere.

Deserta vertit Vulgata, ex conjectura ut videtur, et perquam libere, *in desertis habitabant torrentium:* haec vero quae sunt? Torrentes enim ubi vel arenas rigant, solum fertile offerre incolis Asia meridionalis solet. — — *Vim*, vel *violentiam torrentium*, Syrus et Chaldaeus, (ܒܥܘܫܢܐ ܕܢܚ̈ܠܐ ܥܡܪܝܢ), et בתקוף פצידי כחליא) quod quidem ipsum commentario eget, nec adparet, cur ad validos torrentes mali confugiant.

Alii, כחלים *valles* interpretati, habent, Kimchius in lexico בקעי כחלים *fissuras vallium*, et Ralbag, *fissuras*, (vel speluncas) *quas obtegit vallis:* (haec unde? cum ערץ non sit findere?) ac melius, a terroris notione, Abenezra, מקום שיפחד אדם לרדת אליו *locus, ad quem descen-*

descendere timent, (praeceps) atque adeo sonantius Schultens, *tremendum vallium.*

Hoc quidem reliquis praeferrem, ac praecipitia vallium intelligerem, nisi praeplacere inciperet, quod alia me via eodem deducit, *adversa vallium*, id est, montes vallibus ad latus oppositi, quos et latera vallium dicere possis. Nempe, عُرْض et عِرَاض, *latus rei*, latera vallium montes, hinc et عَرْض atque عُرُوض montes, itemque عِرْض *densa et umbrosa* vallis. Conjunge jam utrumque membrum, *habitant in latere vallium, speluncisque petrarum*, habebisque *speluncas* quales p. 694. 695. descripsi *a natura in petram excavatas, difficili aditu, in latere forte petrarum praecipiti, vallem obumbrante, latronum latibulum.* Nempe aliquando in ipso montis latere, in praeceps descendentis, foramen speluncae, ad quod angusto calle aditus. Vide Josephum Ant. XIV, 15, 5.

1983. ערקי Genes. X, 17.

Nomen proprium populi Cananitici, circa *Arcam*, quae Tripoli ab Austro est. Copiosius de ea dictum in Spicilegio geogr. T. II. p. 22. seq. ubi tamen omissionem typographicam corrigi velim. Duae extremae lineae paginae 23. sic legendae: *Arcam inter et Tripolim, quae illi australis, sunt* 12 *milliaria* (*Arabica*, $2\frac{1}{2}$ *Germanica*).

1984. ערירי Genes. XV, 2. Levit. XX, 20. 21. Jer. XXII, 30.

Non nisi his quatuor locis occurrit, ac *sterilis* verti solet, quod primo loco satis aptum, non reliquis, nisi sumas, ut fere sumi solet, eum, sub cujus nomine liberi in tabulis genealogicis non scribuntur, sed alii tribuuntur patri, aut, cujus heredes non sunt filii, sterilem improlemque dici. Sic scholiastes ad Levit. XX. οὐ λογισθήσεται τὸ σπέρμα αὐτῶν εἰς τέκνα. Hoc quidem sequutus sum in *Abhandlung von den Eehegesetzen Mosis*, §. 76. praeeuntes potissimos nominans, *jure Mosaico* §. 265. et notis ad Jeremiam germanicis: sed jam valde dubitare incipio.

Nulla lingua Orientalis has hac significatione literas habet: sumta ergo, sive ex contextu, sive ex veteribus, de utrisque dispiciamus. Unicus locus Genes. XV, 2. de improli Abrahamo agit, licet inde non consequatur, ut ערירי sit improlis: at in reliquis de improli proprie sic dicto accipi omnino non potest. Jeremias Jechoniam scribi jubet ערירי, quem paulo

lo ante, v. 28. una cum semine projectum iri in terram peregrinam dixerat, ergo semen posterosque habebat. Levit. XX, 20. 21. Deusne incestui cum uxore fratris aut patrui, minetur, conjugium aut coitum perpetuo, quod promittit, miraculo, improle fore? (optarint sane moechi!) aut, ut volunt alii, Raschius, sobolem inde conceptam ante patrem morituram? aut jubeat, ut aliqui ex interpretibus carnifices voluerunt, sobolem ex eo conceptam, cum matre occidi? Ergo cum tria loca de sterilitate proprie sic dicta accipi nequeant, quartus et hanc significare et alia possit, perquam veri dissimilis sit haec reliquis linguis Orientalibus omnibus ignota significatio.

Ad veterum auctoritatem ut veniamus, ne illi quidem prorsus unanimes. Ἄτεκνον habent LXX. Symmachus, Theodotio, Vulgata, in Pentateucho, *sine liberis* Syrus et Chaldaeus ubique, עקימא *sterilem* Samaritanus in Genesi, (aliter enim in Levitico) sicque et Arabs uterque in Genesi et Levitico, عقيم: in Jeremia Aquila ex prima editione ἀναύξητον, in secunda *sterilem*, seu potius ἄτεκνον (in Hexaplis enim Syriacis citatur ܠܐ ܝܠܕܐ) Hieronymus in Vulgata et commentario, *sterilem*. Satis magnus in versionem parum verisimilem consensus: nec tamen sine omni dissensu.

Samaritanus in Levitico habet, ערטליא *nudi*, quam interpretationem et Sadducaeis tribuit Abenezra, eodem redire videtur, κενὸς, Symmachi in Jeremia, si nudum pro paupere, omnibus necessariis destituto, accipias. Nec tamen est verisimilis, tribus Pentateuchi locis parum apta, nec usu linguarum sororiarum firmata interpretatio, nisi quod Sur. XXII, 37. مُعْتَرّ *pauperem* interpretari scholiastae Corani solent. Verisimilius LXX et Theodotion in Jeremia, γράψον τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐκκήρυκτον ἄνθρωπον, modo ἐκκήρυκτος non, ut fecit Hieronymus, *abominabilem vertas*, sed, *proscriptum, ex terra relegatum.* Suidas: ἐκκήρυκτον, ἀπόβλητον, καὶ, ἐξεκήρυξαν, ἀντὶ τοῦ ἀνεσκόρπισαν: est autem ἀνασκορπίζειν inter alia, *finibus ejicere, exsilio mulctare.*

Jam meas de vocabulo rariore et obscuriusculo conjecturas, ex linguis Orientalibus, siloque orationis ductas, ausimne promere?

1) Optime placeret, *exsul, extorris ex patria,* qui significatus omnibus locis aptus. Sic Genes. 15. Abrahamus, *ego extorris sum, a meis sejunctus, et servus meus heres meus erit,* egregia sententia, domi enim qui

qui est apud suos, ejus, si vel sine liberis moriatur, heres non est servus, sed frater aut cognatus. Levit. 20. qui fratris aut patrui uxorem ducunt, *exsules erunt*, vel, *exsules morientur*, i. e. ad vitae usque exitum relegabuntur. Jerem. XXII, 30. de Jechonia, quem v. 28. cum posteris aliam in terram projiciendum dixerat, *scribite*, inquiet, *hunc virum exsulem*, *proscriptum*. Habent Arabum lexicographi, Geuhari et nisi fallor Camus, sed exemplis non firmatum, عَرِير *peregrinus*, forte a scabie et ulcere, quae huic radici subest, quod foede ulcerosi expellerentur: quo de عَرِير si plane constaret, hanc significationem non dubitans praeferrem. Favet et terminatio gentilitia in י desinentis nominis.

2) غَرَّ est, *decipere*, *errare*, indeque غَرِير *vana et inani spe deceptus*. Hinc exponere Genes. 15. possis, *ego ambulo*, *specie bonorum ac divitiarum deceptus*, *quas servo meo aliquando relinquam*, et Jerem. 22, *scribite hunc virum*, *vana spe deceptum*, *cui nihil in omni vita prospere succedit*. Sed non placet, nec Levitici locis aptum.

Utcunque sit, non judicare audeo, sed alios exspecto, qui post haec lecta judicent, aut profundius inquirant: mihi hactenus prius verisimilius, cuperemque in versione germanica ubique ita reddidisse. Sed dies diem docet.

1985. עֵשֶׂב *herba adulta.*

Propria significatio nominis, alteri דֶּשֶׁא opponi soliti, *herba adulta* videtur, *quo tempore semen concipit*. Hinc Genes. I, 11. post דשא sequitur, עשב מזריע זרע, et Proverb. XXVII, 25. באספו עשבות הרים *colliguntur herbae montium*. Arabes habent sub عُشْب, *herba*, *vel gramen viride*, quod *foeno* quidem (خشيش) opponunt, (vide fabulam Locmanni tertiam) ipsa tamen radix adolescendi, maturitatis, notionem habet, عَشَب enim sunt, *adulti*, *inter quos nullus parvus*: عشب *siccus aridusque evasit*, *vel fuit*, et عُشَيِّب *incurvus senex*, forte ex confusione cum عشم, in conj. 5. *aruit*, ortam, nisi genealogiam notionum sic digerere placeat, ut verbum, quod ex prima vi adultam maturitatem notabat, deinde et ad senium et ariditatem translatum sit.

1986. עשה.

Verbum, *faciendi* significatione usitatissimum Hebraeis, sed reliquis linguis Orientalibus alia omnia significans. Est enim Arabibus,

1) عَشِيّ *vespera*, indeque عَشَا *coenam sumsit*, *cibum pabulumve vespertinum praebuit*, generatimque, *vesperi aliquid fecit*. Hincne lux aliqua lectioni textus 1 Sam. XIV, 32. ויעש העם אל השלל *vesperi populus accedebat ad praedam*, *coenam ex ea paraturus*, *mactabatque oves et boves?*

2) غَشِي *texit*, غِشْوَة *tegumentum*. Hinc ductum Esavi nomen עֵשָׂו, quod nascens totus esset tanquam pelle pilosa coopertus, (כאדרת שער) Genes. XXV, 25. Ad عَثَا *pilosus fuit*, أَعْثَى *pilosus*, retulit Simonis in onomastico p. 129. non obstrepo, sic tamen a punctis recedendum, nomenque עֵשָׁו per Schin scribendum. Ipsum adeo verbum עשה aliquoties hac notione occurrere in codice Hebraico videtur, ut Job. XXIII, 9. שמאול בעשתו *ad sinistram quia obtegit se*, *non video*, vel, *non deprehendo illum*, svadente perallelismo sequentis membri, יעטף ימין ולא אראה *obtegit dextram nec eum video*.

Faciendi significatione nonnunquam verbo יצר, *formavit*, ut fortius opponitur, *formare*, *et plane perficere*, Jes. XLIII, 7. XLV, 18. XLVI, 11.

Monuerunt dudum lexicographi, עשה peculiariter sensu sacrificiali poni, fere ut Latinis *facere* est aliquando *rem sacram facere*, *sacrificare*. Opponi huic jam a Rabbinis tralatitiae significationi memini in bibliotheca theol. Ernesti, exempla ab illis allata, ut Ezech. XLV, 17. הוא יעשה את החטאת *faciet sacrificium pro peccato*, eam non probare: fateor, sed suppetunt alia magis indubia, significationem firmantia, ut Exod. XXIX, 36. פר החטאת תעשה *bovem piacularis sacrificii facies*, (non, bovem facies piaculare sacrificium) v. 38. וזה אשר תעשה *et hoc est, quod facies in altari*, *duos agnos* &c. v. 39. *unum agnum facies mane*, *alterum vesperi* v. 41. *agnum facies inter duas vesperas*, Numer. XV, 12. Jud. VI, 19. 1 Reg. XVIII, 23. 2 Reg. XVII, 32. ויהיו עשים להם בבית הבמות. Liceat et hac occasione adnotare, minutulum, etiam de sacrificio non prorsus perfecto, sed modo praeparato, i. e. bove mactato, dissecto, altarique imposito, licet non combureretur, עשה poni 1 Reg. XVII, 26.

Signi-

Significatio unde orta, utrum ex ellipsi nominis quod semper ad-
dere prope molestum ac languidum, an ex usu culinario verbi, ex quo-
est, *vitulum, bovem, ovem parare mensae, mactare, coquere, assare*, cujus
exempla hic pono Genes. XVIII, 7. 8. Judic. XIII, 15. 1 Sam. XXV, 18.
2 Sam. XII, 4. pro certo non dixerim: forte vivente adhuc et vernacula
lingua Hebraica, utroque modo עשה ab his, qui illo pro *sacrificare* ute-
bantur, intellectum.

1987. עשן.

עשני Job. XXXII, 22. pro nomine habuit Syrus, vertitque har-
monice ܥܘܫܢܝ *robur meum.* Non probo, sed refero. Nomen hic,
quam verbum mallem, si, *faciens me, creator meus*, displiceret,
conferrem potius عَشَنَ *opinatus est, conjecit*, verteremque, filo ora-
tionis satis apte, *facile me auferet*, i. e. decipiet, transversum rapiet,
opinio mea. Sed praeplacet punctorum lectio, *faciens me.*

1988. עשק.

Opprimendi, injuriam faciendi notione, quae Hebraeis frequentissima,
soli habent Aramaei, i. e. Chaldaei, Syri, Samaritani: non Arabes. His qui-
dem غسق est, *manavit, pluit, effudit, lacrimavit.* Hinc cum S. V. Velthu-
senio explicare me Jes. XXXVIII, 14. עָשְׁקָה לִּי *stillabat mihi*, flebat oculus,
jam supra p. 1957. professus sum. Quid significet עָשֻׁק בְּדַם נָפֶשׁ Prov.
XXVIII, 17. de eo valde diffident interpretes cum veteres tum recentiores.
Vulgata quod habet, *hominem qui calumniatur animae sanguinem*, placere pos-
sit his, qui in lexicis Syriacis legerunt, ܥܫܩ *criminatus est, incusavit*, sed
dubia haec significatio, ut ad Castellum monui; Hieronymus forte de
litigandi verbo per Sin scripto, cogitaverit. LXX ἄνδρα τὸν ἐν αἰτίᾳ φό-
νου ὁ ἐγγυώμενος, exque illis Arabs, من يطمن *qui quietem et securi-
tatem praestat parricidae*, quod quomodo עשק significare possit, non
intelligo; nec apta sequenti membro sententia: verisimilius Syrus Chal-
daeusque, דחשש *qui conscius sibi est caedis*, sed nec hoc linguarum usu
firmatur. Possitne esse ex eadem fluendi notione, *conspersus sanguine effuso*,
in quem sanguis occisi manavit? sive etiam *contaminatus*, nam et Arabes,
verbum de foeda sanie, ac flava aqua ponunt, qua vulnus manat, eam-
que غساق dicunt. Possis et עשק legere, aut עָשׁוּק active interpreta-
ri,

ri, *injusta vi agens contra sanguinem*, (sic Abenezra) aut per Sin lectum, *cui lis intenditur ob sanguinem.* Mihi nondum liquet.

Habent et Arabes عشق *amavit*, idque Driessenius p. 28. 29. speciminis observationum ad הַמְעֻשָּׁקָה Jes. XXIII, 12. retulit, *amata*, amasios habens. Mihi consveta explicatio praeplacet, *vim passa*, *constuprata.*

1989. עשש Ps. VI, 8. XXXI, 10. 11.

Verbum, in quo male proficimus a lexicographis, hi enim cum *contabescere*, *erodi* dant, quid verbo faciemus de oculis, aut cum, *caligare*, de ventre, et ossibus posito? Nec certior a veteribus, si eos consulas, discedes, valde dissentientibus, habent enim

1) *turbari*, *conturbari* LXX et Vulg. Ps. VI, 8. *(turbatus est a furore oculus meus)* XXXI, 10. 11. Syrus in psalmo XXXI. (ܐܬܕܠܚܬ) ibidemque Symmachus ἐθολώθη: quod unde sumtum? quo linguarum sororiarum usu firmatum?

2) *dolere*, Syrus Ps. VI, 8. ܟܐܒܐ ܡܢ ܪܘܓܙܐ ܥܝܢܝ *dolet ira oculus meus.*

3) Hoc ipso loco Arabs uterque, cum Polyglottus ex Graecis, tum Antiochenus ex Syro vertens, ذبلت *debilitatus est ira oculus meus.*

4) Aquila ubique ἠυχμώθη, *squalidus fuit*, hincque Hieronymus Ps. VI, 8. XXXI, 10. *caligavit* in furore oculus meus.

5) Sed idem Hieronymus Ps. XXXI, 11. *contabuerunt.*

6) Symmachus in Ps. VI, 8. ἐφλέγμαινεν ἀπὸ πικρασμοῦ.

His ergo veteribus consultis senties, nihil te profecisse, ac prope incertiorem, quam veneras discedere: lexica unde hauserint, atque jam hoc habeant, jam illud, intelliges.

Linguae ergo, ut certiores fiamus, Orientales conferendae. Arabia offert,

1) عَثَّ *erosit*, unde עָשׁ et عُثَّة *tinea.* Citavit in suo lexico Simonis, nec *erodendi* significatio in dubium vocari potest, sed parum apta illis locis ubi de oculis verbum ponitur.

2) عَسَّ *circumivit noctu.* Forte *caliginis* notio subest, *per caliginem aliquid fecit, circumivit.* Non ausim ergo verbo *caligandi* notionem negare, quam ei Hieronymus dedit: video et עש nomen Job. IV, 19.

19. a Syro *caliginem* (ܚܫܘܟܐ) verti. Caligare recte quidem oculi dici possunt, non vero, ut in psalmo 31, ossa et venter.

3) عَشَّ *extenuatum fuit corpus*:

4) عَثَّ *macer et extenuatus fuit*, *manavit sanie ac pure vulnus*, unde عَثِيثَة *sanies*.

His collatis putem, עשש ubi de oculis ponitur, esse, *manare* forte lacrimis, aut etiam caligare; ubi de corpore, *emaciari*, ubi de ossibus *erodi*, vel etiam *sanie manare*. Molestum quidem, quod pro ratione triplicis constructionis uno in loco, Ps. XXXI, 10. plures una significationes accipit.

1990. עשת cum derivatis.

Verbum cum sola Chaldaica lingua commune habet Hebraica, Arabibus Syrisque adeo ignotum. Chaldaeis sine dubio est, *cogitare*, Dan. VI, 4. quam notionem et ad Jon. I, 6. אולי יתעשת האלהים לנו Hieronymus transtulit, in Vulgata vertens, *si forte recogitet deus de nobis*, verisimiliter: quam enim nitendi significationem ei dederunt lexica, ea exemplis non firmata mihi suspecta est. Ex eadem et Jeremiae illud c. V, 28. עשתו גם עברו דברי רע verto, *cogitant mala*, *atque adeo transeunt*, plus peccant quam primum animo conceperant. Ex veteribus LXX et Syrus omiserunt, reliqui ex conjectura, ut mihi videtur, Vulgata, *impinguati*, Chaldaeus, *adquisiverunt opes*, Hexapla Syriaca, Origene supplente omissum verbum ܐܬܥܒܝܘ ※ *impinguati sunt*. Sic ergo Theodotion quem in his supplementis sequi Origenes solet, verterit.

Cogitare, nullius verbi notio prima, sed semper ex alia orta: a *nitendo*, quam plerumque huic verbo Rabbini lexicographique tribuunt, *cogitare* vix dici potuit, sed aliud *etymon* offert cum linguae Thalmudicae עֶשֶׁת *lamina ferrea*, tum Ezechielis בַּרְזֶל עָשׁוֹת seu, ut efferre mutatis punctis malim עֲשׁוּת c. XXVII, 19. *ferrum fabrefactum*, ut reddit Vulgata. Sic haec erit notionum series, 1) *fabricare*, *cudere* 2) *cogitare*. De hoc ferro fabricato, laminis, gladiis, Arabiae Felicis olim merce, nolim hic repetere copiosius dicta in Spicilegii geogr. T. II. p. 171 – 174.

Nitendi significationem habueritne verbum, ignoro, nullo enim exemplo de ea constat: si habuit, non prima est, sed denominativa a fulgentibus gladiis.

עֶשֶׁת שֵׁן Cant. V, 14. erit jam *artificium eburneum* a fabricando vel elaborando dictum. Sic Syrus, ܥܒܕܐ ܕܫܢܐ.

1991. עתוד *hoedus robustior jam pastum incedens, i. e. anniculus.*

עתוד non hircus esse videtur, sed hoedus masculus robustior, annum jam egressus, idem qui Arabum عتود, quem lexicographi Arabum sic definiunt, *caper juvencus, hoedusque robustior, jam pastum incedens, sc. anniculus.* Moses, ubi de sacrificiis leges fert, ut Num. VII. decies et ter ab איל *ariete,* שעיר עזים *hirco caprarum,* et כבש בן שנה *agno annum nato,* distinguit. Est medius inter *agnum annum natum,* et איל *arietem,* quod nomen tertio demum anno accipit: foeturae jam aptus; licet arceri ab ea soleat. Nos lingua Germanica *Zeitbock* vocare solemus.

Volunt Jes. XIV, 9. Jerem. L, 8. Zachar. X, 3. עתוד de *duce gregis, capro ipso,* poni. Potuerit quidem lapsu temporis significatio nominis mutari fierique latior. Dubito tamen de interpretatione. Zachariae verba ita intelligo, non ut עתודים puniantur, sed ut a pastoribus reposcantur: vide versionem Germanicam et expende. In Jeremia ante gregem incedere dicuntur, כעתודים לפני צאן, nec tamen vel ibi hircus aut aries dux totius gregis intelligendus, ipso plurali numero obstante, sed *agni masculi annum secundum jam ingressi,* fortiores reliquo grege eumque praecedentes. Praecedere etiam cogunt, ne in feminas irruant, quibus non sunt impares, sed tamen ab eis arcentur. Jes. XIV, 9. עתודי ארץ non reges erunt de soliis surgentes, capros enim, arietes, agnos quis in solio collocet, sed, sive totus grex terrae, sive, *fortiores terrae,* fortes viri in terra sepulti. In bibliotheca Orientali T. XIV. p. 151. monui, Chaldaeum meliore sententia per R עתורי legisse: sed nullus ita codicum huc-usque a Kennicotto et de Rossio consultorum.

1992. בְּעְתַם Jes. IX, 18. *medium noctis,* vel, *aestus, incendium.*

Ἁπαξ λεγόμενον, quod varie vertunt. LXX et Chald. *combusta est terra,* idque verbum omnino significare possit, غَتَم enim *aestus ingens et suffocans.* Hieronymus et Syr. *contremuit,* Vulgata, *conturbata est,* quae nullo usu linguarum firmantur. Recentiores fere, *obscurata est terra,* nec tamen ex usu linguae argumentum addentes: offert Arabia, عَتَمَ *obscura evasit nox,* عَتَمَة *tertia pars noctis a fine crepusculi,* (nempe ab

ab hora decima, ad secundam matutinam.) Praeierat jam in libro radicum Kimchius: כֶּעָתָם ארץ (sic enim per Kamets scribit) *caligat terra, ex lingua Arabica, cui* العتمة *caligo.* Caeterum nolim pro verbo habere, ut fere in editionibus כֶּעָתָם legitur, ארץ enim cum generis feminini sit, כעתמה scribendum fuisset, sed nomen כֶּעָתָם *caligo nocturna est terra, das Land ist eine Mitternacht.*

Vides, hanc inter versionem et Graecorum ambigi posse, ita tamen ut pro eorum verbo nomen ponas *aestus suffocantis* vel *incendii:* favetque quod sequitur, *factusque est populus* כמאכלת אש *tanquam ab igne consumtus.* Paene praeferre incipio.

1993. עתק.

In hoc verbo ejusque derivatis aliqua mihi in lexicis, ut, *transferendi* notio, suspecta, alia obscura, quae ab aliis discere, quam ipse de illis dicere malim. Non ut alias duplex verbum habent Arabes, sed unicum, عتق, at ita varia significatione, ut non possim ad unam primam satis certo indicio revocare. Tentavit aliquem primum significatum Schultensius, nec tamen mihi persvasit, Enarrabo significationes, et dicam, quae apud Hebraeos obtinent.

1) عتق *festinavit, praecessit, praevertit equus,* cum pluribus ejusdem significationis derivatis, ut عَتِيق *celeriter incedens equus:* in quarta أعتق *properare jussit, cito propulit equum.* Huc retulerim ויעתק משם העתיק de *profectione Nomadum* alias in regiones positum, Genes. XII, 8. XXVI, 22. *propulit inde* sc. gregem.

2) Ab hac praecedendi significatione fluxisse videtur, *liber, nobilis fuit,* أعتق *libertate donavit, manumisit,* عِتْق *libertas,* عتيق *nobilis, generosus,* عتاق *generosae ac rapaces aves.* Huc retulerim, עָתָק, de verbo liberiore, i. e. effero positum, 1 Sam. II, 3. Ps. XXXI, 19. XCIV, 4. et מכסה עתיק *vestitum nobilem,* Jes. XXIII, 8.

3) Forte a libertate, عِتْق, *liberalis vultus forma,* عتق *bene se habuit, nitida fuit cute,* qualis est, cum a morbo convaluimus.

4) A praecedendo orta videtur late per linguas Orientales regnans *antiquitatis* notio, عتيق *qui praecessit, antiquus, vetus, qui diu fuit*, עתיק יומין Dan. VII, 9. *antiquus dierum, grandaevus*, ܥܬܝܩܐ *antiquus*, ܥܬܩ *antiquus fuit*, ܐܥܬܩ *antiquavit, abrogavit*, Samarit. עתק *senuit*. Hinc recte LXX Job. IX, 5. המעתיק הרים ὁ παλαιῶν ὄρη, *veterascere faciens montes*, et XIV, 18. צור יעתק πέτρα παλαιωθήσεται ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς. Petrae quomodo veterascant, ipsoque tanquam senio ruant, in notis germanicis ad haec loca dictum. *Transferri* montes, quod alii hic habent, receptumque est in lexica, in rerum natura inauditum.

Harum significationum quae his vel illis locis aptior, de eo ambigi potest. Sic Job. XXI, 7. עָתְקוּ de impiorum felicitate positum, verti potest, *consenescunt*, sic LXX, *bene se habent, valent, nitent*, sic fere Chaldaeus, אתקיפו, *nobiles et liberi sunt*. Psalmi VI. עתקה בכל צוררי esse possit, *consenescit oculus meus propter omnes hostes meos*, sic plerique: possit et esse, relatum ad sequentia, oppositum praecedenti tristitiae: *vigorem recipit, viget contra omnes hostes meos, libere et ferociter illos intuetur: recedite a me omnes malefici!* Hoc in versione ut sonantius sequutus eram, sed vereri incipio ut lectores habeam consentientes.

Transferendi significatio, quam lexica habent, nonnulla et ut primam ponunt ex qua reliquae derivandae, linguis Orientalibus plane ignota. Habet, fateor, Rabbinica, העתיק *transferre*, nec vero ex loco in locum, ut in lexicis poni solet, sed, *ex lingua in linguam, interpretari*, vel etiam, *ex libro in librum, describere*, unde illi, מעתיקים, *librarii, interpretes, translatores*. Exempla significationis quae citantur, Genes. XII, 8. XXVI, 22. Job. IX, 4. XIV, 18. XVIII, 4. supra ex aliis et certis verbi notionibus interpretatus sum: unum quod superest, Jes. XXVIII, 7. עתיקי שדים non *translatos ab uberibus*, i. e. nuper ablactatos, significabit, sed, *senes, qui ubera non sugunt*.

Rabbinicum quod dixi transferre ex lingua in linguam, describere, sumtum ex Proverb. XXV, 1. *etiam haec sunt proverbia Salomonis*, אשר העתיקו אנשי חזקיהו, quod vertitur a veterum multis, *quae descripserunt*, vel, *describi curarunt viri Hiskiae*. Ad *veteris* et *antiqui* notionem referre possis, *quae antiqua fecerunt, conservarunt*, idem Arabico عتّق in sec. conj. *antiquum effecit, in tempus ac diu servavit rem*: sed certiora, et ipso usu antiquo linguarum confirmata, cuperem.

1994. עתר cum derivatis.

Solent verbo lexicographi multiplicandi, abundandi significationem dare, quam apud Chaldaeos, Syrosque habeat, et ad eam reliquas referre: parum verisimiliter, Syrorum enim Chaldaeorumque ܥܛܪ et עֲתַר, ditescere, sine dubio est Hebraicum עשׁר. Nec obstreperem, si in Chaldaizante scriptore, Ezechiele, XXXV, 13. tale quid tentarent, quamquam et de ejus העתרתם עלי infra videbimus: at reliquis in locis perquam suspectum, nec eo opus, cum significationes illis aptissimas et Hebraica offerat et Arabica lingua.

Primo insignis Ezechielis locus, c. VIII, 11. ipse nos sive ad *odoris* notionem, sive ad *fumi* deducit, עֲתַר עֲנַן הַקְּטֹרֶת עֹלֶה *fumus*, vel *odor nubis suffimenti ascendebat.* Praeiverunt ibi veteres, et vero unanimes, nec de *multitudine* quidquam habentes. LXX ἡ ἀτμὶς τοῦ θυμιάματος, omisso nempe sequente ענן, quod cum ex Theodotione in Hexaplis supplevisset Origenes, Hexapla Syriaca vertunt, ܥܛܪܐ ※ ܕܥܢܢܐ ※ ܕܒܣܡܐ *vapor* ※ *nubis* ※ *suffimenti*, Vulgata, *vapor nebulae de thure*, Chald. קטור ענן quod alias de fumo in nubis morem ascendente ponere solet, ut Jud. XX, 40. Syrus ܥܛܪܐ ܕܒܣܡܐ *suffitus fumi aromatum.* Forte Syriacum adeo ܥܛܪܐ Hebraicumque עתר, unum idemque nomen, his per ת, illis per ט scribentibus, ut קטל Arab. قتل. Arabicum, عِتْرَةٌ *sphaerulae ex musco aliisque aromatibus formatae, segmentum musci*, عِتْوَارَةٌ *frustum musci*, argumento est, odoris significatum his literis subfuisse.

Hinc magna verisimilitudine Schultensius Prov. XXVII, 6. interpretatus est, *oscula inimici sunt* נעתרות i. e. *male olentia.* Legendus totus, copiosius ibi contra consvetam verbi interpretationem et derivationem disputans. Putem tamen, aliam versionem loco aptiorem.

2) Ex *svavi odore* et *suffitu* consveta verbi significatio, *deprecari*, *orare*, *exorare deum* fluxit: consvetum preces et suffimenta comparare. Male sane ad *multitudinem verborum* referri solet, loca enim ipsa evolvens, videbis paucis saepe verbis has preces obsolvi, brevesque esse.

3) عَتَرَ et est, *mactavit*, *secuit*, et, forte ab aliquo hastae nomine inde ducto, *tremuit*, *et commota fuit hasta.* Hinc mihi illud, quod jam atti-

attigi, Proverb. XXVII, 6. *secantia, lethalia* vulnera explicandum videtur: lege sententiam, *fidelia sunt verbera amici, sed oscula inimici sunt lethalia, gladii lethiferi*, et cogita facinus sicarii, a quo duplicis caedis poenas ipse Salomon exegit, Joabi, inter osculandum gladium infigentis, 2 Sam. XIX, 9. 10. nec opus alio habebis commentario.

Forte et hinc nova lux Ezechielis illi הַעְתַּרְתֶּם עָלַי דִּבְרֵיכֶם XXXV, 13. quod ad Chaldaicam *multitudinis* notionem referri posse fassus sum, retuleruntque Syrus, Chaldaeusque, atque secundum quasdam editiones LXX. (*ἐπλήθυναν ἐπ' ἐμέ.*) Nec tamen opus est עתר vel hic pro עשר posito. Verba injuriosa cum vulnerare dicantur, gladiisque ac telis comparentur, ex عتر *tremuit sagitta*, Hiphil transitive verti potest, *intremuistis mihi* i. e. *jaculati contra me estis verba vestra, verba contumeliosa ut sagittas contra me sparsistis.*

4) Sive a mactando, sive ab adolendo incendendoque odorem numini gratum, dicitur عتيرة *victima, sacrificium*, تعتار *ipsa mactatio sacrificii, ejusque solennitas.* Hinc et עָתָר *sacrificium*, Sophon. III, 10. *a locis, ultra flumina Aethiopiae sitis, adferent mihi sacrificia.* Displicet, quod plerumque habent, *supplices meos*, supplices enim veniunt, non apportantur, apportantur victimae, aut, si hoc exiturus, cum Vulgata עתרי in nominandi casu accipias, *supplices mei deferent mihi munus*, quod cum verbum supplicandi conjugationis sit Hiphil, *supplices mei* non עתרי, sed מַעְתִּרַי scribi debuisset.

Chaldaei lectionem עתורי הארץ Jes. XIV, 9. supra p. 1982. memoratam, quamque mihi perquam verisimilem videri haud diffiteor, si in codicibus invenirem, quos adcuratius etiam consuli velim, non verterem, *divites terrae*, sed *victimas terrae*, i. e. mortuos, qui terrae tanquam victimae oblatae sunt, eosdem qui in praecedente membro, רפאים. Egregie componuntur, *omnes inferi, omnes victimae terrae.*

5) عِتْر idem est quod اصل *radix, origo, principium*, عِتْرة *progenies, et familia*, a secando, ut mihi videtur, ramus seu surculus resectus, qui plantatur, radicesque emittit. Hic quidem significatus Jeremiae illi, *virescere illis faciam* עתרת שלום *radicem pacis, prima initia et tanquam germina felicitatis*, c. XXXIII, 6. perquam aptus. Mire ibi dissident veteres: LXX plane עתרת omiserunt, non lectum, aut intellectum; Vulg. *revelabo illis deprecationes pacis et veritatis*, obscuriuscula sententia;

Sy-

Syrus et Chald. *revelabo illis vias pacis*, ac si ארחות legissent, recentiorum plerique, *abundantiam pacis*, Venema, *renitescere illis faciam nidorem*, *i. e. auram fragrantissimam pacis*, quasi vero niteret nidor!

1995. פאה Deut. XXXII, 26. *secuit*, *excidit*.

Ἅπαξ λεγόμενον, pluribus lexicographorum, quorum sententias explicationesque varias hic excerpere meum non est, denominativum a פֵּאָה, *angulus* visum, mihi potius primitivuum, idem Arabico فَأَّ pro فَأَوَ *fidit*, *diffidit gladio*, caput ejus, *idem quod* قطع (secuit) angulique nomen ab eo ductum, qui est, *ubi duae se lineae secant*. Sic אַפְאֵיהֶם erit, proprie, *diffindam illos* gladio, seu, ut loqui alias solent lexicographi, *exscindam illos*. Forte idem praeivit Arabs Erpenii, ipsoque Arabico verbo افبيهم expressit, sed in editione habetur افنيهم *evanescere faciam illos*. Alii aliter, Arabs Polyglottus, اهلك جهاتهم باستحقاق *perdam loca* vel *regiones ipsorum* (*) *pro merito*, et LXX *διασπερῶ αὐτούς*, forte his accensendi, quibus denominativum ab angulo videtur. Sunt et qui aliter legerunt, aut legendum conjecerunt, verbum difficilius, ipsis non intellectum: 1) textus Samaritanus אפי הם, *ira mea est contra illos*, quam lectionem licet in codicibus Judaeorum non invenerit Kennicottus, videtur tamen olim in quibusdam illorum fuisse, namque et Onkelos (**) eam expressit, sed cum altera *exscindendi* conjungens, lectionemque utramque vertens, *irruet ira mea in illos et exscindam illos*. 2) *Syrus* ܐܝܟܐ ܐܢܘܢ, Vulg. *ubinam illi sunt*, exprimentes, אפוא הם, sive adeo אפא הם legisse videntur.

1996. פֵּאָה *angulus*, &c.

Anguli significatio nota, id unum moneo, Num. XXIV, 17. פַּאֲתֵי מואב non esse, ut plerumque sumi video, pluralem, ille enim פֵּאוֹת scribendus fuisset, sed dualem, qui ה femininum singularis in ת mutatum ante pluralem terminationem servare solet, (e. g. שְׂפָתַיִם). Ergo nec vertendum, *omnes anguli Moabi*, sed, *duo anguli* seu extremitates *Moabi*, ab

(*) Nempe idem et Num. XXIV, 17. פאתי interpretatur جهات.
(**) Vide introductionem meam in V. T. p. 330.

ab uno regionis fine ad alterum oppositum: nec locum habere potest plerorumque veterum interpretatio, angulos Moabi *principes* ejus intelligentium. Sic quidem LXX. *θραύσει τοὺς ἀρχηγοὺς Μωὰβ*, Vulg. *percutiet duces Moabi*, Onkelos רברבני *magnates*, Syr. ܪ̈ܘܪܒܢܐ, Ar. Erp. موالي *praefectos*; nec denique Symmachi *κλίματα*, Arabisque Pol. جهات regiones: Moabitidis qui duo principes? quae duae regiones?

פְּאַת זָקָן Levit. XIX, 27. non sunt *anguli supra barbam prosilientes*, nec *extremitates seu fines barbae*, quas quinque numerant Judaei, quorum sententiam ante omnia verbis Raschii proponam, ut ea latine Breithauptus vertit: *finem barbae et terminos, qui sunt quinque, nimirum: duo in qualibet maxilla sursum versus, juxta caput, quae est latitudo barbae, in qua duo sunt anguli (sive latera) et unus angulus deorsum in mento ejus, videlicet in loco ubi binae maxillae conjunguntur.* Opiniones sunt magistrorum, nullo usu linguarum Orientalium firmatae. Plura citata Judaica legere si cupis adi Breithaupti notas; de veterum versionibus referentem adi Clericum ad h. l.

Ex linguarum Orientalium usu si vocabulo Mosaico interpretationem quaeras, idem erit, quod Syrorum ܦܐܬܐ *barba superior in labiis*, nobis *Knebelbart*: hanc in hunc usque diem, teste Niebuhrio p. 68. descriptionis Arabiae, aliqui totam radunt, aliqui ita succidunt, ut brevis maneat. Jam intelliges cur Arabes Jeremiae VIII, 25. XXV, 23. קצוצי פאה dicantur, et quae פאה sit, de qua cum Moses tum Jeremias loquitur. Nec jam credo ab angulo hanc barbae partem dictam, angulum enim non facit, sed a *resecando*, tanquam, *resectam* barbam. Caeterum Syrus et Num. XXIV, 17. פאתי eadem significatione accepit, *flamma depascet* ܦܐܬܗ *barbam superioris mystacis Moabi.* Talis sententia ut Jes. VII, 20. nec tamen placet explicatio.

1997. פא Job. XXXVIII, 11.

Idem esse volunt masorethae quod פֹּה *hic*, unde et cum Cholem scripserunt, פֹּא, sicque et veteres interpretes. Parum verisimile: nuspiam PO, *hic*, per Aleph scribitur, nec opinabile eodem in versu hanc particulum primum פה deinde פא scripsisse auctorem; potius tam diversimode scripta diversa significant. Nec bona constructio, *hic ponet in superbos fluctus tuos*: nomen potius, quam adverbium loci exspectasses.

Mihi

Mihi videtur פָּא efferendum nomenque esse, *angulum* significans, masculinum praecedentis פאה. Ipsum nomen literae פ, ab angulari figura quam in Hebraico et plerisque Orientalibus alphabetis habet, ductum, Arabibus فا scribitur. Anguli mare coercentes, sunt promontoria in illud angulorum modo procurrentia, quibus extrema terrae tanquam firmari solent. Sic וּפָּא ישית בגאון גליך vertes, *et angulus opponit se tumentibus fluctibus tuis.* — — Aliqui codices habent ופה, ad hos nihil mea explicatio: sed puto ad consvetam interpretationem analogiamque grammaticam correctos.

1998. הִתְפָּאֵר , פֵּאֵר.

Verbum denominativum a פְּאֵר, quod non generatim ornatum omnem, sed proprie ornatum capitis, tiaras, tutulos altiores denotat, ut copiosius docuit Shroeder de vestitu mulierum Hebraicarum cap. VIII. Est ergo פֵּאֵר licet et latius pateat, proprie et peculiariter, *caput ornare, cidari, diademate.* Jam intelliges Jes. LV, 5. פֵּאֲרָךְ *diadema imposuit tibi:* de magno ex Davidis stemmate viro, Messia, sermo. Ps. CXLIX, 4. יפאר ענוים בישועה verterim, *coronat humiles victoria.* Exod. VIII, 5. התפאר עלי, si vera est lectio textus Judaici, *regem te gere*, i. e. *impera mihi*, proprie, *diadema tibi sume:* at aliter Samaritanus textus, התבאר *declara*, quod et LXX expressisse videntur, τάξαι.

Deut. XXIV, 20. פֵּאֵר *singulos arborum fructus in ramis legere*, est ipsum denominativum, ex his quae ad sequentia nomina dicemus explicandum: proprie, sive *coronam arborum*, sive, *fructus* legere.

1999. פארה , פְּאֵר.

פְּאֵר proprie *ornatum capitis*, esse, *coronam*, jam diximus, insignisque locus est Jes. LXI, 3. ubi *cineri capiti inspersο* opponitur. Hinc Syris ܦܐܪܐ *fructus* dicuntur, tanquam ornatus capitis arborum, quem significatum in prima editione versionis bibliorum ad Jes. X, 33. transtuleram, existimans, Chaldaeum legisse, במעצרה, jamque verba מסעף פארה במעצרה vertens, *capiti arborum detractos fructus projiciet in torcular.* Sed jam abdico cum videam, nullum codicem ita habere, inque ipso Chaldaeo a me erratum esse.

Ezech. XXXI, 5. 6. פֹּארֹת sunt *rami arborum*, ipsi quoque ut videtur, a coronae similitudine dicti. Nostris etiam hortulanis vertices arborum,

rum, et silvarum cultoribus nova ramorum propago *corona* (*Crone des Baums*) dicuntur. Idem nomen ejusdem capitis v. 8. 12. 13. פראֹת scribitur, sicque et in ea editione bibliorum, qua ego uti soleo, c. XVII, 6. sed perquam magna varietate lectionis, multis codicibus פארֹת, quod mihi verius videtur, habentibus. Per O cur scripserint masorethae, caussam non video, mallem פְּאֹרוֹת *coronas* arborum.

Iidem masorethae Jes. X, 33. פֻּארָה per Kibbuts scripserunt, quod vero ad aliam multorum codicum editionumque lectionem פּוּרָה *torcular* referendum. Vide eos indicatos a de Rossio. Hanc lectionem verterunt Symmachus, Theodotion, ληνὸς, *torcular*, alioque modo Aquila κεϱάμειον eumque secutus Hieronymus *lagenam*. Confer Hagg. II, 16. ubi פּוּרָה idem Hieronymus *lagenam* vertit. Ergo hoc veterum torcular aut κεϱάμειον nihil ad nostrum de quo quaerimus פארה. Ἐνδόξους hic verterunt LXX. Syrusque ܡܫܒܚܐ *gloriosos*: hi ergo ad פְּאֵר *ornatum* retulerunt, *capitis* maxime, quo in Asia gradus dignitatis distingui solent. Recentiores cum פארות Ezechielis conferentes, in *ramos* fere consentiunt, sumentes סעף esse, *caedere*, Rabbinosque, ut Raschium, sequuti. Id quidem vocabulum omnino possit significare, sed parum est ad filum finemque orationis. *Amputabit ramos cum terrore*, hoc quid est? quid minarum exitii extremi habet? Arbor amputanda fuisset, sola radice relicta, non rami, nec ramos amputare terribile.

Jam ut meam sententiam dicam, quam et novae editioni versionis germanicae intuli, פארה, his punctis פְּאֵרָה et hic mihi idem quod פְּאֵר *ornatus capitis*, *tiara altior*, *diadema*, verbaque מְסָעֵף פְּאֵרָה בְּמַעֲרָצָה verto, *capiti detrahet coronam projicietque in terram.* Vide supra de סעף scripta.

2000. פארן *Faran.*

Commemoratur saepius a Mose, et jam Abrahami tempore, Genes. XIV, 6. cum *desertum* seu potius *campestris regio*, *vallis Faran*, tum, *mons Faran*, Deut. XXX, 2. Habacuc. III, 3. Addidit in onomastico Simonis et urbem Faran Deut. I, 1. 1 Reg. XI, 18. nec tamen his locis inspectis video, cur urbis nomen, non potius totius regionis habendum sit. Nec tamen negaverim et urbem olim in hac regione fuisse, cujus et rudera superesse audivit Niebuhrius.

Horri-

Horridum quidem desertum non est, sed satis fertilis regio, a Nomadibus pererrata, alicubi et in horti modum culta. Noscere qui illam vult, adeat Niebuhrium, αὐτόπτην, atque per aliquot dies in Faran, antiquum nomen in hunc usque diem servante, versatum, in descriptione Arabiae p. 402. et P. I. itinerarii, p. 240. 241: inspiciat et additam huic Tabulam XLIII. in qua pars vallis satis amoena aere expressa, licet ipse moneat, esse ex sterilioribus, alias dici feliciores. Haec quidem ex illo excerpo. Vallis est, altos inter et arduos montes, aquae fontium non inops, sed quae gustu non satis bona est, rigata rivo, *Vadi-Faran*, aliquando exundante: arbores multas habet, felices etiam, unde fit, ut Faranenses dactylos, uvas, poma, pira, aliosque fructus, et carbonum copiam Cahiram adferant. Hominum aliquot millia palmarum cultu vivunt. Olim frequentius habitata fuisse regio videtur.

Hanc regionem Faran, nempe ubi a mari longius recedens in montana erigitur, ad ipsos usque Palaestinae fines pertinuisse colligo ex Genes. XIV, 6. 7. Num. XII, 16. et sequente c. XIII. item Num. XIV, 40-45. quos versus legenti videbitur Faran summo aliquo montium jugo, post quod castra habebant Amoraei, a Palaestina sejunctam fuisse, ac statim post hoc jugum Palaestinam incepisse.

Plura non colligo, sed his lectis reliqua etiam loca, ubi de Faran sermo, melius intelligentur.

Nomen unde acceperit definire quidem non ausim, timidior in etymologiis nominum geographicorum: verisimilius tamen reliquis, quod LXX habent Habac. III, 3. ἐξ ὄρους Φαρὰν κατασκίου δασέος, *ex monte Faran umbroso et condenso*, seu, ut Hieronymus eos legit omisso nomine Φαρὰν, *ex monte umbroso et condenso*. Sic quidem פארן plane appellative interpretati, est enim, Φαρὰν textus interpolatio ex Deut. XXXIII, 2. retulerunt ad פארת *ramos arborum*, qualemque Niebuhrius descripsit Faranitidem, est hoc nomine digna. Simonis in Onomastico p. 329. refert ad فأر *fodit*, quod multas specus habuerit, adferens testem Josephum, sed cujus citatum vitio typographico obscuratum. Reperies locum libr. IV. de Bello Jud. c. 9. §. 4. *in valle, Faran dicta, cum multas speluncas fecisset latiores, multas et paratas invenisset.* Nec hoc veri dissimile. Qua occasione enoto, ipsi quoque Josepho Faran vallem esse, et vero in Acrobatenes et Idumaeae vicinia, quod confirmat supra disputata.

2001. פָּארוּר Joel. II, 6. Nahum. II, 11.

Vocabulum obſcuriuſculum, de quo, licet explorati nihil habeam, nolui tamen plane tacere, veniam lectorum ſperans, ſi vel illis non ſatisfecero, ut nec mihi ſatisfacio. Hac quidem conſtructione legitur, *omnes vultus* קִבְּצוּ פָּארוּר. Veteres hic, quos habemus, univerſi, de פָּרוּר *olla* cogitarunt, cujus in modum nigri vultus ſint, igni enim adpoſita nigreſcit. LXX utrobique *ὡς πρόσκαυμα χύτρας*, ſicque et Syrus, ܐܝܟ ܩܘܡܣܐ ܕܩܕܪܐ, atque in Nahumo Vulgata, *ut nigredo ollae*: qua in verſione expeditu difficile, quomodo קבצו ſive *nigredo* ſive *aduſtio* eſſe poſſit, verbum, non nomen, ipſa forma referens. Vulgata in Joele, *redigentur in ollam*, ubi hoc ipſum redigentur, obſcurum: quod ſi eſt ex mente interpretis ſimiles fient ollae, hoc quomodo קבצו ſignificare poteſt? Chaldaeus, *operientur caligine*, *ut ollae*. Mihi vero פארור et פרור vocabula videntur diverſiſſima, ut radice ita et ſignificatione alia, quaeque de Aleph epenthetico tradunt et Rabbini et chriſtianorum haud pauci, ſomnia hominum multa ignorantium, ſed nihil ignorare certum habentium. Ac ne comparatio quidem placet vultus triſtis cum olla igne denigrata, nec phraſis, *colligunt ollam*. Ergo haec, licet ſatis antiqua, abdicemus.

Pallor quem habent aliqui recentiorum, plane conjecturalis: ſicque et, *nitor*, ex quo aliqui faciunt, *contrahunt nitorem*, i. e. *nitere deſinunt*. Cui Orientalium linguarum פאר eſt *nitere*? Ornatus, quem ſub his literis habuimus, et nitor, non eadem.

Mihi ſi tentandi audacia detur, פארור, tertia radicali bis poſita, nomen coloris eſſe videtur, ad nonam Arabum conjugationem, coloribus propriam, tertiamque radicalem geminantem, referendum. Utinam Arabum lexica aut libri verbum إِفْأَرَّ in nona haberent, omnia ſic forent expedita, ſed jam haec nos aut lingua aut ejus notitia deſtituit. פארת *ramos* eſſe arborum ſupra vidimus, hinc et LXX פארן *umbroſum et condenſum* vertere. Jam פארור ſi coloris nomen, *umbroſum* ſignificare videbitur, hic quidem in triſtiorem partem, *umbra tecti ſunt vultus ipſorum*. Forte ſic et ratio aliqua verbi קִבְּצוּ *congregant*, reddi poſſit, a contractis undique ramis umbra dicta. Sed haec tentantis, non decidentis, legere ſe meminerint, qui noſtris utuntur.

2002. פגד Ezech. XXVII, 20. 2 Paral. XX, 25.

In codice masorethico non occurrit, ergo nec in lexicis: at pro פגרים *cadavera* 2 Paral. XX, 25. sententia prope casso, Syrus legisse videtur, פגדים, vertens, ܦܓܕ̈ܝܢ, *fraenatos* (camelos, vel, equos) a ܦܓܕ *fraenare*. Nec equidem probo lectionem, nullo in codice inventam, atque vel eo nomine suspectam, quod Syriacum ܦܓܕܐ *fraenum*, ܦܓܕ *fraenare*, recentius atque a Graeco παγὶς ortum videri possit, mihique praeplacet alia lectio varia, בגדים: referendum tamen et de hac censui, ut Syrus interpres intelligatur. Ezechielis etiam c. XXVII, 20. pro בגדי חפש LXX et Syrus, vertentes, κτηνῶν ἐκλεκτῶν, et ܒܥܝܪܐ ܓܒܝܐ *jumentum excellens*, פגדי *fraenatum*, *fraenum admittens animal*, legisse videri possint: sed nec ibi placet, seu potius magis displicet vocabulum graecae originis suspectum in scriptore multo antiquiore.

2003. פגר 1 Sam. XXX, 10. 21.

Arabibus فجر est, *fluxit*, indeque et *defluxit*, *declinavit*. Hinc et explico, אשר פִּגְּרוּ מעבר, *qui defluxerant a trajicienda valle*, i. e. remanserant, a reliquo exercitu defluxerant. Mallem prope passive legere, פֻּגְּרוּ, *qui remanere jussi erant*, quod ipse illos David v. 24. ab omni culpa liberat, dicitque ad impedimenta sedisse, horum custodes. — — A fluendo dictumne פֶּגֶר *cadaver*, quod tabe manet?

Solent lexica vertere, *piger fuit*, quae mihi significatio, latino quodammodo consona, quamquam in eo R non est radicale, sed *piger*, *piget*, perquam suspecta, vereorque, ne sit ex Latino arrepta. Est certe loco Samuelis parum apta, quae enim gravior adcusatio, quam si pigritia remansissent? talesne parte spoliorum digni videri duci exercitus poterant? Ex veteribus LXX simpliciter, ὑπέστησαν, Chald. אתמנעו *prohibiti sunt*, Aquila in v. 10. citatur, ἠτόνησαν *debiles fuerunt*, (quod in v. 21. Symmacho tribuitur) at in 21. ἐπτωματίσθησαν, ac si denominativum esset a פֶּגֶר *cadaver*, Symmachus in v. 10. ἠδυνάτησαν sicque Vulgata, *non potuerunt transire*, Theodotio, cui soli cum lexicis nostris quodammodo convenit, ἀπονακρκήσαντες, Syrus prope in laudem ܢܛܪܘ *servarunt* i. e. custodias egerunt. Dedi de verbo obscuro, quae habeo, nec

nec tamen mihi ipſe ſatisfacio, vereorque, ne ejus veram ſignificationem adhuc ignoremus.

פדן ארם quaere in Spicilegio geogr. T. II. p. 118.

2004. פרע Job. XXXIII, 24.

Ἅπαξ λεγόμενον idem volunt eſſe, quod פדה *redemit*, et praeiviſſe videntur veteres, Syrus et Chald. פרוק, Vulgata, *libera eum*. Perquam tamen ſuſpecta, veterique Hebraismo inſolita, He quieſcentis et Ain permutatio. Arabes habent فدع *distorſit*, hincne facias, *averte illum*, ne deſcendat in foveam? Vix probaverim. Suſpicor, lectionem vitioſam eſſe, ac reſcribendum, quod codices Kennicotti 206 et 454 habent, פרעהו, *ſolve illum*.

2005. פוג Geneſ. XLV, 26. Pſ. XXXVIII, 9. LXXVII, 2. Habac. I, 4.

Tam in diverſa abeunt veteres, ut parum nobis opis praeſtare, nec, niſi ex filo orationis conjeciſſe videantur. Geneſ. 45. LXX habent, ἐξέστη τῇ διανοίᾳ, Vulg. *quaſi de gravi ſomno evigilans*, Syr. ܐܦܝܓ *neglexit*, *non curavit*, Arabs uterque, *dubitavit*. In Pſ. 38. LXX ἐκακώθην, indeque non Vulgata ſolum ſed et Hieronymus, *adflictus ſum*, (quod quomodo verbum ſignificare poſſit, vix adſequor) Syrus ܦܓܠ *commotus ſum*: in Pſ. 77. LXX οὐκ ἠπατήθην indeque Vulgata, *non deceptus ſum*, Hieronymus et Syrus, *non quieſcit*: in Habacuco LXX ἐσκέδασται νόμος, Vulg. *lacerata eſt lex*. Syrus ibi linguae beneficio retinuit, et Chaldaeus ubique. Recte monuit Simonis, primam vim verbi in *frigore* eſſe, Arabibus enim فاج pro فوج, Syrisque ܦܓ *friguit*, his quidem et refrigeratio ac *reſtinctio ſitis* inde dicitur. Rabbinis quoque de *refrigeratione aquae calidae*, adfuſa frigida poni ex Buxtorfio diſces. Ex hac ſignificatione optime ſuccedit Geneſ. 45. *frigebat cor ejus*, (non gaudio incaleſcebat) *quia dictis non credebat*, cui in ſequente membro opponitur, ויחי לבו *revixit cor ejus*: et Habac. I. *friget lex*, non exercentur judicia.

Chaldaeorum, *langueſcere*, *intermittere*, *debilitari*, quas ſignificationes earumque exempla dabit Buxtorfius, a frigendo ductum eſſe, monuit Simonis. De vino ubi ponunt, ut כמו פג חמרא מכבל 1 Sam. XXV, 37. propria ſignificatione refrigerandi accipiendum, *cum deferbuiſſet*

set vinum a Nabalo. Aliqua tamen Chaldaica incertiora, nisi Arabismo fulciantur.

Ps. XXXVIII, 9. נפוגותי vertit Simonis, *frigefactus sum*, i. e. *remissus factus sum*, quod in illa querelarum atrocitate paulo languidius. Ego mallem, *dirigui*, timore nempe et terrore, ut mentis stuporem seu absentiam significet, fere ut LXX Genes. 45. ἐξέστη vertere vidimus.

2006. פוח *spirare*, יפיח.

יפיח לקץ Hab. II, 3. verterim, non ut solent, *loquitur*, sed, *spirat*, *anhelat ad finem*, *anhelo cursu ad finem contendit*. Vide similem phrasin Cohel. I, 5.

יפיח כזבים Prov. VI, 19. nolim vertere, qui loquitur mendacia, sed fortius, *qui efflat mendacia*. LXX ibi ἐκκαίει ψευδῆ, nempe ad *exsufflationem ignis* referentes. Cap. XIV, 5. et alibi prope nominaliter poni videtur, i. e. ut nomen ex tertia persona futuri formatum, qualia in nominibus propriis frequentia.

2007. פוט *extrema versus Occidentem Africa.*

Copiosius de hoc nomine disputatum in spicilegio geogr. T. I. p. 160–166. Libyes vertere solent LXX, sicque et Josephus Ant. I, 6, 2. cognominem genti fluvium et nobilem commemorans, de quo vide Plinii hist. nat. l. V. c. 1. pag. 242. lin. 23. editionis Harduini. Multa tamen adhuc obscura et incerta in loco finibusque Phuto adsignandis. Etymon Aegyptium in epistolis ad me scriptis addidit Forsterus, p. 12. *Photp*, occidentem significans. Refero, sum tamen in etymologiis paulo timidior. In lexico la Crozii Coptico p. 75. occidentis nomen Aegyptium reperio, sed his literis scriptum ΠΕΜΕΝΤ.

2008. פוך *stibium.*

Stibium, quod pro collyrio feminae aqua dilutum oculis immittunt, ut dilatentur, pulcrioresque fiant, eodemque aliis admixtis, supercilia pingunt, Arabibus الكحل. Confer Tograi poema v. 21. ibique Ancherfen, Russel natural history of Aleppo p. 102. 103. et Shaw p. 229. itinerarii, vers. germ. 200. Hic quidem vult, non antimonii sed plumbi mineram esse: possunt hae facile confundi, ac forte confunduntur ab utentibus; verum ipse Shawius unde novit, plumbum esse? expertusne chemice?

Nomen reliquis linguis plane ignotum primum occurrit 2 Reg. IX, 30. et vero in Isabellae, Phoenissae, ornatu. Esne ergo per Phoenices ab exteris adscititium. Sono quidem magnopere cum latino, *fucus*, concinit, quod et aliqui volunt ab Orientalibus ad Latinos pervenisse, licet ne etymon quidem linguae Orientales offerant.

Quid sit פוך de lapidibus positum, Jes. LIV, 11. אנכי מרביץ בפוך אבניך *cubare faciam in fuco lapides tuos*, et 1 Paral. XXIX, 2. אבני פוך *lapides fucati*, perquam obscurum. Varia conjecerunt, *crustam rubram splendescentem* Vitringa, Lowthus *vermilion*: est autem aliquis eximie rubens color, nobis *Mennig*, dictus, qui calcinatione ex cinere plumbi obtinetur, haberes ergo et etymologiam, si פוך plumbum: verum antiquitus stibium fuisse, oculis proficuum, fere certum. Doederlinus, *lapides tuos plumbagini superaedificabo*: verum et hoc obscuriusculum, plumbagini enim quis fundamentum inaedificat? Praeplacere possit, quod habet Hieronymus: *in similitudinem comtae mulieris quae oculos pingit stibio, ut pulcritudinem significet civitatis*: sed revocat adsentire cupientem, quod sic dicendum fuisset, *ponam in stibio* עיניך *oculos tuos*, non אבניך *lapides tuos*. Vulgata *per ordinem*: id mere conjecturale: Chald. *ponam pavimenti tui lapides* בצריורא *in lapillo*. Cogitavitne de opere tessulato, quod quidem a varietate colorum posset ita vocari, cum oculi minera Alcahl pingantur?

Mihi, si vera lectio, aut hoc placet, aut, *lapides fucati* sunt omnino, *pulcri*, *exornati*.

At in Jesaia כפך, nobilis gemmae sed ignotae nomen, aut legerunt, aut conjecerunt, LXX ἄνθρακα, Syrus ܒܘܪܠܐ vertentes, sicque et in loco parallelo Tobiae Hebraici c. XIII, 22. est, וכל רחובותיה כפך ואבן יקרה *omnes plateae ejus Nofech et lapides pretiosi*. Faveo lectioni modo teneri queat, nec sit conjectura: timere autem illi incipio, cum in nullo hucusque codice inventa sit, vix enim verisimile, lectionem tam intellectu facilem, et expeditam, מרביץ כפך אבניך, ex omnibus Hebraicis codicibus disparere, et impeditiori locum facere potuisse.

פול nomen proprium quaere sub פיל.

2009. פון Ps. LXXXVIII, 16.

Ἅπαξ λεγόμενον, difficile, ac prope dixerim, suspectum verbum, אָפוּנָה, ut scriptum est, et vocalibus instructum, ad radicem פון referen-

rendum. Quae de illa et veteres habent, et lexicographi, conjecturalia sunt, usu linguarum non firmata. Reliquae linguae illam non habent, Arabibus فَوْن *benedictio*, *copia rerum*, sed a filo orationis plane abhorrens, eique contraria. فين iisdem, *venire*, indeque فَيْنَة *hora*, *tempus*. Estne, *ad fatale tempus pervenio*, i. e. *morior?* — Simonis ad فَنَّن *in varia genera distribuit populum* retulit, vertitque, *animi pendere*, *dubium esse*, *anxium esse*: mira etymologia! nec grammatica duce ad hanc radicem referendum, quippe cum Vau scriptum, quod Vau non nisi unicus Kennicotti codex omittit. Sine Vau si scribere liceret, potius וְאָפֻנָה efferrem, *averto me*, *migro*, *morior*. Vide Ps. XC, 9. Concinentem sono radicem cum פון si conferre velis, alliterationisque conjectura ac beneficio uti, أفن se offeret, *infirma mente*, *seu consilii expers fuit*: sic fere alia via ad id perveneris, quod lexica habere solent. Nihil horum satis placet, tentandum tamen in voce difficili, et narrandum. Meminerimus, aliquid nos linguae tam antiquae ignorare.

2010. פוץ.

Arabicum فيض est, *fluere*, *diffluere*, *abundare*, in quarta, *effundere*, quas significationes egregie ad Hebraicum פוץ transtulit Schultensius Originum libr. I. c. 4. recte illud a נפץ, omisso in lexicis, distinguens, totusque relegendus.

Ad hocne verbum mutatis punctis retuleris, expeditiore jam constructione et apta sententia, Genes. IX, 19. ומאלה נָפְצָה כל הארץ *et ab his inundata est tota terra*, i. e. *hi se in omnem terrarum orbem diffuderunt? eumque habitarunt?* Sic et secundum puncta habemus Genes. X, 18. ואחר נָפֹצוּ משפחות הכנעני *et postea diffuderunt se familiae Chananitarum*, totam terram occupantes, *fuitque terminus eorum Sidone inde Geraram, et Gazam usque, indeque Sodoma* &c. Vide plura in Spicilegio geogr. T. II. p. 61. 62.

Job. XXXVIII, 24. יָפֵץ קדים עלי ארץ nolim cum plurimis vertere, *despergit se Eurus super terram*, sed relatum ad praecedens אור, lucem, vertere, *quam Eurus*, vel Oriens, *diffluere facit super terram*. Lux fluido assimilatur: vide supra sub דרר scripta. Audax imago, ex qua Eurus diffundit lucem, nec tamen audacior illa Virgiliana, *lucemque elatis nari-*

naribus efflant, solis equi (Aen. XII, 115.) aut Ovidiana, *hinnitibus auras flammiferis implent.*

2011. בת פוצי Sophon. III, 10.

Vertunt, *filiam dispersorum meorum*, intelliguntque dispersam, sive synagogam, sive ecclesiam christianam: quam phrasin nescio quomodo aures meae refugiunt, nec פוץ tam est dispergi, quam, *diffluere*. Praeivit tamen ex veteribus Symmachus, sed constructionem molliens, *τέκνα τῶν διεσκορπισμένων ὑπ᾽ ἐμοῦ.* LXX ut unam vocem legerunt, בתפוצי verteruntque, *ἐν διεσπαρμένοις μου.*

Mihi plura se offerunt, in quorum tamen nullo satis fidenter gradum figere possum.

1) فيض a *fluendo* et ad pompam sacram transfertur, vertiturque in lexicis, *cum confluxu et impetu proruerunt homines, et ita* in sacris Meccanis *perrexerunt ab Arafat monte ad Minam.* Estne *filia pompae discursationisque sacrae*, sacrificium festo tempore oblatum?

2) Ab exundando Nilus الفيض dicitur. Possitne esse Nili nomen, qualis in Aethiopia est, ejusque filia dici, accolae?

3) فاص pro فيص est, *fugere, effugere, longe abire.* Hinc esse possit, *filia profugorum meorum*, i. e. colonia a profugis Judaeis in intima Africa condita.

Tertium, ut verisimilius, aque consveta interpretatione minus recedens, in versione germanica sequutus sum: incertus tamen, possit enim, si בתפוצי, ut unam vocem legas, תפוצי nomen proprium esse loci in intima, ultra flumina Aethiopiae, Nilique fontes, Africa, quae regio nobis ignotissima.

2012. פוק Ps. CXL, 9. CXLIV, 13. Prov. III, 13. VIII, 35.

His quatuor locis secundum scriptionem masorethicam, Ps. 140. זממו אל תפק Ps. 144. מפיקים Prov. 3. יפיק תבונה cap. 8. ויפק רצון מיהוה, non potest nisi ad radicem פוק referri. Equidem video, punctis mutatis et radicis נפק esse posse, bona sententia, Ps. 140. זממו אל תפק *noli permittere ut cogitata ejus exitum habeant*, felicem nempe, Ps. 144. מפיקים *promtuaria ejus exire faciunt* i. e. effundunt omnis generis opes, LXX ἐξερευγόμενα, Hieron. *supereffundentia*, Prov. 3. יפיק תבונה *exire facit, i. e. reportat, tanquam ex divite thesauro, prudentiam*, Proverb. 8.

ויפק

וַיָּפֶק *et reportavit gratiam a Jehova*, ſic ibi Syrus, ܢܦܩ. Conſuli adeo velim codices, nec puterm eadem omnes puncta habituros. Eſt tamen et dicendum quid הֵפִיק a פוק aptum his locis ſignificare poſſit, maxime, cum et veteres hic valde diſſentire, recentiorumque aliquos parum probabilibus uti conjecturis videamus.

فَوْق Arabibus, *ſuper*, *ſupra*, indeque فَاق *ſuperior fuit*, *ſuperavit*: hinc jam Pſ. CXL, 9. verteris, *cogitationes*, ſeu, *conſilia ejus ne ſuperare fac*, maxime cum ſtatim ſequatur, יָרוּמוּ, *ut exaltentur* vel *ſuperbiant*.

A ſuperando faciunt Arabes, أَفَاق *duos inter mulctus lac concepit in uberibus*, qualis reditus lactis, فُوَاق dicitur: ſic foret הפיק *ſuperfuit*, *abundavit*, Pſ. 144. *cum plus habent promtuaria*, *quam ex illis ſumitur*, Prov. 3. *abundat prudentia*, Prov. 8. *abundat beneplacito*. Ut tamen verum fatear, haec tria loca malim mutatis punctis ad נפק referre.

Alii verbo פוק eandem ſignificationem dederunt, quam habet נפק, nullo uſu linguarum Orientalium.

2013. פור Jeſ. XXIV, 19. *bullire*, cum nominibus derivatis.

Diſtinguendae, quae confundi ſolent, radices פור et פרר. *Rumpendi*, *frangendi* ſignificatio, quam ſub פור lexica habent, ſi vera, non hujus radicis eſt, ſed פרר: ipſum etiam הֵפֵר בְּרִית melius ad פרר referri videtur, licet non negem, ubi plene הפיר ſcribitur, forte, ut ſaepe alias, verbum med. rad. geminatae et Vau, ſignificationes permutaſſe. Nulla certe linguarum ſororiarum פור pro *fregit* uſurpat.

Arabibus quidem فور eſt, *aeſtuare*, *efferveſcere*, *bullire*, ut فار التَّنُّور *fervet clibanus*, Sur. XI, 42. XXIII, 27. et de gehenna Sur. LXVII, 7. تفور فهي تفور *illa aeſtuat*, chreſtomath. Ar. p. 81. lin. 10. تفور علينا قدرهم *bullit contra nos olla ipſorum*, *ſed ſedamus illam*, adfuſa aqua frigida. Transferunt ad iram, unde فار فايرة *efferbuit ira ejus*, atque Syriacum ܐܬܦܚܪ *excanduit*, *indignatus eſt*. Vide lex. Syr. p. 694. — — *Bulliendi* ſignificatio egregie locum tuetur Jeſ. XXIV, 19.

19. פור התפוררה ארץ, quod ob plenam cum Vau ſcriptionem ex regula certe ad noſtram radicem, non ad פרר referendum, *bulliendo bullit terra*: eſt deſcriptio veriſſima undulantis, ut vocare eum ſolent vel noſtri ſcriptores, terrae motus.

Ab hac aeſtuandi notione orta et videntur nomina, פָּרוּר *olla*, et פּוּרָה *torcular*, quod et Jeſ. X, 23. pro פארה a multis legi pag. 1990. jam dictum.

2014. פור *ſors*, Eſther. III, 7. IX, 24. feſtum פורים.

Haec de Hamane legenti, הפיל פור הוא הגורל, *jecit Fur, id eſt, ſortem*, vix dubium videri poterit, *Fur* Perſicum nomen eſſe, ſortem ſignificans. Nec tamen ullum ejus veſtigium in lingua Perſica erui hucusque potuit. Ergo ſi vera narrat ſcriptor, his accenſendum, quae nobis perierunt. Eſt tamen liber perquam ſuſpectus, ſuſpecta tota hiſtoria. Etymologias Arabicas et Graecas dedit in lexico Simonis, parum veriſimiles, negans vocem Perſicam eſſe.

Mihi quidem figmentum ſcriptoris, in Aegypto hiſtoriam Eſtherae commenti, linguaeque Perſicae ignari videtur; curque ita de libro ſentiam, in toto N. T. non laudato nec laudabilis argumenti, in notis germanicis rationem reddidi. De feſto פורים quid ſuſpicer, in notis ad Eſth. IX, 24. dixi: mihi videri eſſe, *feſtum torcularium*, in memoriam ingentis victoriae, quam Judas Maccabaeus die 13 menſis Adar a Nicanore reportavit, ſuſpenſaeque paulo poſt, forte die 15, manus blasphemi Nicanoris in templo, per dies 13, 14, 15. celebratum, 1 Macc. VII, 48. 49. Sed haec nolim iterum ſcribere atque evulgare, in notis germanicis, ad quas ablego, relegenda.

2015. פרשׁ Jerem. L, 2. Nahum. II, 18. Habac. I, 8. Malach. III, 20.

His quidem accedo qui cum فيس *ſuperbire* conferunt, quod eximie aptum Habacuci verbis c. I, 8. פשׁו פרשׁיו *ſuperbiunt equites ejus*. Habent tamen ibi duo codices Kennicottiani ופרשׁו, idque expreſſiſſe videntur LXX, ἐξιππάσονται οἱ ἱππεῖς αὐτοῦ. De vitulis poſitum Jerem. L, 2. (ad quem locum vide Schultenſium) Malach. III, 20. ſuperbire eſt, *pabuli ubertate geſtire, et laſcivire*, complectens etiam, quam veterum haud pauci exprimunt, *exſultationem*.

De

De solo aliquid dubito Nahumi III, 18. *dormitant pastores tui* בְּפּשׁר עמך על ההרים, ubi vix locum habere laetior significatio videtur, aptiorque Syriaci verbi ܦܫ *remansit, aberravit, discessit*. Sic ibi LXX ἀπῇρεν ἐπὶ τὰ ὄρη, Hieronymus in Vulgata, *latitavit in montibus*, inque commentario, *dispersus est*, sicque et Chaldaeus, Syrusque, אתבדרו. Eventum vaticinio comparans mallem, *remansit in montibus*: ut Bactrianorum praedicatur a Sardanapalo, cui opem laturi venerant, defectio. Vide Diodorum Sic. l. II. c. 26.

2016. פזר *dispersit.*

Ad verbum Ps. CXII, 9. Prov. XI, 24. de largis eleemosynis positum, confer similem usum Syriaci ܦܪܢܣܗ ܟܠ ܠܚܣܝܪ̈ܐ *disperge pauperibus*. Assem. Bibl. Or. T. I. p. 426.

2017. פחדים *femora* Job. XL, 17.

His accedo, qui *femora*, non qui genitalia vertunt: vide omnino Schultensium ad h. l. Id unum addo, eadem voce, ut nota, hic uti Syrum, ܦܚܕܘܗܝ, quam Arabs reddit, افخاذه *femora ejus*, et Chaldaeum, פחדוי. Genitalia, quae lexica habent, Hieronymo debentur, *testiculos* interpretato.

2018. פח *laqueus, decipula, fulmen.*

פח plur. פַּחִים, idem Arabico فخّ, *laqueum*, indeque *decipulam* esse, dubio caret, licet unde nomen ductum sit, non constet. Plerumque de laqueo ponitur, quo quis capitur, ut Jes. XXIV, 17. adscendens ex fovea, quam decipulam cum Arabum lexicographis dixeris. De *laminis tenuissimis* in quas aurum malleando diducitur, Exod. XXXIX, 3. cum ponitur, videntur et hae laminae, oblongae, a funis similitudine nomen accepisse, *tenues auri funiculi*: massas quidem crassiores ipsum filum orationis repudiat, unde vix videntur audiendi, qui Ps. XI, 6. פחים *lapides grandinis* a massarum similitudine dictos interpretantur.

Est quidem hic locus, ימטר עליהם פחים אש וגפרית *pluere faciet super illos laqueos, ignem et sulphur*, ex difficilioribus, varie ab interpretibus et lexicographis tentatus, de quo et mihi dicere sententiam liceat. *Fulmina* intelligo, quorum longi tractus, a coelo ad terram pertinentes, *funis vibrati* similitudinem quodammodo referunt. Sic Arabibus fulmina سلاسل

سَلَاسِل *catenae* dicuntur, Homerusque aliquoties ἱμάσσειν de jactu fulminum ponit. Vide notam nostram 40. ad Lowthi praelectiones de poesi Hebraeorum. Prunas qui vertunt, ab exsufflando dictas, etymologice quidem non improbabilia adferunt, nec tamen usu linguarum confirmata. Jam rationem reddidi, cur in bibliis germanicis, *der geschlängelte Blitz* verterim.

Etymon latere dixi. Conjectura si tentanda, forte prima vis verbi in *flaccido et pendulo fuit:* فَشَخ *languor et flacciditas pedum*, فَشَخَة *arcus lenis flexilisque, somnus resupini, et cum rhoncho*, فَشَخ *rhonchissavit, stertuit*, إِفْطَنْس *paralyticus factus est*. Malim vero aliquid ignorare etymologici, quam haec pro sententia dicere.

2019. פטר Ps. XXII, 8.

Illis omnino adsentior, qui יפטירו בשפה, de *irrisione* intelligunt, *labiis distentis*. Solam illustro phrasin et constructionem cum ב. Subintelligi videtur, שִׁנַּיִם *exserunt dentes per labia*, quod est ridentium. Sic فطر 1) *findere*, 2) deinde *dentes exserere*. Habes jam constructionem, *exserunt per labium* nudatos dentes. Arabibus dentes, quos in ridendo exserimus, ضواحك *risores* dicuntur. Vide et Chrestom. Ar. p. 39. *risit Muhammedes, ut dentes ejus adparerent.*

2020. פַּטִּישׁ *malleus.*

Cum sint, qui securim vertunt, ut LXX Jerem. XXIII, 29. ratio reddenda, cur consvetam versionem, *malleus*, praeferam. Arabibus فطيس *malleus ingens ferrarius*, ex hoc Hebraicum nomen explico.

2021. פִּי *Phy!* מְפִיבֹשֶׁת.

فِي Arabibus est particula ex sono naturali orta, ut lexicographi dicunt, *admirantis*, (Rom. XI, 33. in Arabe Erpeniano, sed sic potius فِيَا scribenda) *dolentis*, itemque, ut Castellus monet, *Phui*, seu Phy latinorum. Cognata illa cum تُفًّا *phy*, de qua sub תפף, si opus videbitur, dicemus: hac exspuentes uti Arabes solent. Habent eam, ut asserit Camus ad أُفٍّ quadraginta formis. Hoc ipsum أف Geuhari explicat, *interjectio*-

ctionem fastidientis et detestantis, phy. Exemplum habe Sur. XXI, 67.
أُفٍّ لكم ولما تعبدون *phy vobis, et illi quod praeter Deum colitis.*
Hinc nomen ductum מְפִיבֹשֶׁת filii Jonathanis proprium 2 Sam. IV, 4.
IX, 6. itemque alicui ex Sauli filiis 2 Sam. XXI, 8. si modo genuina haec
pericopa, nec, ut suspicari ex nonnullis possis, spuria, vertendum, *Phy*
dictum sit Baali, exspuendus, abominabilis Baal, plane ut in loco Cora-
ni vixdum citato. Est participium verbi a particula orti, qualia et ha-
bent Arabes, ut أُفَّفَ *phy dixit.*

2022. פיבסת Ezech. XXX, 17.

Ex consveta interpretatione, *Bubastus*, Aegypti urbs ad brachium
Nili Orientale, Bubasticum ab urbe dictum: verisimillime, cum, ob ipsum
vocum concentum, tum quod praeivere, graves in geographia Aegyptia
auctores, LXX, Βουβάστου, quos et in Vulgata sequitur Hieronymus.
In Hexaplis Syriacis ܒܘܒܣܛܘܣ exprimitur: Arabs quod ex LXX ha-
bet, وبسطة, scriptionis vitium esse videtur, pro, وبوبسطة.
Aquila, Symmachus et Theodotio cum hic nec in Montfauconii Hexa-
plis citentur, nec in Syriacis, videntur cum LXX consensisse. Solus ali-
ter, sed manifesto errore, Syrus, ܡܦܣ, *Memphis.* Etymologias
nominis si quis cupiat, inveniet in Simonis Onomastico p. 594. mihi in
nomine Aegyptio Hebraicae displicent, probabiliores Copticae, nec ta-
men illarum judex esse ausim. Initialis syllaba non mihi est פי Hebraeo-
rum, sed ΠΙ articulus determinatus Coptorum, praemitti nominibus so-
litus, praeferoque eorum codicum a Kennicotto indicatorum scriptio-
nem, qui ut unam vocem פיבסת scribunt. Nulla alia in vocabulo varia
lectio, quae forte exspectaveris פובסת aut בובסת, in Kennicotti codi-
cibus non inventa. In versione Coptica Ezechielis quomodo nomen scri-
ptum sit, scire cuperem.

2023. פִּיד vel פִּיד Job. XII, 5.

Illis omnino adsentior, qui לַפִּיד בוּז Job. XII, 5. ad radicem פיד
referunt, non ad לַפִּיד *facem.* Displicet ipsa phrasis, insolita alias, *fax*
contemta, nec expediunt rem, qui Germanicum, *ein verachtetes Licht*,
conferunt, ipsam forte per Lutheri versionem nostrae linguae invectam,
nec enim ex lingua Germanica firmandus usus Hebraeorum, nec, *fax*,
et

et *Licht*, seu ut Lutherus posuit, *Lichtlein*, eadem. Deinde ipsis pene auribus credo, ל in לפיד praefixum esse, ut in sequente לעשתות. Quid autem פיד hic significet, valde dubium, plura, ac primo adspectu sejunctissima offerente lingua Arabica, cui soli ex vivis linguis Orientalibus فيد usitatum, ac valde frequens: ex vivis inquam, nam magistralis Thalmudicorum etiam פיד habet, *singula grana rostro captat vel legit*, *gallina*.

1) فيد est, *jactanter incessit*, unde فيّان *superbe incedens*. Hoc ad nostrum si locum transferas, habebis: *superbiae contemtus paratus est, et hilaritati tranquillorum: firmitas autem ac stabile vestigium vacillantibus pede*, egregia sane sententia, hunc versum solum si legas, moneret enim Jobus amicos, caveant sibi prospera fortuna utentes, facile enim fieri posse, ut fortuna mutetur. At obstare videtur versus sequens, prosperam malorum fortunam canens, non ejus mobilitatem.

2) فيد est et, *mori*, ita tamen ut hanc significationem ab alia consona radice accepisse videatur, sive a فان pro فون, quod ipsum ortum volunt lexicographi a فوت, *fugit, abiit, mortuus est*; sive a فأد *laetit in corde*, verbo denominativo a فؤاد *cor*. Hinc quidem Hebraicum פיד Job. XXX, 24. *mortem*, et Job. XXXI, 29. Prov. XXIV, 22. *exitium* significare videtur. Nostro vero loco haec mortis seu exitii notio parum apta videtur.

3) *Infortunium* vertit Schultensius, egregia sententia: *calamitati vilitas adest apud splendidam prosperitatem fortunae*. Verum nullo exemplo probat, فيد *infortunium* esse, neque haec significatio, lexicis ignota, Schultensio sine exemplis credi potest, maxime cum contrariam plane, *utilitatis, opum, ditescendi*, sub فيد inveniamus.

4) فيد est et, *obtigit commodum, profuit, firmae fuerunt opes, lucratus est, dives factus est*, quae significatio, Arabibus longe frequentissima, atque in lexico Castelli exemplis abunde cofirmata, cum Thalmudico *grana legere*, conjuncta, atque a colligendo orta. Sed ea Jobi XII, 5. locum habere vix possit.

5) His dubitatis ad primam *superbiae* et *jactantiae* significationem revertor, sic loco aptam si versuum interstinctione migrata construas, תמים לַפִּיד בוז *integer superbiae est contemtui*, sive etiam לַפִּיד *superbo*: contextui sane haec sententia apta.

2024. פִּיל *elephas*, פול Jes. LXVI, 19.

فيل notissimum Arabibus nomen, *elephas*, Chaldaeis, Syrisque,
פילא, ܦܝܠܐ in Hebraicis quidem non occurrit, notandum tamen ob
derivata.

Huc referunt verisimillime nomen פול Jes. LXVI, 19. explicantque,
Elephantinen ad Nili catarrhactas. Vide omnino, quem non compilo,
Bochartum, p. 268–270. geographiae sacrae. Est nempe duplex in Ni-
lo circa catarrhactas insula et urbs, ab elephantorum copia dicta, *Ele-
phantinae* et *Philae*, de quibus et vide Cellarium in Africa, p. 77. et 86.
forte altera פול adpellata, altera פיל. Adcuratius inquisiturus in ea,
quae antiqui geographi, sed ipsi non αὐτόπται auditu retulerunt, confer
Nordenii, qui ipse haec loca adiit, itinerarium, p. 209. imaginesque ae-
re expressas. Invenies in his paulo supra catarrhactas, Tab. CXXXIII.
sub milliari 179. plures in Nilo insulas valde saxosas, quarum una illi,
جزيرة الحيف *Elhaif olim Phile*, et tab. CXXXVI. CXXXVII.
CXXXVIII. CXXXIX. CXL. CXLI. CXLII. plures prospectus et monu-
menta insulae. Meum jam non est, in haec hic geographica inquirere,
admoneo solum adcuratius inquisituros, quis consulendus, quibus jam
addo Brucium, necdum a me expensum.

Caeterum nullus hoc loco veterum sive Elephantinen, sive Philas
clare praeivit. Chaldaeus Syrusque nomen Hebraicum iisdem literis scri-
ptum retinent, ܦܘܠ, פולאי. LXX Φοὺδ vertentes, aut פוד legisse aut
פוט videntur, sicque et Hieronymus, *Africam* vertit, in commentario
p. 507. dubie adscribens: *Phud autem sive Phul, Libyes, omnisque Afri-
ca usque ad mare Mauritaniae, in qua fluvius, qui Phud dicitur, et cuncta
circa eum regio Phutensis adpellatus*. Vide num. 2007. scripta de פוט. In
codicibus Hebraicis nulla lectionis varietas hucusque observata, ne haec
quidem, quam exspectasses, פיל.

2025. כפילים *gigantes*.

Plane illis adsentior, qui

1) *gigantes* interpretantur, praeeuntibus Genes. VI, 4. LXX. Theodot.
Onkeloso, Syro, Samaritano, Arabe utroque. Certe ex Num. XIII,
33. manifestum, viros majoris et insolentioris staturae fuisse: quo loco
lecto displicet, quod ad כפל cadere referentes habent, Aquila, *οἱ ἐπιπί-
πτοντες*, alii, *apostatas*, vertentes.

2) Re-

2) Referendum esse ad radicem فيل *crescere*, ita tamen, ut nomen فيل *elephas* in subsidium vocemus, exque eo insolentiora staturae augmenta etiam in verbo intelligamus.

Habet nomen cum Hebraica commune lingua Chaldaica, נְפָלָא seu potius, נְפָלָא, pluraliter נפילין, de quo cum jam sub כסיל p. 1319. 1320. egerim, ibi dicta non repeto. Punctatio נְפָלָא ab erronea derivatione a נפל, Judaeis consveta, orta videtur, quorum aliqui volunt, gigantes a *cadendo* nomen habere, quod iis conspectis terrore concidamus. Cuperem, ab illis, quibus codices Chaldaici ad manus sunt, hos illis locis inspici, ex quibus נְפָלָא citatur, meque edoceri, nulline נְפָלָא sive adeo נפילא habeant?

2026. מפל Job. XLI, 15.

מַפְּלֵי בשׂר, in quo nulla mihi interpretationum, (quas vide a Schultensio enarratas) satis probatur, ausus sum, mutatis punctis מִפְלֵי ad nostram radicem referre, et vertere, *gigantea corporis ejus membra.* Rationem versionis reddendam censui, sed id faciens, timere illi incipio, nullo codice, quod ante editam Kennicotti collectionem sperabam, plene מפילי habente.

2027. פים Ps. XVII, 10?

Ex interpretationibus controversorum verborum, חלבמו סגרו פימו Ps. XVII, 10. verisimillima quidem visa est Telleriana, *adipe obturant os suum*, i. e. delicate vivunt, quam et in versione germanica sequutus sum. Possit tamen et ut verbum efferri, פִּימוֹ vel פִּימוֹ, duplicem offerente interpretationem Arabia, immo lingua Hebraica, ut ne haec verisimilia negligenda videantur.

1) Ex sequente פִּימָה *adeps, pinguedo*, verbum esse possit, *pinguescere*, ut Arabicum فأم. Sic prodibit: *claudunt adipem suum, pinguescunt.*

2) قَيِّم *validus* est: hinc vertere possit, *unguibus suis pugnant, invalescunt.* Vide p. 747. infima.

Nec ut sententiam haec dico, aliam sequutus, sed ut opinabilia, quae mihi se obtulerunt, forte lectorum nonnullis probabiliora quam mihi futura.

2028. פִּימָה Job. XV, 27.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo, variisque eruditorum tentaminibus omnino relegendus ad hunc locum Schultensius. Πιμελὴν Symmachus, exque eo *arvinam* reddidit Vulgata: فَأَمَ, media radicali Kesrata فَئِمَ *adipe plenum fuit in camelis scapularum interstitium*, فِئَامٌ *stratum pilenti camelini* a crassitie et mollitie dictum, مِفْأَمٌ *interstitium scapularum adipe impletum habens camelus*. Uni Cromayeri dubio, *facere pinguedinem* phrasin non satis concinnam esse, non satisfecit Schultensius, quod expedituri meminerimus, עשה et esse, *texit*, vertamusque ויעש פימה על כסל *obtexit lumbos pinguedine*. Syrum hic aliter legisse, כימרה, sub hoc nomine jam dictum p. 1268.

Ad ea lexica intelligenda, quae strigas vertunt, sciendum, Chaldaeum רוטבא vertisse, quo de nomine Chaldaico Buxtorfius p. 2250: *ruga, striga* ועבד רוטבא עלוי כפלא *fecit strigas super ilia Job. XV*, 27. *Quidam arvinam interpretantur, quasi succum pinguem*. Chaldaei, perquam recentis, in Jobo exigua auctoritas; sed meliora in obscuro vocabulo explicando praesidia non habentes Judaei in lexica receperunt, ut Kimchius: *sunt rugae in ventre viri pinguis*. Etymologiam etiam, sed parum verisimilem, addens Raschi in commentario, *fecit plicaturam super lumbos, nam adeps ejus et densitas pinguedinis ejus duplicata fuit super ilia et oris speciem praebuerunt*, (contulit Aramaeum פום os) פימה *est a derivatione: et fuit* פים, *lima*, (1 Sam. XIII, 21.) *i. e. ora habens, quae est lingua Gallica, lime*.

2029. פִּים 1 Sam. XIII, 21.

Ἅπαξ λεγόμενον, ac valde obscurum vocabulum, quod sub פֶּה, ut plurale ejus, habere lexicographi recentiores solent. Mihi ultima litera מ radicalis videtur, conferendumque Aramaeum, פום, פֻּם, ܦܘܡܐ, Arab. فَمٌ, فُمْ, فَمْ *os, acies gladii*, ut sit *instrumentum, quo aliquid στοματίζεται*

acui-

acuitur, forte explicatio praecedentis פְּצִירָה, vel etiam id ipſum, quod lima aut alio inſtrumento acuitur. Varie vertunt veteres:

1) Chald. לְחַרְפָּא בֵּיהּ *ad acuendum eo:* ille quidem mihi proximus.

2) Anonymus, pro plurali nominis פֶּה habens, στόματα.

3) Syrus, qui praecedens nomen *limam* verterat, ܦܬܝܐ *quae lata erat*, indeque Arabs, *ex lima lata.* Hoc, *latum*, unde ſumtum, non video.

4) Vulgata, plane contrario ſenſu, *obtuſae (erant acies vomerum).* Mihi quidem in obſcuris dubitanti, tres ſe explicationes offerunt: 1) *et ſic acies fiebat acuta*, i. e. acuebatur, ita tamen ut פִּים ſubſtantivum ſit, non adjectivum, ne in genere nominis maſculino adhaereamus. 2) *et ferrum acutum erat lima, ſeu inſtrumentum acuendis reliquis ad agri culturam pertinentibus:* ferrum ferro acuebant. 3) *et habebant limam ſeu acuendi inſtrumentum*, פִּים *dictum.*

Tentaſſe, et dubitaſſe, atque adhuc dubitare, ne ſit in obſcuris et ἅπαξ λεγομένοις pudori.

2030. פִּישׁוֹן Geneſ. II, 11.

Nomen fluvii Edenitidem rigantis, ad regionem Chavila auri divitem: relegenda ergo hic, quae ſub חוילה p. 686. 687. ſcripſimus.

Mitto eos, quibus nullo indicio aut nominis ſimilitudine, ex ſola conjectura, פִּישׁוֹן Ganges eſt, aut Indus, aut Hydaspes: Hyphaſis, in Indum influens, quem alii volunt, ſono nominis quodammodo concinit, ſed a quo Tigris et Euphrates tanto ſejuncti ſunt intervallo, ut de eo cogitare vix liceat; niſi paradiſum Adamo et Evae conceſſum, orbem aliquem terrarum, Aſiae fere dimidiam partem, facias. Nec ulla ibi Chavila. Vide tamen ſcripta in ſpicilegio geogr. T. I. p. 190.

Nec audiendi ex recentioribus, qui ex mera conjectura etymologica arreptum celebrem aliquem fluvium, Fiſonem faciunt, licet nuspiam hoc nomine vocetur. Geographia non ex etymologiis condenda. Sic quidem

1) Clerico Chryſorrhoas eſt Damaſcum rigans, ſive a פָּשָׁה *diffudit ſe*, ſive a فشا *dimanavit in publicum.* Atqui duorum fluviorum, qui Damaſcum rigant, neutrum ſive Graeci hoc aut conſono nomine vocant,

cant, sive indigenae: Hebraeis sunt, אֲבָנָה vel אֲמָנָה et פַּרְפַּר. Arabibus *Bardi* vel *Barda* (بردى) et *Fege*.

2) Lakemachero, ipse *Jordanes*, ab inundatione (פרש) vicinae terrae ita dictus. Nullum hujus nominis in Jordane vestigium, ac plane non opinabile, Mosen, qui eum toties Jordanem vocat, hic alio, atque inaudito nomine usurum.

Caeterum et Chrysorrhoae et Jordani obstat, quod inter illos et Euphratem vasta deserta ac sitientia: haecne pars Paradisi?

Bocharto et Huetio פישון brachium est Orientale Euphratis, per quod sinui Persico miscetur, quae sententia, licet permultorum tulerit suffragia, parum videtur verisimilis. ראש *caput* fluvii, quod fontes ejus Originalibus significat, nullo linguarum usu in brachium mutatur. Nulla, ut supra monitum, in hujus brachii vicinia Chavila, et vero auri dives, sed Chavila in intima Arabia quaerenda. Nec recte de brachio pauca emetiente milliaria, dixeris, *quod TOTAM circumit terram Chavila*. Adde, quam supra hoc brachium paradiso sedem adsignant, parum illi aptam videri: angustior est vallis arida inter deserta, nec valde delectabilis, cui Euphrates quibus mensibus exundat, innatat, hoc ergo anni tempore paradisus deserendus fuisset, inque deserta, Euphratis exundatione altiora, ideoque sterilia confugiendum. Nominis aliquod vestigium in his Strabonis, p. 729. al. 1060. reperisse sibi videntur, *alii dicunt, flumina omnia quae Susiam pervadunt, in Tigris alveum illabi atque Euphratis fossas utrumque flumen jungentes, et propterea eum apud ostia Pasitigrim nominari*. Incerta, ut ex ipsis Strabonis verbis liquet, narratio, sed fac exitus Tigris Euphratisque hoc nomen accepisse, quod Pasitigris a Susiis ab Oriente veniens Tigri mixtus est, vix tamen potuerit occidentali brachio proprium fuisse, ut illi volunt, orientale Gihon, occidentale Fison vocantes. Orientale illo nomine dignius, sicque et alii statuerunt, sed quos refellit Huetius.

Pasitigris si ob soni aliquem concentum est פישון, cur non potius ipsum fluvium intelligamus a Susiis venientem? quem loco citato Strabo, et his verbis Curtius l. V. c. 3. describit: *Pasitigrim incolae vocant. Oritur in montibus Uxiorum, et per quinquaginta stadia silvestribus ripis praeceps inter saxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo praeterit, jam navium patiens. Sexcenta stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat.* (Nempe non in Ti-

Tigrim, ut volebant alii, sed in ipsum Persicum sinum influere audierat.) Haberes sic sane, si vera tradunt, qui eum Tigri misceri, dicunt, tria flumina, sui omnia fontis, (ראש) in unum coeuntia, verbis Mosis convenienter. Obstat tamen, primo quod nullam ad Pasitigrim Chavilam ostendit geographia: deinde quod inferiora Euphratis Tigrisque, ubi Pasitigrim accipiunt, parum apta paradiso, ob rationes vixdum allatas.

Verisimilior multo Relandi sententia, in dissertatione de paradiso dicta, cui פישון est *Phasis* fluvius, qui Ponto Euxino miscetur. Sed unum obstat gravissimum dubium, quod Genes. II, 10. legenti, quatuor flumina Edenitidis ex totidem fontibus orta, in unum coire flumen videbuntur: at Phasis non solum non miscetur Euphrati Tigrique, sed in diversa tendit, inque mare exit.

Xenophon, Graecos domum reducens, a Tigri veniens, fontesque Euphratis praetergressus, (libr. IV. de expedit. Cyri, c. 5.) superato aspero montium jugo, ad Phasin fluvium pervenit, cujus accolae Phasiani, (c. 6. §. 3.) quo trajecto ad Taochorum Chalybumque pervenit regionem, atque fluvium Harpasum, (c. 7. §. 13.) Hic quidem Phasis non paucis visus Araxes. Vide, ipse judicaturus, *d'Anvillii Asiae minoris et Syriae tabulam geographicam* circa gradum latitudinis 40, longitudinis 60. Sic Araxes possit פישון esse, ad quem aliquid *Chavilae* sono concinens, offerre geographiam pag. 687. monitum. Equidem huic disputationi, dubiae et ancipiti, immergere me nequeo, nimis illa longa: Ptolemaei tabulam Asiae tertiam si sequaris, ad verum Phasin ac nostrum Xenophon pervenerit; sed sunt in ea tabula multa erronea, nec tamen vel recentioribus ipsisque d'Anvillianis satis certa ubique fides, sunt enim hae terrae nimis incognitae. Vacare autem hac omni disputatione possum, quod, si vel certum, Araxem et Phasin dictum fuisse, noster פישון vix esse possit, nuspiam, ut Fison Mosaicus, in Tigrim Euphratemve influens, sed ab illis sejunctus in diversa tendens.

Quid de Fisone Paradisi Armeni statuant, cum scire cuperem, Adlerus, Romae tum degens, Armenum interrogavit, in Georgia (Gurgestan) natum, qui multa per patriam itinera fecerat. Adscribo ejus responsum, sed in quo ad multa adhaerebunt geographi: *Phison est fluvius, nostro tempore Gjorok vel Pasis dictus. Oritur in Armenia, ex monte Carin, multasque transit Armeniae regiones, Spert, Babert, prope a Ponto, deinde perfluit regiones Sonik, Turcice Genik, Taicham, Armeniae majoris,*

ris, Turcice Acalzyke (*), *hinc retroit ad Egheris, Turcice Lasistan, inque mare nigrum exit. Lasistan in hunc usque diem fodinas habet auri argentique, a quibus alicui hujus regionis urbi nomen Turcicum Gimihkanadatum, domum argenti significans, quod multum ibi auri argentique effoditur, et Constantinopolim mittitur, in monetam.*

Horum nihil cum satisfaciat, Phisonem quaerenti, qui cum Euphrate et Tigri confluat, desperemus Phisonem paradisi, donec novae quid lucis adfulgeat. Nec pudori est desperare, cum, ut saepe dictum, regiones circa Euphratis Tigrisque fontes perquam incognitae. Una se mihi conjectura, sed non nisi conjectura obtulit. Ad Nymphaeum, vel Nymphium, amnem, terminalem aliquando Romani imperii, qui ab Oriente veniens in Tigrim influit, *Phaison* urbs est: in d'Anvillii Euphrate et Tigri invenies sub gradu long. 58. latit. $38\frac{1}{6}$. Vide et quae scripsit p. 83. 85. Nymphaeus quo nomine ab accolis vocetur, ignoramus: suspicarine liceat, idem quod urbis, etiam amnis nomen Orientale esse, *Fison*, vel *Faison*? Sic quidem Phisonem haberemus, his quae Moses de fluviis paradisi tradit, aptum. Sed certi quid statuere non licet, donec itineratorum aliquis, aut victor exercitus, terras has prope incognitas adierit, explorarit, nobisque retulerit, quod nomen fluvio sit, urbem *Faison* alluenti.

2031. פלא et פלה.

His adsentior, qui *miraculum*, *mirabile*, ab *occulto* dictum volunt, quam significationem verbum apud Samaritanos habet, atque ex qua fluxit, פלוני de eo positum, cujus nomen ignoramus, Arabice فلان, Syriace ܦܠܢ. Ab occulto videtur ortum, *scrutari*, *investigare*, quod sub ܦܠܐ Syri, sub فلي Arabes habent.

Non paucis adeo locis, in quibus פלא *miraculum* vertimus, *occulti, arcani*, notio prope aptior, ut ex illa accepto verbo magis splendescant: exempli loco pono Jes. XXV, 1. *fecisti arcana* (arcana fatorum) *praedictiones ab antiquo tempore.* Sed hoc quisque suo gustu exploret.

Ab *occulto*, aut si malis, a *scrutando* et investigando, Syris ܦܠܐ est, *parabola*, *aenigma*, *aenigmatice dictum*, vide lex. Syriacum. Egregie apta haec notio verbo בפלאות Ps. XL, 6. cum in sequentibus de sacrificiis

(*) In hujus vicinia Cyrum fluvium habet Büschingius.

ficiis Mosaicis agat vates, quae ipsa Deus non voluerit, nec iis delectetur, sed hac imagine, parabola, aenigmate, arcana de sacrificio vero expresserit. Vide collegium criticum in hunc psalmum. Ex eadem notione et Ps. CXIX, 18. accipiendum videtur, *revela oculos meos, ut videam* נפלאות *occulta legis tuae, aenigmata legis tuae*, i. e. arcanos illos sensus, quos cerimoniis adumbrasti, et v. 129. פלאות עדותיך, *obscura et aenigmatica sunt praecepta tua*, eamque ipsam ob caussam ne latum quidem unguem ab illis discedo. Vide ibi sententiam in notis germanicis copiosius expositam.

Verbum, sed ad radicem פלה referendum, Exod. VIII, 18. IX, 4. XI, 7. XXXIII, 16. Ps. IV, 4. de illis ponitur, quos distinguit, communique sorti mortalium, communibus calamitatibus, eximit Deus. Non pauci haec ad פלא *mirabilis fuit*, retulerunt: Graecus interpres Exod. VIII. IX. XI. παραδοξάζειν vertit, c. XXXIII. ἐνδοξασθῆναι, Ps. IV. ἐθαυμάστωσε. Mihi quidem hic verisimilis eorum opinio, qui פלה a פלא sejungunt, voluntque esse, *distinguere, separare*. Ad hoc etiam verbum הפלה mutatis punctis refero Jes. XXVI, 16. ובל יִפְּלוּ aut si malis in Niphal יִפָּלוּ *nec exsortes communium malorum esse possunt incolae mundi*. Aethiopibus quoque פלו *separavit*.

Arabum lexica, فلاء cum Eliph Hamzato vertunt, افسد i. e. *perdidit*, vel, *injusta vi erga aliquem usus est*, sed, quod doleo, nullo addito exemplo. Adnotaverat Golio pater meus, forte idem esse, quod فلع *secuit*: veri ille quidem non dissimiliter, cum et Thalmudici et recentiores Rabbini *findendi secandique* notione פָּלִי habeant. Hac *perdendi* notione, ipsis jam nota, תתפלא בי Job. X, 16. acceperunt, LXX, δεινῶς ὀλέκεις με, *graviter perdis me, diro me letho adficis*, Syrus, ܡܟܠܒ, تكلب, exque eo Arabs *hostiliter* (vel praedonis prope more) *invadis me*. Secutus sum hos in versione germanica, licet consvetam versionem, Theodotionis, ἐθαυμάστωσας, Vulgatae, *mirabiliter me crucias*, non reprehendam: sed haec invadendi, vim inferendi, videbatur in hoc loco concinnior.

Dan. XI, 36. נפלאות *blasphemiae* sunt Antiochi Epiphanis contra verum Deum prolatae. Possint illae a *miro* dici, sicque censuisse videntur LXX ἔξαλλα, vertentes: possint et a فلاء *perdite, corrupte egit*, vel locutus est, aut si malis a פלי, *findere, diffundere*, unde Rabbinis פָּלִי est *irridere*, quasi, *diffindere labia*. Frequens Orientalibus, a di-

divisione labiorum, dentibusque per illa ostensis, risum et irrisionem dicere. Vide פטר.

2032. פֶּלֶג *canalis.*

פלג, sive etymon spectes, sive usum, non videtur ipsos rivos denotare, sed canales ex rivis fluviisque deductos, quales esse in Oriente, aqua oeconomice et provide utente, solent. Sunt illi varii generis: ubi satis aquae suppetit, e. g. Damasci, fluvius in plures canales perenniter fluentes ita diducitur, ut pleraeque domus aut horti aquam fluentem habeant. Idem et Ispahanae obtinere ex Chardinio memini. At ubi minus aquae, sic agunt ut idem Chardinius T. IV. p. 220. rem descripsit: *pour ce qui est de la distribution de l'eau des rivieres et des sources, on la fait par semaine ou par mois, selon le besoin en cette maniere. On met sur le canal, qui conduit l'eau dans le Champ une tasse de Cuivre, ronde, fort mince, percée d'un petit trou au centre* (haec artificiosa mensurae non tribuo veteribus) *par où l'eau entre peu à peu, et lorsque la tasse va au fonds, la mesure est pleine, et on recommence, jusqu'à ce que la quantité d'eau convenue soit entrée dans le Champ. La tasse est d'ordinaire entre deux à trois heures à s'enfoncer. — — Les Jardins payent tout par an, pour avoir de l'eau tout de fois par mois: l'eau ne manque point d'être envoyée au Jour nommé, et alors chacun ouvre son Canal pour y recevoir de l'eau. — Il faut savoir, que chaque Province a un Officier établi sur les eaux de la Province, qu'on appelle Mira, c'est à dire Prince de l'eau* &c. &c.

Maximum ejusmodi canalium *Mareba* vel *Saba*, olim habuit, aqua rivorum in piscina magna servata, ex qua ad dimidium diei iter quaquaversum campi cultissimi canalibus rigabantur. Vide Reiskium de *Arabum epocha vetustissima.*

Canales, non rivos intelligi, argumento est primo etymon, a *divisione* ductum. Certe rivos non bene *divisiones aquae* dixeris. Deinde et usus Job. XX, 17. a rivis et fluminibus distinguuntur, פַּלְגּוֹת נַהֲרֵי נַחֲלֵי דְבָשׁ, cui sine dubio sunt, fluminum rivorumque *canales*: itemque Ps. XLVI, 5. ut aliquid e fluvio deductum describuntur. Jud. V, 15. 16. populi sunt pastoritii oves adaquantis, quod ad canales fieri solebat. Prov. V, 16. ex fonte in plateas effluunt. Sed locus clarissimus Prov. XXI, 1. ubi cor regis comparatur non rivis, qui flecti nequeunt quo velis, sed canalibus, quorum ope aquam vertit illis praefectus quocunque vult. Jes. XXXII, 2. non rivi intelligendi, qui non sunt in terra arida, arida enim non

non esset, si rivos haberet, sed canales, quibus arida loca, alioquin sterilia futura, rigantur. Quin Ps. I, 3. vix possunt rivi intelligi, ad has enim raro sunt arbores frugiferae, nimia aqua moriturae, sed salices.

Habet Golius p. 1821. فِلْجٌ *fluvius parvus*, itemque فَلَجٌ *fluvius parvus*, *rivus*. Sed nondum apud scriptores reperi, unde adhuc ambigo, sitne rivus naturalis, an artificialis qualem antea descripsi.

2033. פֶּלֶג *Phaleg*. Genes. X, 25.

Non nomen viro, a parentibus, sed cognomen historicum, a posteris inditum, quod ejus tempore terra divisa, de quo si plura cupis, adi spicilegium geogr. T. II. p. 145 – 148.

2034. פִּילֶגֶשׁ *pellex*.

Nomen antiquissimae jam et Mosaicae aetatis, Genes. XXV, 6. XXXV, 22. sed soli linguae Hebraicae proprium, reliquis ignotum Orientalibus, ut vel hanc ob caussam exoticum videri possit. Cum Graeco παλλακή et παλλακὶς, *puella*, ex quo et latinum *pellex* ortum, sono ita concinit, ut prope auribus nostris credamus, Graecae esse originis, pro Σ nominis παλλακὶς ש posito: nec obstat, nominis Hebraici, a Mose jam usurpati, summa antiquitas, ultimis enim jam temporibus, ut auctor est Herodotus libr. I. §. 12. Phoenices puellas ex Graecia raptas patriae invexerunt, hic cum merce et mercis nomen παλλακὶς in Phoeniciam ejusque linguam, immigravit. Vide et supra sub לפיד scripta.

2035. פלדת Nahum. II, 4. 1 Macc. VI, 18.

Plane illis adsentior, qui פְּלָדֹת Nahumi ad فلذ *secuit*, referunt, unde et *ferrum*, *chalybem*, فولاذ, *ferroque Damasceno constans* مُفَلْوَن Arabes dicunt, Syrique, *ferri genus praestantissimum*, ܦܘܠܕܐ, (secans.) *Falces* sunt curruum falcatorum. Caeterum malim mutatis punctis פְּלָדֹת הרכב interpretari, *falces curruum*, atque pro באש cum codicibus editionibusque a de Rossio indicatis legere, כאש, *ut ignis* sunt, vel splendent *falces curruum*. Quamquam et ex consveta lectione, si eam ex ב essentiae Arabum interpreteris, eadem prodit sententia, *ignis sunt falces curruum*. Obverti posse video, ex analogia linguae Hebraicae et Arabicae פלזת per Zain scribendum fuisse: verum nec ea lex perpetua, atque Na-

Nahumus in Assyria degens, potuit Aramaeum morem sequi, Daleth poscentem.

Ἡνίας τῶν ἁρμάτων, incertum, utrum *fraena curruum*, an, *equos curruum*, verterunt LXX, ex conjectura ut videtur, nulla enim lingua-rum Orientalium hac significatione פרך agnoscit. Hieronymus, *igneae habenae curruum*, idque in commentario interpretatur, *in ardentibus loris velocitatem praeparantium significat*; sed rationem philologicam versionis non reddit.

In notis germanicis ad 1 Macc. VI, 28. monui, pro פלגות, quod mihi verius videatur, LXX et Syrum פרדות legisse, vertunt enim illi, ut in Nahumo, ἡνίας, hic ܡܪ̈ܟܒܬܐ *currus*.

פלה quaere sub פלא.

2036. פֶּלַח *lapis molaris* Jud. IX, 53. 2 Sam. XI, 21. Job. XLI, 15.

Illustrando vocabulo, de quo multum dubitatur, adscribo verba Schultensii ad Job. XLI, 15. "in Camuso reperio, قلخه سلعه والقليخ الرحاء او احد رحي الماء واليد السفلي منهما ra-„dix פלח est *fidit, diffregit: unde* פליח *est mola, aut unus lapidum mo-„lae aquariae, et utriusque pars inferior.* In margine pro فليخ ad-„scriptum a recenti manu فيلخ atque ita in lex. Gol. editum". In Castelli lexico Arabico addi etiam video, *fregit, ita ut sanguis efflueret*, in sec. *verberavit*. Caeterum fateor, Jud. IX, 53. 2 Sam. XI, 21. et bene verti posse, ut praeiverunt veteres, *fragmentum*, (lapidis molaris superioris): ex nostra autem significatione si explicare velis, פלח רכב erit, *lapis molaris inferior*, *superiori subjectus*.

2037. פֶּלֶךְ.

Praeter duas significationes satis certas, quas vocabulo dare lexicographi solent, tertiam non pauci addunt, atque primam adeo faciunt, *baculus*, *scipio*, perquam dubiam, ac me judice expungendam. Mihi quidem sic videtur,

1) prima radicis notio, ut jam aliqui, Stockium honoris caussa nomino, monuerunt, est in rotunditate. Arabibus تفلّك *rotandus fuit*, unde

unde et fororiantes mammas dixerunt; فَلْكَةٌ *orbis coeleftis, tumentior rotundiorque pars cujusque rei,* Samaritanis פלך *orbis coeleftis,* Gen. I, 15.

2) Urbes in *circulos* dividuntur, hinc פלך *pars aliqua urbis: regiones* etiam et provinciae circuli dicuntur. Sic quidem faepe in Nehemia: loca non enoto, Coccejus indicavit. Idem et monuit, frequenter hac notione Chaldaeis poni: recte quidem, fed monuerim, ubi פלכי דור Chaldaice pro נפות דור ponitur, forte non effe *tractus Dor,* fed *montes Dor.* Arabibus فَلْكَةٌ primo orbis, deinde *tumulus in patentiore campo.*

3) Prov. XXXI, 19. *fufum* fignificare, indubium, quamquam cum *manus fuas,* pluraliter, extendere ad פלך dicatur, melius forte, *fufum* et *colum* conjunxeris. Arabibus فَلْكَةٌ *orbiculus fufi muliebris.* Schultenfius ad h. l. "فلكة المغزل eft *orbiculus netorius,* ita dictus, ut „monet Gjeuhar, لاستدارتها *a circumvolutione ejus,* five *gyratione:* „nempe تفلّك exponitur ab eodem, استدار *circumvolutus, in orbem actus fuit".* Enoto, quod alii a bacilli fimilitudine nomen five fufi five coli notione etiam Thalmudicis ufitatum, manaffe volunt. Vide Buxtorfii lex. Thalm.

4) Jam quartam, *baculi, fcipionis,* notionem perquam mihi fufpectam videri dixi. Primo nullum in linguis Orientalibus hujus fignificationis veftigium, deinde ex folo loco adfertur 2 Sam. III, 29. novae fignificationi probandae parum apto, *fufum* enim et ibi vertere quid prohibet? Praeiverunt certe ex veteribus, Aquila ἄτρακτος, Vulgata, *fufus,* Syrus ܡܥܙܠܐ, exque eo Arabs, فقير يغزل الشعر, *pauper qui filanet.* Apta loco fignificatio, miferrimum enim, magni ducis bellici pofteros non ad ferviles folum humilesque, fed et muliebres operas, ad fufum detrudi. Illuftrior etiam fententia, teneri fi poffit quod fufpicatur illuftris Henslerus (*) θήλειαν νόσον, *muliebrem morbum Scytharum,* quo infecti muliebres veftes fumere, ac muliebria opera facere adacti fint, ex venereorum genere fuiffe: conjungitur enim, *gonorrhoea laborans, leprofus, et fufum tractans,* qui quidem *muliebri morbo laborans* effe posfit. Sententiam nondum dico, fed exfpecto fecundam partem libri, in qua co-

(*) Henslers Gefchichte der Luftfeuche Th. I. p. 211. 212.

copiosius hoc de morbo aget Henslerus, perquam verisimilia eum attulisse, ac jam prope mihi persvasisse fateor.

Est tamen et de baculo dicendum. Vix locum habere videtur in maledictionibus, *ne desit in posteris baculum tenens*, grandaevorum enim est baculo se sustinere: sed succurrunt varie, qui de baculo intellexerunt. Alii volunt, de coeco sermonem esse, Raschi de podagrico, Theodoretus de claudo: (σκυτάλῃ χρῶνται τὸ σῶμα πεπηρωμένοι.) Praeivisse interpretationem videntur LXX σκυτάλην vertentes: est autem σκυτάλη, Svida interprete, *baculus crassum habens caput:* forte ab hoc crasso capite, orbe in summo baculi, nomen duxerunt. Chaldaeus, ut nunc legitur, vertit, מתקיף באגר, *prehendens mercedem*, sed ut nos docet Buxtorfius p. 21. lex. Chald. alii legerunt, מתקיף באגר *sustentans se scipione, sustentaculo brachiorum.* Sic et Chaldaeus receptam explicationem, sed mihi dubiam ac displicentem, praeierit.

2038. פלל.

Difficile, diversas verbi significationes ad unam referre originem, est et ubi de ipsa verbi significatione dubitari queat, Arabibus alia, quam Syris.

1) Arabibus فلّ est, *rupit*, *rupit aciem*, hinc, *fugavit exercitum.* Hac significatione apud Hebraeos non invenio. Pro rumpendo si liceret substituere, *secare*, ad hanc originem referre possis, 1) פִּלֵּל *judicavit*, tanquam secuit lites, 2) התפלל *precatus est,* solebant enim Phoenices precantes cultris se concidere. 1 Reg. XVIII, 28. Adblandiebatur aliquando conjectura, sed jam nimis videtur audax, cum usu linguae Arabicae destituatur, malimque etymologici aliquid ignorare, quam eam sequi.

Iisdem Arabibus استفلّ est, *divinare* (נחש) Levit. XIX, 26. versionis ab Erpenio editae, فلّ et استفلال *divinatio, ejusque merces.* Num. XXII, 7. XXIII, 23. XXIV, 1. unde et Aethiopes sub his literis פל *omen, ominumque interpretem* habent. Possis hoc verisimillime transferre ad Exod. XLVIII, 11. ראות פניך לא פללתי *visurum me esse faciem tuam non ominatus sum.* Habent lexicographorum interpretumque non pauci, *non speravi*, quod in sententiae summa idem, jamque intelligitur, quomodo et philologice defendi possit. Non ausus sum, in versione germanica ponere, sed eos sequutus sum, qui verterunt, *ne precari quidem ausus*

auſus ſum: opponi tamen poſſit, התפלל in Hithpael eſſe *precari*, non פלל in Piel. Omen ac divinationem unde dixerint Arabes Aethiopesque, non conſtat. — — Hoc ipſo in loco LXX et Vulgata verterunt, *οὐκ ἐστερέθην, non ſum fraudatus adſpectu tuo:* poſſis conferre, أَفَلَّ *destitutus exſutusque fuit opibus*, (proprie, *ruptus rimoſusque fuit*) فِلَّ *destitutus vacuusque bono:* ſed putem eos ex filo orationis conjeciſſe, non haec ipſis incognita ſpectaſſe Arabica.

II) Syris ܦܠܠ ortumque inde quadriliterum ܦܠܦܠ eſt, *conſpergere*, (ſic et Aethiopibus *ſalire*, de aqua et fonte uſitatum) *inquinare, cruentare, commaculare.* Hinc explicandum, ad noſtram radicem ſi referas, נִפְלַל חָלָל בְּתוֹכָהּ Ezech. XXVIII, 23. *cruentus et in ſanguine ſuo volutatus jacebit confoſſus in medio ejus.* Favet praecedens membrum: *ſanguis in plateis ejus.* Alii ad נפל retulerunt, parum veriſimiliter, conſvetam lectionem ſi ſequaris: praeiverunt quidem veteres, LXX *πεσοῦνται*, Vulg. *corruent*, Syr. ܢܦܠܘܢ, Chald. יִתְרְמוֹן; ſed hi forte נפל חלל legerunt, quod a prima manu in quatuor codicibus Kennicottus et Deroſſius invenerunt.

Mihi quidem haec tanta notionum diverſitas inde videtur orta, quod plures radices פל habentes, in noſtro פלל confuſae ſint.

2039. פְּלִילָה Jeſ. XVI, 3.

Obſcurum vocabulum et *ἅπαξ λεγόμενον*, de quo ſciamus, nihil nos adhuc ſcire. Ex etymologia recentiores plerumque vertunt, *jus, judicium*, a filo orationis aliene, de his enim ſermo, quae profugis praeſtare Moabitis, illisque opem ferre, Israelitae debent. *Decretum*, pro lubitu, ne addita quidem in notis ratione, vertit Clericus. Veteres perquam diſcordes. LXX *σκέπην* vertunt, *umbraculum, tugurium, hoſpitium*, egregie ad filum orationis; ſic idem erit, quod in ſequente membro צִלֵּךְ *umbra tua.* Quomodo vero פלילה hoc ſignificare poſſit, non adſequor. Legeruntne, aut conjecerunt צלילה? ſaepe enim צל *σκέπην* vertere ſolent. Vide Trommii Concordantias. — עצה *conſilium* Chaldaeus, ܪܶܢܝܳܐ Syrus reddidit, i. e. ut vertit cum Gabriele Sionita Caſtellus, *attentam et profundam meditationem*, parallelismo praecedentis membri aptiſſime. Poſſit quidem *conſilium* ſive a *judicando* dici, ſive ab *ominando et augurando.*

Ipſum

Ipſum Syriacum nomen, ſed et in editione operum Ephraemi ܐܘܪܓܢܐ ſcriptum, Ephraemus de divinationibus accepit, adſcribens: ܐܝܬܝ ܩܣܡܐ ܘܥܒܕ ܐܘܪܓܢܐ *venire fac divinationes et fac* ܐܘܪܓܢܐ. *Concilium* adpa-
vertit Hiernonymus: et hoc praecedenti membro aptum, ſed non
ret, quo jure פְּלִילָה ita verti poſſit, niſi concilium judicum intelligas. Aliquae ſe et mihi conjecturae obtulerunt, ut, *deprecatio pro Moabitis*, *arbitrium Moabitas inter et hoſtes*, &c. ſed abdico. Vera ſi lectio, in Syri ſententiam irem: ſed haec ſuſpecta, totumque caput valde turbatum.

2040. פְּלִילִיָּה.

Habent lexica nomen ex ſolo loco Jeſ. XXVIII, 7. *judicium, judicandi vim*, vertere ſolita. Mihi puncta maſorethica ſuſpecta, placetque, quod Chaldaeus expreſſit, פְּלִילֶיהָ *judices ejus*, ut ſit notiſſimum nomen פליל *judex*, cum ſuffixo.

Mirum, in quam diverſa hic abierint veteres. *Judicium*, recentiorum et lexicographorum, praeiverunt Symmachus et Vulgata: LXX τουτέστι φάσμα, quod quomodo ex פליליה exſculpi poſſit, difficile dictu: legerunt-ne, aut conjecerunt, ליליה, idque cum לילית compararunt? Theodotion, ὑπερόγκως, *ſupra modum*, (ἐν τῇ μεθῃ ἠσωθεύθησαν ὑπερόγκως) forte idem cum פליאה *mirifice* exiſtimans, Syrus, ܘܐܟܠܝܢ ܐܣܘܛܐܝܬ *vorant ἀσώτως*.

Caeterum hoc idem פליליה quinque Kennicotti codices et Jeſ. XVI, 3. pro praecedente פלילה habent.

2041. פִּלֵּס *rectum fecit, aequavit*.

Sexies omnino occurrit, Jeſ. XXVI, 7. Pſ. LXXVIII, 50. Proverb. IV, 26. V, 6. 21. cum nomine *viae* conſtructum, ut ex propria aut certe ex uſitatiſſima ſignificatione ad vias pertinere videatur, ſemel Pſ. LVIII, 3. cum חמס ידים *violentia manuum*. Recentiores, *librare*, vertere ſolent, nec hanc verbo ſignificationem Pſ. 58. negaverim, ubi διασταθμίζειν vertunt Aquila et Theodotion: at de via poſitum vix putem eſſe *librare vias*, i. e. ut Coccejus explicat, *eas ad libellam dirigere*. Hoc quis unquam facit? aut in montana facere Palaeſtina poteſt? canales ad libellam ducimus, non vias. Nec quantum memini veterum quiſquam praeivit.

Hi quidem jam generaliore verbo utuntur, ὁδοποιεῖν, (LXX in pſ. 78. et Prov. 4.) jam *ſternere* viam vertunt, (Symm. Pſ. 78.) *rumpere* vel

 aperire

aperire vias, (Syrus Pf. 78. ܦܠܣ, contulisse videtur cum Syriaco ܦܠܣ *perfodit*, *aperuit*) διατηρεῖν. (Prov. 4. Symmachus) Prov. V, 21. LXX σκοπεύειν reddunt, exque illis Vulg. *considerare*, Syrus Chaldaeusque *retectum habere*.

Linguae nos Orientales hic destituunt: at classica loca pro vera significatione verbi indaganda esse videntur Prov. IV, 26. ubi in altero membro per יִכֹּנוּ explicatur, et Prov. V, 6. ubi *vagationi et errori viarum* opponitur: ex quibus פִּלֵּס *rectam facere* viam verterim. Praeiverunt ex veteribus, LXX Prov. 4. ὀρθὰς ποιεῖν τροχιάς, quos Vulgata et Arabs sequuntur, Chaldaeo et Syro idem aliis verbis habentibus; Chaldaeus תַּקְנָא Jes. 26. et Pf. 58. Quin et, qui Pf. 58. συμπλέκειν verterunt LXX et Syr. eandem notionem spectare, atque κατ᾽ ἀντίφρασιν accipere videntur. Forte et suum σκοπεύειν Prov. V, 21. ex rectitudinis notione sumserunt Graeci, recta oculos ad scopum collineare.

Haec mihi rectitudinis et rectum faciendi notio prope certa, seu, ut philosophorum potius voce utar, perquam videtur verisimilis, quod ex ea et פִּלֵּס *librare* expediri optime potest. Nempe,

2042. פֶּלֶס Jes. XL, 12. Prov. XVI, 11.

examen est bilancis, inde dictum, quod rectum stat, aequato utriusque librae pondere. *Examen* inquam, ut in Proverbiis verterunt LXX ῥοπὴ ζυγοῦ, exque illis Arabs, utrobique enim cum מאזנים componitur, inque Proverbiis ab illis distinguitur: פלס ומאזני משפט *examen et bilanx juris*. Ergo non ipsa, ut voluerunt alii, praeiveruntque in Jesaia LXX. Chald. Syrus libra, haec enim quis composuerit, *libra et bilanx juris?* Fuerunt et, qui *pondus* interpretarentur librae impositum, praeeunte Vulgata, viderique possit favere lingua Arabica, Syriaca, et Chaldaica, *quadrantem*, et *obolum* sub his literis habens. Sic quidem *minimum pondus* esse possit, non pondus generatim, quod in Proverbiorum loco requiritur. Ipsa oboli notio recentior, et Graecae originis esse videtur, a φολὶς *squama*, minutula moneta a tenuitate et squamae similitudine dicta, فُلُس enim et squamam et obolum significat.

Ab examine jam denominativum פלס est, *librare*, quod egregie locum tuetur Pf. LVIII, 3. חמס ידיכם תפלסון *injuriam manuum vestrarum tanquam in libra Themidis adpenditis*, i. e. injusta judicia exercetis.

Ger-

Germanice verti, *Gewalthaten wägen eure Hände als Recht im Lande dar.* Habent omnino libram judicii, quam Themidis dicimus, Orientales. Muhammedes, Sur. VII, 7. 8. de die extremi judicii: *pondus illo die erit justum, quorum lances* (موازينه) *graves fuerint illi felices erunt, sed quorum lances leves fuerint, illi perdiderunt animas suas.* Sur. XXI, 48. *bilancem* (الموازين) *ponemus justitiam die resurrectionis, nec injuria fiet cuiquam, si vel fuerit granum sinapis* &c. De injustis judicibus totus psalmus agit.

Haec librandi significatio si ex psalmo certa, possit et Proverb. V, 21. locum habere, *omnes semitas eorum librat*, i. e. *aequa lance examinat.* Cum viae tamen vocabulo constructum malis forte consveta rectitudinis notione accipere, *coram oculis Jehovae sunt viae viri, et omnes semitas ejus ad rectum*, i. e. ad lineam ad amussim *exigit.*

2043. פְּלִשְׁתִּי *Philistaeus*, פְּלֶשֶׁת *Philistaeorum regio.*

De gente ejusque nomine actum in spicilegio geogr. T. I. p. 278–292. Dictam puto a פלש, quod Aethiopibus, forte et Samaritanis, est migrare, advenae erant in Palaestina Philistaei, in quam ex Caphthor immigraverant. Hinc et LXX ἀλλόφυλοι dicuntur. Praeivit sententiam Clericus ad Exod. XV, 14. Video et in Aethiopia aliquam exterorum gentem, ab eodem etymo Falascha dictam, de qua multa in itinerario habet Brucius, Judaicam illi originem asserens. Illa quidem nihil ad Philistaeos nostros, unius etymologiae caussa nomen adfero.

2044. מִפְּלַשׂ Job. XXXVII, 16.

Ἅπαξ λεγόμενον, dubia significatione, מִפְלְשֵׂי עָב. Ad praecedens פִּלֵּס plerumque referunt recentiores, ac vertere solent, *librationes nubium*, veterum nemine praeeunte: equidem mallem, *vias nubium.* Sic Vulgata, *semitas nubium*, ac forte idem voluit Syrus atque Arabs, ܡܦܩܢܐ, مخرج *egressum nubium* vertens. De Chaldaeo, מבשקרבי *inquisitiones* vertente, vide Coccejum.

Lectionis varietatem, מפלסי exspectaveram, sed nec in Kennicottiana, nec in de Rossiana collectione inveni: ut nunc scriptum est, possis et מפרשי efferre, *peregrinationes*, i. e. *itinera nubium.* Nec equidem

dem hoc praefero, interrogo tamen quibus ad codices aditus, de Rossium maxime, nulline ita habeant?

2045, פְּלֵתִי, *miles praetorianus*, *celer*.

Vide supra sub כרתי dicta, atque eruditissimam Ikenii dissertationem ibi laudatam. Nomen habere Plethaei videntur, sive a فلت, *citus*, *celer*, tanquam, *celeres*, *cursores*; רָצִים, ut alias vocari corporis custodes solent, sive a تفلّت *insilivit*, *irruit*, ut sint, *impetum facientes*, *incursantes*.

2046. פְּנוּאֵל, vel פְּנִיאֵל Genes. XXXII, 31. 32.

Suspicor, utrobique iisdem literis nomen scribendum. Per Jod scriptum, malim efferre, פְּנִיאֵל *facies dei;* per Vau, erit pluralis Arabum constructus casus nominativi. LXX εἶδος θεοῦ verterunt, non πρόσωπον θεοῦ, caventes, ut videtur, ne de nobilissimo Phoenices promontorio πρόσωπον θεοῦ lector cogitet, qui error Alexandrino facile obrepere poterat.

Situs locus, Jacobi tempore adhuc subdialis, in illo Palaestinae transjordanensis angulo, ubi confluunt Jordanes ac Jabbocus, inter utrumque fluvium, ut ex Genes. XXXII, 23. 24. 11. colligo: forte haec ipsa situs opportunitas Jeroboamo, regno suo adhuc timenti, svasit, urbem munire. 1 Reg. XII, 21.

2047. פְּנִינִים Job. XXVIII, 18. Prov. III, 15. VIII, 11. XX, 15. XXXI, 10. Thren. IV, 7. פְּנִיִּים Prov. III, 15. *coralia*.

Primo aliqua grammatica. Non nisi pluraliter legitur nomen, nisi quod, ut nomen proprium singulariter 1 Sam I, 2. פְּנִנָּה occurrit, pro quo 44 codices Kennicottiani פנינה habent: quod si huc retuleris, in singulari femininae terminationis erit, in plurali masculinae. Ad radicem פנן referendum esse, dubio caret: ergo Cthib פניים Prov. III, 15. his punctis instruendum, פְּנִיִּים.

Copiose et eruditissime de vocabulo egit Bochartus P. II. hierozoici l. V. c. 6. 7. ad quem licet in rei summa dissentiens ablego. Interpretes fere inter *gemmas*, *margaritas* et *coralia* divisi, de his ergo dicendum, et ratio reddenda cur coralia praeferam.

Gem-

Gemmas qui verterint, ex Bocharto diſci velim. Varia his oppoſuit Bochartus, ex quibus graviſſimum, *Peninim non nomen eſſe poſſe omnium gemmarum, quippe quod in Jobo multis gemmis opponatur, et ab illis diſtinguatur: nec ſpecificum unius gemmae, quia ſemper ſit pluralis numeri:* alterum, ibidem Peninim ex mari extrahi, ומשך חכמה מפנינים, *et extractio ſapientiae plus eſt quam extractio* פנינים. Ergo gemmis repudiatis, inter margaritas et coralia optandum, quod Bochartus quodammodo diſſimulavit, pro margaritis ex hoc loco diſputans, quaſi vero non et coralia ex mari extrahantur. Reliqua ejus argumenta cupidiora quam graviora. Ergo jam diſpiciamus.

I) *Margaritas* eſſe volunt Bochartus, Rabbinorumque et recentiorum plerique. Adfertur auctoritas interpretis Chaldaei, Job. 28, מרגלין, Arabicique ibidem دُرّ vertentis. Illa quidem Chaldaei, in libro Jobi non magna, acceditque inſuper, quod ne de ejus quidem ſententia conſtat, מרגלין enim cum et uniones ſignificet et gemmas, incertum, hisne accedat, qui gemmas interpretati ſunt, an uniones recentioribus praeierit. Arabis uniones vix eſſe videntur ipſius interpretis, Syriaca vertere ſoliti, ſed recentioris manus interpolatio: Syrus enim verterat, ܒܙܡܪܓܕܐ ܘܟܕܟܕܢܐ ܠܐ ܡܬܚܠܦܐ *ſmaragdis et chalcedoniis non permutatur*, pro his Arabs habet, بالزمرّد والدرّ لا تباع *ſmaragdis et unionibus non emitur*: utraque verſio, Hebraica ומשך חכמה מפנינים parum exprimit, duplici gemma poſita pro פנינים et nomine חכמה plane omiſſo.

Alterum Bocharti argumentum vix ullius momenti, mirorque a nonnullis in lexica recipi potuiſſe. פנין cum Graeco πίννα *concha marina*, confert, ex graeca lingua Hebraicae non cognata, Hebraicum vocabulum, de quo quaeritur, explicare adgreſſus. Reliqua omitto, cum id ſolum probent, rem pretioſam eſſe Peninim, et quae ex mari extrahatur.

Obſtare autem margaritis nonnulla video. Primo aliud illis apud Hebraeos nomen, גביש: deinde Thren. IV, 7. a *pulchra* laudantur *rubedine*. Reponit quidem Bochartus, אדם *album* etiam *colorem* eſſe, idque ex locis Levitici probare adnititur, in quibus leprae indicium macula אדמדמת, cum alias albae maculae leprae ſint indicium. Morbi hiſtoria magno viro non nota: habet ille et maculas albas quidem, ſed *ſordide albas*, et vio-

violaceas, quas ipse 1761. in leproso vidi. Mihi, medicinae imperito hoc si credere lector non sustinuerit, credet certe medicis, idem dicentibus, *Schillingio*, et *Henslero*, ex cujus de lepra libro, ubi prodierit, et hoc discet, nonnunquam maculas leprae initio rosei coloris esse. Denique, quam dat loci Threnorum versio, *candebant* vel *nitebant corpore prae margaritis*, vix mihi probatur: lactea colla, lacteas genas, laudamus, non vitreum corporis aut vultus colorem, qualis est margaritarum.

II) Ergo praefero Bootii sententiam, quam in animadversionum sacrarum libro IV. c. 3. dixit copiosius, פנינים *coralia* esse. Praieverant, ut ipse monet, Rabbinorum aliqui, testibus Kimchio et Reuchlino, placuerat etiam Thren. IV, 7. Luthero. Mihi res prope certa videtur: pretiosum quid, quod ex fundo maris extrahitur, pulchro rubore, quid aliud est, quam coralium? A Bootio dictis liceat et haec nostra adjicere.

Thren. IV, 7. verto: *rubent labiis prae coraliis*. Vide n. 1951. sub עצים dicta. Nec etymologia destituimur, verisimiliorem adhuc versionem faciente: Arabibus, فَنَن plur. أَفْنَان *rami*, أَفْنُون *ramus perplexus*, hinc optime coraliis nomen ductum, quae ramos extendunt, arbusculae specie, unde et diu a multis pro arbusculis habita, atque ad regnum vegetabile relata sunt.

Modum extrahendi pulcra et rubentia ex fundo maris coralia descriptum invenies in *Schloezeri commercio literario (Briefwechsel)* P. VII. n. 38 p. 07. ex quo et disces, quanto Asiae populis in pretio sint. Aliunde et scio, auro contra adpendi, atque apud Indos a sponso sponsae offerri.

2048. פִּנָּה *angulus*.

2 Paral. XXVI, 15. ubi פנות *anguli* murorum cum turribus componuntur, exque illis tela sparguntur, aliquidne lucis accipit ex Taciti libr. V. hist. c. 11. ubi de munitionibus Hierosolymae, *muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent?* In terrogo, non definio: Tacitus enim de Hierosolyma qualis Titi Vespasiani tempore fuit, chronicorum liber de vetere, ante primum excidium, loquitur. In munitionibus et Sophon. I, 16. פנות memorantur.

2049. פִּנֵּק *molliter et delicate educavit.* Prov. XXIX, 21.

Significationem ex Chaldaismo jam cofirmavit Coccejus. Vide et insignem locum Jes. XXIII, 4. ubi Chaldaeus de filiorum educatione verbum

רביתי

רִבִּיתִי, de virginum; nostrum ponit, פִּנַּקְתִּי בְתוּלֹת: *molliter educavi virgines.*

Arabibus quoque فنّق *molliter et delicate habuit educavitque*, افنق *molliter vixit*, فُنُق *molliter habita et educata puella*, فنيق *admissarius*, quippe qui mollius habetur, nec multum ei oneris imponitur, مفناق *mollis et delicata vita.* Haec copiosius ad Proverbiorum locum disputavit Schultensius, additis Camusi et Tebrizii verbis, exemplisque ex poetis.

Habent et Syri eadem significatione, sed video, non mea quidem sed typothetae culpa, in lexico Syriaco omissum ܐܬܦܢܩ cum derivatis. רַךְ tenellus, Syrus Prov. IV, 3. ܡܦܢܩܐ vertit, *delicatiores cibi ad coitum stimulantes* Ephraemo T. I. 47. ܦܘܢܩܐ sunt. — — Est ergo frequentius verbum reliquis linguis Orientalibus, in Hebraico codice ἅπαξ λεγόμενον.

2050. פסג *secuit, dissecuit, divisit.* Ps. XLVIII, 14.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo diffident lexicographi, his *exaltare*, illis *dividere* vertentibus: *dividere* quidem Coccejus, auctoritatem Graeci interpretis, usumque linguae Chaldaicae adferens, cui equidem in rei summa accedo.

Habent verbum Chaldaei, quibus est, *secare*, indeque et *dividere*, maxime de victimis in suas partes legitimas dissectis usitatum, unde et פִּסְגָּא *segmentum*, *partes*, *in quas victima dissecta est.* Thalmudici et de caesis arboribus, earumve ramis amputatis ponunt. Vide omnino Buxtorfii lex. Chald. in quo exempla habebis. Eadem verbi notio in Arabico فشج superest, quod de pedibus ponunt divisis seu divaricatis, ut, ad mingendum. Reliquae linguae Orientales nihil opis ferunt.

Hac significatione acceperunt, sed varie ea utentes, ex veteribus:

1) LXX καταδιέλεσθε, exque illis Vulgata, *distribuite palatia ejus:* quos et in versione germanica sequutus sum, *animo ac spe jam inter vos dividite* sive, *palatia*, sive, *gynaeconitides ejus.*

 2) Hie-

2) Hieronymus, *ſeparate palatia ejus.* Obſcurius atque ambigue dictum.

3) Syrus, *ſecare*, *caedere*, de perruptione et vaſtatione accepit, ܦܣܘܩܘ ܒܝܪ̈ܬܗ *evertite palatia ejus.*

Quid ſpectarit Symmachus, *διαμετρήσατε* vertens, incertum: forte voluit, *metimini oculis palatia ejus*, *eorumque altitudinem exiſtimate.*

At alia lexica *altitudinis*, *exaltandi*, immo et *muniendi* notionem verbo dederunt, linguis Orientalibus ignotam, ac plane gratis, Rabbinorum fide, ſumtam: quod enim Simonis confert فشغ *ſuperiore parte fuit*, *deſuper percuſſit*, plane alienum, ג et ע non ex literis ſunt, quae apud Hebraeos permutantur. Ex veteribus hac notione, ſed recentiſſimus eorum, accepiſſe videtur Chaldaeus, vertens, *qui ſunt ſupra palatia ejus*, his forte vocalibus ſubſtratis, quas codex Caſſellanus habet, פִּסְגַּר ארמנותיה, et pronomine אשר ſubintellecto.

Sed dicendum, unde hanc notionem habeant lexica, quod recentiorum nonnulli ignoraſſe videntur. פסגה Num. XXI, 20. XXIII, 14. Deut. III, 17. 27. &c. nomen proprium montis, ut pleriſque videtur recentiorum, adpellative, *excelſum*, Rabbini interpretari ſolebant, qua in re Onkeloſum ſequebantur, cui ראש הפסגה eſt, ריש רמתא *caput* vel *ſummitas excelſi.* Receperat et in lexicon Kimchius, ex quo in alia fluxit, ac dubitans de eo retulit Reuchlinus. Jam quibus פסגה nomen proprium eſt, non illi debebant ex ejus interpretatione Rabbinica verbo פסג *altitudinis* notionem comminiſci, reliquis linguis Orientalibus ignotam.

2051. פִּסְגָּה Num. XXI, 20. XXIII, 14. Deut. III, 17. 27. XXXIV, 1.

Vixdum dixi, quod nobis eſt nomen montis proprium, *Fisga*, vel, *Pisga*; Onkeloſo, adpellativum viſum fuiſſe, ac רמתא *excelſum* verti. Kimchius in lexico גבעה reddidit. Nec ita ſolum hi, quos nominavi, ſed eſt ſatis conſveta veterum interpretatio. Sic Syrus habet, ܪܝܫ ܪ̈ܡܬܐ, Arabs Pol. i. e. Saadias, راس القلعة, Erpenianus, راس الطلعة. Fuit ergo perquam recepta olim, ſed uſu linguarum Orientalium plane deſtituta, interpretatio.

Adpellative etiam, ſed aliter vertunt LXX, *κορυφὴ τοῦ λελαξευμένου*, *faſtigium ſaxi exciſi.* Montis faſtigium intelligere videntur, in cujus ſaxa gradus inciſi ſunt, ad פסג *caedere*, *ſecare*, relatum.

Mihi

Mihi quidem nomen videtur proprium esse alicujus fastigii montis Nebo, non forte summi, sed tamen ex quo late prospectus patet. Sed ignoratione geographiae transjordanensis plura non habeo dicere: Arabum geographi nomen non habent, nec id mirum; itineratores nostri metu Arabum illa loca non adierunt.

2052. פסח.

Plures significationes verbum habet, pro diversa literae ח adpellatione, quas ad unam revocare non ausim.

I) فَسُحَ est, *amplus et capax fuit locus*, فَسَّحَ *locum ei fecit ampliorem*, فُسْحَةٌ *amplitudo*, *libertas*. Hinc Jes. XXXI, 5. ופסוח explicandum reor, *liberando*. In rei summa consentiunt, LXX περιποιήσεται *vivos servabit*, (ex consveta certe lectione, aliter enim Pachomianus codex habet, περιβήσεται transgredietur,) et Syrus, ܢܦܨܐ *opem feret*: sed videtur verba transposuisse et addere Chaldaeum, יְצִיל habentem, sed videtur verba transposuisse.

II) فَسَخَ *luxavit*, et, *luxatus fuit*, indeque فَسْخٌ *imbecillitas*. Huc referenda, פסח *claudicavit*, et פִּסֵּחַ *claudus*.

III) At quid faciemus פסח Exod. XII. saepius occurrenti? neutra enim harum significationum illi loco apta. *Liberare*, rem si spectes, esse possit, sed obstat constructio cum על, v. 13. פסחתי עליכם, dicendum enim fuisset פסחתי אתכם. Veteres hic valde diversi.

1) Samaritanus v. 13 et 23 ipsum verbum פסח retinet, ut in sua lingua notum: in qua, quid significarit, cum ignoremus, nihil nobis opis adfert. Omisit adeo in lexico Samaritano Castellus, פסח non nisi claudicationis et corruptionis notione habens.

2) LXX σκεπάσω ὑμᾶς, *obtegam vos*, v. 13. Sic et v. 27. ἐσκέπασε τοὺς οἴκους τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Placuit recentiorum nonnullis, vultque Vitringa ad Jes. XXXI, 5. *Jehova transeunte per Aegyptum ad percutiendos primogenitos, ubi ad ostia Israelitarum ventum, angelum servatorem se opposuisse, obtegendo ostium.* Mira imago, nec forte nunc placitura. Sed de ea utcunque statuas, linguarum Orientalium nulli פסח est *obtegere:* nec ipsi sibi LXX constant, iidem enim, eodem in capite,

 3) *trans-*

3) *transire*, vel *praeterire* vertunt: v. 23. *παρελεύσεται* Κύριος τὴν *θύραν*. Sic et in v. 13. Vulgata, *transibo vos*, v. 23. *transscendet ostium*, v. 27. *transivit super domos*, atque adeo in Jesaia, c. XXXI, 5. *transibit*, ad quem locum Hieronymus in commentario notat, tres Graecos interpretes *ὑπερβαίνειν* vertere. Idem et in Exodo Aquila fecisse videtur, nomen enim, פֶּסַח, (XII, 11.) *ὑπέρβασιν* reddidit. Sic et intellexit Josephus, Ant. II, 14, 6. *τὴν ἑορτὴν πάσχα καλοῦντες σημαίνει δὲ ὑπερβάσια, διότι κατ᾽ ἐκείνην τὴν ἑσπέραν ὁ θεὸς, αὐτῶν ὑπερβὰς, Αἰγυπτίοις ἐναπέσκηψε τὴν νόσον.* Origenes etiam l. VIII. adversus Celsum, c. 22. *πάσχα, ὅπερ ἑρμηνεύεται, διαβητήρια.* His auctoribus, gravibus sane, late per lexica, commentarios, versiones recentiores, diditum, פָּסַח *transiit.* Capiti sane 12 Exodi aptissima ubique significatio, a qua et Thapsacus nomen תִּפְסַח optime sortiri potuerit, quod nobilissimus ad hanc urbem *trajectus* Euphratis. Unum obstat, sed grave, verisimillimae et vulgatissimae interpretationi, quod haec significatio verbi פסח reliquis linguis Orientalibus plane ignota.

4) Quod Exod. XII, 11. Symmachus habet, pro פֶּסַח, *ὑπερμάχησις*, *propugnatio*, *defensio*, vix calculum tulit.

5) *Parcere*, *misereri* vertunt, Exod. XII, 13. Chald. אחוס עליכון Arabs Polygl. يرثي لكم Maurus, اشفق عليكم. In rei summa sic et Syrus, ܐܦܨܚ ܥܠܝܟܘܢ *propitius ero vobis*, prope harmonice, festum enim פסח per Tsode Syris ܦܨܚܐ. Sic ergo פסח hanc significationem literarum permutatione ex פצח acceperit, cujus radicis prima vis est, ut infra videbimus, in *claro*, *lucido*, *sereno*. Hinc Syris ܐܦܨܚ *hilaravit vultum*, *propitius fuit*. Eadem permutatione literarum, فسخ et فصخ *luxare* significant.

Hanc quidem parcendi et propitiandi significationem in versione Germanica praetuli, quod sola praeter auctoritatem veterum aliquo usu linguae Syriacae commendatur.

2053. פסח Ps. XII, 5. *forte duxit*, *forte ductus est*.

Verbum *ἅπαξ λεγόμενον* dupliciter interpretati sunt veteres, ex conjectura, ut videtur, usu certe linguarum Orientalium neutram explicationem confirmante.

1) De-

1) *Desinere*, *deficere* vertunt, Chaldaeus, סְפוֹ; Syr. ܦܣܩܘ ܡܗܝܡܢܘܬܐ, Symmachus, ἐξέλειπον, Aquila, ἐπεράνθησαν (*finiti sunt*). In lexicon recepit Kimchius, פַּסּוּ dicens idem esse, quod אָפְסוּ, sicque et Raschi. Hi ergo ex alliteratione conjecturam fecerunt.

2) *Imminui*, LXX ὠλιγώθησαν, exque illis Vulgata, *diminutae sunt veritates*, quin et in sua versione Hieronymus, *imminuti sunt fideles*. Coccejus, confirmaturus, פספס *Chaldaeis* esse ait, *comminuere*: Hujus quidem significationis exempla non tam Chaldaica, quam Thalmudica adferri videas: suntque diversissima, *minuere* numero, i. e. paucos facere, ac *comminuere*, in frusta contundere. Non prius, sed posterius פספס significat, denominativum a פסיפס seu ut alii scribunt, פספס 1) *sortes* 2) *lapilli* 3) *frusta minuta*.

Mihi optimam offerre explicationem Syria videtur, cui ܦܣܐ *sors* est, ejusque quadriliterum, ܦܣܦܣܐ latrunculi lusorii; unde denominativum ܦܣܦܣ et ܐܬܦܣ *sortitus est*. Jam, verbo passive accepto, quam significationem habitura est forma פֻּסַּס per Tsere, פסו אמונים verterim, *sorte ducuntur*, i. e. *moriuntur fidi ex filiis hominum*. Morti urnam et sortes tribui, quis ignorat? Hoc quidem in versione germanica sequutus sum: *das Loos des Todes trifft die Redlichen die noch unter Menschen sind*.

Quaeras forte, quomodo accidat, ut Chaldaeis פַּסֵּס et אַפֵּס sit, *polluere*, *profanare*? Syris, ܐܦܣ et est, *sorte dedit*, *permisit*, indeque ܦܘܣܣܐ *licentia*, *permissio*: *permissa* et *licita* solent, opposita sacris, prima *communia* (κοινά) esse, *profana*, denique et *impura*. Vide חל pag. 773.

2054. פס, פַּסִּים Genes. XXXVII, 3. 23. 32. 2 Sam. XIII, 18. 19.

Haud dubitans consvetae accedo sententiae, ex qua כתנת פסים est *tunica variegata*, praeeuntibus in Genesi, LXX Vulg. et Arabe utroque, inque Samuelis libro, Arabe, (الموشّى). Unum addo etymon, verisimiliorem etiam facturum interpretationem: ܦܣܐ ut jam dixi, *sors*, ba-

baculis diversi coloris sortiri solebant, hinc *tunica baculorum*, de striata veste ponitur. Sic a سَهْم *sagitta aleatoria*, Arabes faciunt, مُسَهَّم *striata, velut sagittis picta vestis.*

Fuisse, qui vestem sive talarem, sive manicas habentem interpretati sint, notum. Sic in Genesi Aqu. *χιτῶνα ἀστραγάλειον*, Symm. *χειριδωτὸν* inque Samuelis libro LXX *χιτῶνα καρπωτὸν*, Vulg. *tunicam talarem* habent. Nempe retulerunt ad פס Dan. V, 5. quod aliqui, *talum*, intellexerunt: male, ut mihi videtur.

Hanc quidem interpretationem Hebraici vocabuli in Thamarae historia suam faciens, ac forte, quibus multum uti solebat, LXX 2 Sam. XIII, 18. sequutus Josephus (*), haec de vestitu virginum Ant. VII, 8, 1. scripta reliquit: *ἐφόρουν γὰρ αἱ τῶν ἀρχαίων παρθένοι χειροδέτους ἄχρι τῶν σφυρῶν, πρὸς τὸ μὴ βλέπεσθαι, χιτῶνας.* Cave illum hac in re auctorem sequaris, aut credas, ex aliqua antiquorum morum scientia penitiore eum sua sumsisse; ex hoc potius ipso loco 2 Sam. XIII, 18. secundum LXX intellecto, hausta, et duplici errore admisso,

1) primo enim, quod de virginibus regum filiabus liber habet Hebraicus, earum vestitum כתנת פסים esse, ille de omnibus virginibus dicit.

2) ex ejus sententia כתנת פסים solarum virginum gestamen, vestisque muliebris est, plane contra Genes. XXXVII, 3. ubi Josepho eam pater dedit.

Caeterum ܦܣܢܬܐ quid sit, quod Syrus Genes. 37. pro פסים ponit, ignorare me, atque adhuc quaerere fateor: nec de eo philologice liquet, quod in Samuelis libris habet ܡܫܚܬܦܬܐ, hic tamen succurrit Arabs, موشي *coloribus variis pictas* vestes Syriacum interpretatus. Quae Gabriel Sionita in Polyglottis pro his Syriacis posuit, in Castelli lexicon translata, incertae sunt, ut totus homo, fidei. Chaldaeus et Samaritanus Hebraicum nomen, ut suae quoque linguae notum, servarunt, sed quid in illis significarit, nullo adhuc dum certo exemplo constat.

2055. פַּסָּה *vola manus* Ps. LXXII, 16.

In vocabulo varie intellecto his proxime accedo, qui פִּסַּת בַּר *pugillum frumenti* interpretantur, nisi quod non tam pugillum, quam *volam*

(*) Vide biblioth. Or. priorem T. V. n. 94. VII. n. 116.

volam manus paululum incurvatam intelligo. Syris ܦܣܐ Chaldaeis פס
pro Hebraico כף, *planta pedis* et *vola manus* ponitur, (vide Castelli et
Buxtorfii lexicon) sicque et Dan. V, 5. accipio, ubi vide notas germanicas.
Praeierat, ut ex Davidis Kimchii libro radicum disco, pater ejus Jose-
phus, כף מלא תבואה interpretatus.

Nullus tamen ita veterum: in στήριγμα, *fundamentum*, סעיד, con-
sentiunt LXX. Vulg. Chaldaeus: Hieronymus, nescio quid sequutus, *me-
morabile triticum* vertit: Syrus, ܦܣܝܐ *multitudinem*, *copiam*, ac pla-
ne contrarie aliqui recentiorum, *particulam minutam*; David Kimchius,
חלקה *portionem*, *particulam*.

2056. פעה Jes. XLII, 14.

Verti solet, *clamare*, ex usu verbi Chaldaico. Non obnitor, prae-
placet tamen, quem Arabico فعى et فغا adstruxit Schultensius (*),
halandi significatus: cum statim sequatur, quasi huic verbo explicando,
אשם ואשאף יחד *exhalabo et inhalabo uno momento*, halitum iracundus
momento temporis reciprocabo. Sic ergo פעה erit, *halare*, *spiritum for-
tius ducere*, *spirare*, etiam, *ira spirare*, unde فاع *iratus*, idque per duo
verba contraria שאף *spiritum attrahere*, *anhelare*, et נשם *spiritum pro-
pellere*, explicabitur.

Caeterum כיולדה non cum nostro verbo construo, sed cum
praecedentibus: *silui hucusque*, *continui me ut puerpera: jam iracundus
spirabo*, *momentoque halitum* (quod est iratorum) *reciprocabo*. Nempe
puerperis praecipitur, quantum possunt, et a clamando se, et a fortiore
respiratione, continere. Vide versionem germanicam.

2057. פעם Genes. XLI, 8. Jud. XIII, 25. Dan. II, 1. 3.
Ps. LXXVII, 5. *plenus fuit*, *implevit*.

De verbi significatione ex solo orationis filo conjecerunt, cum vete-
res, tum lexicographi recentiores, verisimilia partim adferentes, sed nul-
lo linguae Arabicae usu, quae sola prope illud habet, firmata. Habuit
quidem et Samaritana, interpres enim Samaritanus Genes. 41. retinuit,
אתפעמת

(*) in notis ad anthologiam Hamaza grammaticae Erpenianae adjectam
p. 420. 421.

אתפעמת רוחו, quid autem illi ſignificet, non conſtat, omiſitque adeo in lexico Caſtellus. Ergo ex veteribus

1) ταράσσειν, *turbare, perturbare*, reddiderunt, Geneſ. 41. LXX, forte et Chaldaeus ac Syrus, verbo אתטרף uſi, quamquam hoc et *percuti, lacerari* eſſe poſſit, Arabs Erpenii: Dan. II, 1. ſeptuaginta, in pſalmo LXX. Vulg. Chald.

2) Proximi ab his, et ſententia concordes, Geneſ. 41. Vulg. *pavore perterritus*, Arabs Pol. كرب *contriſtatus eſt*, Dan. 2. Theodotion, ἐξέστη τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, Syrusque ܘܐܬܕܠܚܬ ܢܦܫܗ, in pſalmo Symmachus, διηπόρουν.

3) Graecus anonymus Geneſ. 41. κατεπείη, *diſciſſus*, vel, *compunctus eſt ſpiritus ejus*: LXX Dan. II, 3. ἐκινήθη μοῦ τὸ πνεῦμα: quae enoto, quod et aliqui lexicographorum, *vulnerare*, et *agitare*, vertunt.

4) Syrus in pſalmo, *ſilui*, eique proximus Hieronymus, *ſtupebam*.

5) Jud. 13. LXX συνεκπορεύεσθαι, *egredi cum illo*, ac ſi eſſet denominativum a פַּעַם *greſſus*, et Vulgata, *eſſe cum eo*. Ibidem Syrus, ܠܡܗܠܟܘܬܗ *ambulare facere illum*: et hic pro denominativo a *greſſu* habens.

6) Chaldaeus in pſalmo, *roborare eum*.

Ex his, quodnam ſequaris, non adparet, id unum vides, ſignificationem eos non ſciviſſe, ſed de ea conjeciſſe.

Kimchius in radicum libro שבר וכתות, *fractionem et contuſionem* vertit, Chaldaei, ut videtur, fide, hunc enim alicubi טרף vertere diximus, quod poteſt eſſe, *tundere, contundere, frangere*. Incerta auctoritas, cum טרף et ſit, perturbare. Recepit in lexicon, ſed aliis additis, Reuchlinus: *palpitavit, conſternatus, contritus, et contuſus fuit*. Haecne ergo omnia ſignificat? Recentiorum lexica, partim haec ipſa habentia, partim et alia, ut, *agitare*, addentia, non excerpo. Ignoſcent lectores, profitenti, haec mihi omnia nimis videri dubia et incerta.

Arabibus فعم et فغم pro diverſitate conjugationum et vocalium, eſt, tranſitive, *implevit*, intranſitive, *plenus fuit*, idque ad adfectus transfertur, أفعم *implevit ira*. Ex hac notione וַתִּפָּעֶם רוחו Geneſ. XLI, 8. interpretaberis, *animus ejus impletus erat imagine per ſomnium oblata, et curis*, ſicque et Dan. II, 1. 3. Germanice diceres: *ſein Gemüth war gantz voll vom Traum*. Jud. XIII, 25. *coepit ſpiritus dei*, לפעמו *implere illum*. Pſ. LXXVII, 5. נפעמתי *plenus eram* querelis et ira, *ſed non eloquebar*.

2058. פצח.

Frangendi et *clamandi* significationes certae: Arabibus فضخ est, *frangere.* Sitne autem a *frangendo* et ductum *clamare*, quasi, *rumpere vocem*, in incertis relinquo: possit enim, *clamare*, et ad alteram radicem Arabum فصح referri, *claritatis* notionem habentem, ut sit, *clarum sonum edere*, *clara voce clamare.* Arabes quidem et ad sermonem transferunt. Chaldaeis quoque, פציח *clarus*, *serenus*, *nitidus:* hinc et fluxisse Syriacum ܐܦܨܚ *hilaravit vultum*, videtur, proprie, *serenum fecit vultum.*

2059. פצע cum derivatis.

Non videtur esse generatim, *vulnerare*, nec פֶּצַע *vulnus*, sed proprie, *contusio*, quae saepe magis dolorifica, difficiliorque curatu, veris vulneribus. Chaldaeis quidem פצע est, *contundere*, *comprimere*, qua posteriore significatione habent et Arabes فصع *pressit*, *pressit amygdalum*, *ut exiret ex cortice.*

De פצוע דכה Deut. XXIII, 2. adhuc dubito, sitne, *cui contusi sunt testiculi*, an, *cui expressi:* quin et aliud offert Arabia, cui فصع est, *ultra basin glandis praeputium reduxit*, indeque أَفْصَع *qui reducto praeputio nudam habet glandem.* Hic quidem a peritioribus discere malim, quam ipse sententiam dicere.

2060. פקד.

In notissimo verbo video nonnihil plerumque erroris committi, ambiguitate latini, *visitare*, quo Vulgata uti solet. Non illud hic est, ut circumscribit Coccejus, *venire ad aliquem*, Lutherusque vertere solet, *heimsuchen*, sed *adcuratius*, *intentisque oculis inspicere*, positum pro Graeco ἐπισκέψασθαι. Hac sumta prima significatione et reliquae verbi, ut, *lustrandi exercitum*, *desiderandi*, lucebunt. Hanc *desiderandi*, *frustra aliquid quaerendi*, maxime apud Arabes habet. Vide lex. Syr. p. 721. ibi enim scripta nolim hic repetere.

Syris ܦܩܕ plerumque est, *praecepit.* Hanc Syriacam notionem verbo Hebraico Jes. XIII, 4. dederunt LXX ἐντέταλται, Vulg. *praecepit militiae bellicae.* Non probo, consveta, *lustrandi exercitum* illi loco aptior. Syrus quoque Sophon. III, 7. כל אשר פקדתי עליה vertit,

ܟܠ ܡܕܡ ܕܦܩܕܬ ܠܟܠܗ, *nihil eorum pereat ab oculis ejus, quae praecepi illi.* Verisimilius hoc priore, nec tamen sequi ausim.

Jerem. XXXII, 15. his adsentior, qui עד פקדי אתו de morte Sedeciae interpretantur, ut idem sit, quod cap. LII, 11. עד יום מותו, *usque ad diem mortis ejus.* Nec tamen contulerim phrasi explicandae Num. XVI, 29. ubi פקד est, *animadvertere in aliquem, punire,* sed potius pro euphemismo habeo: *donec respexero eum, miseriasque ejus desiderata diu morte finiero.*

2061. פְּקֻדָּה Num. III, 32. Pf. CIX, 8.

Num. III, 32. nomen de Eleazaro positum esse videtur, *inspector, praefectus,* proprie *inspectio.* Nomina munerum abstracta terminationis femininae pro concreto saepe ponuntur, i. e. pro his, qui funguntur munere.

Quid sit פקדתו Pf. CIX, 8. valde mihi dubium. Possit esse, *concreditum ipsi, munus ipsius* (sic Lutherus, et ne eum solum nominem, ex Judaeis Raschi, Gallice reddens, prévoté). LXX ἐπισκοπήν vertunt, forte, *munus,* ut tamen Act. I, 20. legitur cum, ἔπαυλις, compositum, gregem potius significabit. Syro est, *servatum filiis ipsius,* quod alii occupabunt; egregie ad filum orationis, sed philologice non satis liquet; ex eo Arabs Antiochenus ما اقتناه *quidquid possedit,* sic et ego in versione germanica, conjecturam ex filo orationis faciens. Chaldaeus male, *numerus annorum ejus addatur alii.* Omnium pessime Hieronymus, *episcopatus ejus,* quasi jam Davidis tempore episcopatus fuissent. Haec inter instabilis, suspicor per R. פקרתו legendum, sive, *paupertatem ejus,* i. e. *pauperculas opes accipiat alius,* a فقر *pauper fuit,* sive, *publici juris factas, rapinisque permissas opes accipiat alius,* ex Chald. אַפְקַר *commune et liberum omnibus fecit.*

פֶּרֶא quaere n. 1970. sub ערוד.

2062. פרד Job. IV, 11.

ובני לביא יתפרדו ex consueta verbi significatione redditum, *filii leaenae separantur,* friget: succurrit Schultensius, vertitque, *filii leaenae pro praeda lacerantur,* nec tamen hanc significationem verbi ex usu linguarum exemplisque probasse videtur. Equidem Arabicum انفرد *destitit* conferre malim, *filii leaenae victi recedunt desistuntque a praeda capienda:*

enda: vide fabulam Locmani primam, ubi de leone, duos adgredi tauros non audente, dicitur, انغر ان ياخذهما destitit invadere illos. Hoc in versione germanica sequutus sum.

2063. פרה, indeque אפריון Cant. III, 9.

Liceat de difficili vocabulo meam aut sententiam dicere aut conjecturam. Φορεῖον, *lecticam*, verterunt LXX, sicque et Vulgata, *ferculum*. Videntur pro graeco vocabulo habuisse: veridissimiliter, perquam enim suspectum in Salomonis scriptis nomen lecticae graecum, maxime cum jam diu antea lecticas Hebraei habuerint. Syrus, *folium*, vertit, quod conjecturale videtur, nec ullo linguarum usu firmatur.

Mihi praeplacet *lectus*, et ob connexionem cum praecedentibus, et quod usu linguarum Aramaearum firmari videtur. A פרה *foecundus fuit*, faciunt Syri, ܐܦܪܝ *fecundavit*, hinc Chaldaei אַפּוּרְיָא, *lectus*, *quod fructificent et multiplicent se in eo*: sunt et Syris ܦܘܪܝܐ *cunae*, *incunabula*. Thorum ergo jugalem intellexerim, malimque his punctis scribere, אַפִּרְיוֹן.

2064. פַּרְוָיִם 2 Paral. III, 6.

Plerisque nomen proprium esse videtur regionis auri feracis, Taprabones Bocharto, libr. I. *Canaanis* cap. 46. quam ipse quidem Seilanam interpretatur, aliis Sumatram intelligentibus. Seilanae obstare videtur, quod nostro tempore auri fodinis carere dicitur. Vide biblioth. Or. priorem T. XXIII. p. 71. sive, *Wolfs Reise nach Ceylan* T. II. p. 111. Possit vero et esse adpellativum auri nativi, proprie, *crescentis*, vel *vegetantis*, a פרה. Vide supra sub סגור n. 1699. scripta.

2065. פרזים et פרזון.

ערי פרזים *pagos*, *urbes moenibus non cinctas* interpretantur, resque ipsa dubio caret, nec tamen a *separando*, ut fere faciunt, nomen derivaverim. Arabibus فَرْزٌ *planities*, et فُرْزٌ *via per terram non altam*, hinc urbes dicuntur in planitie et plano sitae, oppositae munitis, quas *altas* (נשגבה) dicere Hebraei solent.

פרזון Jud. V, 7. ob filum orationis pagos interpretari nolim, *sed planitiem*, *viam per plana*, quam nemo jam ire metu hostium solebat, calles montium, tortuosasque vias omnibus praeferentibus. Vide versionem

nem germanicam, et judica. Praeivit et Syrus, ܦܩܥܬܐ *planities* vertens, exque eo Arabs طُرُق صحاري *vias deserti*: nempe deserta esse, et steriles aquae inopia, planities solent illo sub coelo.

2066. פָּרַח.

Floruit, recte vertunt, nec negaverim generatim ita verbum saepe poni: est tamen ubi פרח et צוץ a se invicem distingui, nec plane synonyma esse videntur, ut Genes. XL, 10. Num. XVII, 23. Alterumne פרח *primam gemmam*, vel etiam florem expansum quidem sed nondum semine conspersum, alterum ציץ *florem perfectum*, denotat? Sed obstare videtur Jes. XXVII, 6. ubi inverso ordine legitur יציץ ופרח. Dubitans haec scribo, aliis expedienda relinquens.

2067. פרט Amos VI, 5.

Verbum cum usu musico non habeant reliquae orientis linguae, difficile dictu, quid sit הפורטים על פי הנבל. Veterum plerisque, LXX, Arabi, Syro, est, *pulsare* nablium: contra Vulgata, *qui canitis ad vocem psalterii*, ut sit, *viva voce canere*, tacente in commentariis Hieronymo, nec rationem interpretationis reddente. *Minurire*, quod habent lexicographorum non pauci, Menachemo debitum, cujus sententiam vide a Raschio ad hunc locum relatam.

Arabicum quidem verbum فرط cum derivatis, duas habet significationes, nostro loco satis aptas, *festinandi*, et, *praeeundi*. Possit ergo esse, sive

1) *festinantes ore nablii*, i. e. festine psallentes, et expedite. Sic alia via ad idem devenerimus, quod Coccejo est, *minurire*: sive

2) *qui praeitis voce canentibus in nablio*. Hoc in versione germanica sequutus sum, verisimilius reliquis visum, non certum.

2068. פֶּרֶט Levit. XIX, 10.

Ἁπαξ λεγόμενον a plerisque, *decidentia* vertitur, ut a LXX ῥῶγες, Vulg. *grana decidentia*, Chaldaeo כַּתְּרָא: de vitibus tamen vineaque si sermo, non satis assequor, quae sint *decidua*, defluere enim ex vitibus uvae haud solent, nec possint illae bene, *grana*, dici, quod nomen forte ex confusione cum פְּרָדָה arreptum. Ergo כֶּרֶם latiore significatione,

de

de qua num. 1216. actum, acceperunt, Syrus, Arabsque Erpenii: ille, (quem et cum nil melius suppeteret in versione germanica sequutus sum,) ܢܬܪܐ ܕܙܝܬܐ *decidua olivarum sive olivetorum*, hic, نَثْرَ جَنَّاتِكَ *decidua hortorum tuorum* i. e. generatim *poma decidua*.

Videtur tamen aliud quid facilius offerre Arabia, cui فَرَّطَ et افرط est, *reliquit, dereliquit*, indeque مُفْرَط *relictum*: sic hoc ipso usus verbo vertit Saadias, مُفْرَط *relictum vineae tuae*. Vel sic tamen malim hortos et oliveta intelligere, ופרט כרמך לא תלקט *et relicta in horto vel oliveto tuo* (poma baccasve) *non leges*, cum, ne idem plane sit praeceptum cum praecedente, *vineam tuam non racemabis*, tum ob verbum תלקט, quo hic colligendi actus ab עלל *racemare* distingui videtur.

2069. פֶּרֶךְ *comminutio, vexatio.*

Saevitiam vertere solent recentiorum plerique: veteres varie, ut Exod. I, 13. *dominabantur Aegyptii Israelitis*.

1) *duritie, duriter*, Chald. בקשיו, Syr. ܒܩܫܝܘܬܐ, Samarit. בקשׁו, Arabs Erpenii بصعوبة (quod nomen pro קשות positum invenies Genes. XLII, 7.)

2) βίᾳ LXX.

3) *Illudentes illis*, Vulgata, praeeuntibus, quos sequutus hic Hieronymus videtur, Symmacho et Theodotione, ἐμπαίγματι, atque Aquila, ἐντρυφήματι. Huc et retulerim, quod Saadias habet, بِاقْصَاء *cum contemtu*.

Nihil horum a filo alienum, vides tamen non eadem esse, nec omnia junctim sumi posse, ergo linguarum sororiarum usus consulendus. Hae quidem offerunt,

1) ܦܪܟ et فَرَكَ *fricare, comminuere*. Servum fricare vel comminuere erit, ut aliis verbis dicam eum *vexare, opprimere*, sicque ad primam, quam dixi veterum versionem res redierit, licet etymon sit aliud. Hoc quidem jam praeplacet.

2) فِرْكٌ *odium*, forte a conterendo et fricando dictum. Hoc sequutus eram in versione Germanica; verteramque Exod. I, 13. *servitia non*

non ut ipsis (Aegyptiis) *utile erat, sed solo odio Israelitarum exigebant.* Jam displicet, cum quod فرك de solo conjugum odio poni Arabum lexicographi statuunt, ex quibus solis hanc significationem verbi novi; tum quod haec notio, *solo odio mensurandi servitia*, ad Levit. XXV, 43. 46. 52. vix apta; ubi nec ipse ita vertere sustinueram.

2070. פַּרְעֹה *Pharao.*

Nomen regum Aegyptiorum commune, ut jam monuit, totus hic relegendus, Josephus Antiquit. VII, 6, 2. lingua Aegyptia adpellative regem significans. Recte ille: ΟΥΡΟ Coptis *rex*, hinc adjecto articulo Π definite, ΠΟΥΡΟ. Ad la Crozii lexicon Copticum p. 70. ablego. Pro articulo Π et Φ poni solet, ΦΟΥΡΟ, (Scholzii grammatica Aegyptia p. 15.) hinc per φ LXX, *Φαραώ*, quod ad nos per Vulgatam transiit. Aliorum sententias, earumque auctores, qui discere cupit, adeat Simonis Onomasticon p. 600, qui nec hanc veram praetermisit: illae abdicandae, quae nomini antiquissimo Aegyptio Hebraicam comminiscuntur aut Arabicam etymologiam.

2071. פרץ.

فرص Arabibus est, *lacerare.* Hinc explicandum duxerim, Hos. IV, 2. פרצו ודמים בדמים נגעו, *lacerant* (i. e. caedes committunt, sed belluarum verbo atrocius expressum) *et sanguis sanguinem attingit*, ubique effusus sanguis. פריץ חיות Jes. XXXV, 9. *lacerator ferarum.* Jerem. VII, 11. מערת פריצים proprie, *spelunca lacerantium ferarum*, sed ita ut hae pro latronibus ponantur. Ferarum et latronum domus, speluncae.

فرض proprie, *secare*, deinde, *sancire*, *definire*, *imperare.* Hinc explico 1 Paral XIII, 2. *si placet vobis*, נפרצה *decernamus*, *mittamusque ad fratres nostros:* 2 Paral. XXXI, 5. כפרץ הדבר *cum decrevissent verbum, seu rem:* postquam hoc decretum edictumque esset. Hinc et,

2072. פָּרִיץ Ps. XVII, 4.

de quo valde disputatur, idem esse videtur, quod Arabibus فريضة *statutum: secundum verbum labiorum tuorum servo vias statuti.*

2073. מִפְרָץ *portus* Jud. V, 17.

Aser *sedere* dicitur *ad litus maris*, *et quietus habitare* על מפרציו. Intelligunt fere *perruptas urbes*, parum apte filo orationis, beatum ac tranquillum statum imbellis tribus describentis. Mihi quidem unice placet, quod dubitans Simonis posuit ad Schultensium ablegans. Nempe, *portum*, Vulgata vertit, (*in portubus morabatur*,) ipsumque eo deducere filum orationis videtur, cum in praecedente membro *litus maris* memoretur. Portus quid aliud, quam incisio in litus, in qua tutae stare naves possunt? Hinc a فرض *secuit*, *incidit*, فُرْضَة *portus*, seu, ut descripsit ex Geuharo Golius, *locus maris*, *ubi naves ad anchoram consistunt*, *statio navium*. Forte idem voluerunt aliqui ex Graecis, qui διαλύσεις verterunt, Syrusque, ܠܘܬ ܡܦܪܩܬܗ, Gabriele Sionita interprete, *ad ostium ejus*, sed fateor et esse posse, *ad ruinas suas*. Vide lex. Syr. p. 976.

2074. פֶּרֶק 1 Reg. XIX, 11.

1 Reg. XIX, 11. ventus fortior memoratur, מְפָרֵק הרים *divellens*, vel, *frangens montes*. Forte eadem phrasi usus Muhammedes Sur. LXXVII, 4. fortiores ventos, الفارقات فَرْقًا, *separantes separationem* dixit, nec tamen nego, aliter Muhammedanis Corani interpretibus accipi solere. Audax sane hyperbole.

2075. פֶּרֶק Obad. 14.

Recentiores fere, *bivium*, vertere solent, at veteres, LXX διεκβολὰς, exque illis Arabs مَفَازَات *loca effugii*, Vulgata, *exitus*, Syrus ܡܦܩܬܐ, quasi diceres, *perforata*. Sic esse possint, loca angusta, per quae fugientibus transitus, claustra montium, sive a *rumpendo* et *perfringendo* dicta, tanquam rupturae per montes, sive a فَرْق *intervallum*.

2076. פֶּרֶק Jes. LXV, 4. in Chethib.

Idem esse videtur, quod مَفْرُوكَة, *massa ex calente adhuc et fracto pane biscocto, admixto oleo vel butyro parata*, a frangendo et comminuendo nomen habens. Lexica Arabum vocabulo carent, sed rem describo Thevenotii et Vanslebii verbis. Ille P. I. itinerum l. II. c. 32. p. 545. de

de placentis subcinericeis *Mafruque* dictis: *étant bien cuite ils la rompent en petit morceaux, et avec un peu d' eau la repétrissent, y melant de la beurre, et quelquefois aussi du miel, ilt font une grosse pâte, dont ils prennent des gros morceaux, et les pressans entre leurs doigts mangent cela avec delice.* Vansleb, Relation d' Egypte, p. 334. *Le Fatir sont dé grandes galettes de l' épaisseur d' un doigt, et de la grandeur d' un chapeau François à grands bord, cuites dessous la braise.* La Mafruka *se fait du Fatir, en le rompant en de petits morceaux, quand il est encore tout chaud, et aussitot qu' il est tiré de dessous la braise; puis versant de l' huile d' olive dessus, et le pétrissant avec les mains dans une grande jatte de bois, comme si c' étoit une pâte.* Vide et Levit. II, 6. ubi de simili massa Moses loqui videtur.

Veterum nullus Chethib expressit, sed omnes Keri, nec videtur locum habere posse, nisi quod in Jesaia sequitur, כליהם dura ellipsi positum pro בכליהם statuas, *et Mafruca abominabilis est in vasis ipsorum.* Vide biblioth. Or. priorem Supplem. T. XIV. p. 201. seqq.

2077. פרר.

Verbum, in plerisque lexicis omissum, quod eorum conditores התפורר et הפר ad פור referrent, recte Schultensio duce restituit Simonis: videtur autem aliquid de eo addendum. Soli habent Arabes et Chaldaei, duplici vel triplici significatione.

1) فرّ *fugit*, quod et de dentibus *excidentibus* poni sub פר monebitur.

2) Chaldaeis est, *frangere*, *comminuere*, idemque et olim Arabibus significasse ex quadrilitero فرفر constat.

3) Est et Chaldaeis, *motitare*, Arabibusque فرفر *movit*, *agitavit*. Hinc quidem התפוררה הארץ Jes. XXIV, 19. vertere possis, sive, *commota, agitata est terra*, sive, quod in terrae motibus accidere solet, *fracta*, *rupta est*. Sic et Theodotion, cujus verba in quasdam τῶν ό editiones fluxerunt, διασκεδάσει διασκεδασθήσεται ἡ γῆ, et Vulgata, *contritione conteretur terra*. Malim tamen, cum plene scribatur, ad eam quae praecessit, et cum qua construitur, radicem פור referre. Vide num. 2013.

הפר ברית *irritum fecit foedus*, *praeceptum*, *verbum* &c. ad nostram radicem retulerunt LXX, διασκεδάζειν διαθήκην vertere soliti: recte, ut mihi

mihi videtur, adhuc tamen dubitanti, ſitne proprie, *fregit foedus?* an, *fugere*, *excidere fecit foedus.*

Impeditior paulo phraſis et conſtructio cum מ, Pſ. LXXXIX, 34. חסדי לא אפיר מעמו, cui enim placeat, *gratiam meam non frangam ab ipſo?* Fugiendi notionem ſi ſumas, habebis, *non fugere faciam gratiam meam ab ipſo*, i. e. ut Hieronymus, ſententiam non etymon exprimens, vertit, *non auferam*, Syrusque ܠܐ ܐܥܒܪ. Scribendum quidem ſic ex regula ſine Jod אפר fuiſſet, verum meminerimus, non ubique Hebraeos legem orthographicam ſequi, inſuper et tres Kennicotti codices אפר habent. Multo facilior lectio XII codicum Kennicotti et de Roſſii, לא אסיר, ſed vereri poſſis, ne ex ſcholio ſit aut correctione orta, aſperiore praeferenda.

2078. פַּר *bos, a tertio inde anno.*

De nomine copioſius egit Bochartus Hieroz. P. I. libr. II. cap. 28. pag. 276–278. quem lege. Mihi de eo ſic videtur. فَرَّ fugit in quarta conjugatione eſt, *primogenios dentes, qui lactentium ſunt, ejecit* (fugere, excidere fecit) *et cum aliis novis commutavit* camelus vel equus. Hinc فُرار *pullus, ovis, caprae, vaccae ſilveſtris*, nempe cui primogenii dentes jam exciderunt. A dentibus et *explorare aetatem equi*, proprie, *dentes ejus inſpicere* dixerunt. Proprie ergo פַּר *bos* erit cui jam dentes, addo et, cornua exciderunt; namque et haec bovi decidunt, naſcuntur nova: ſed deinde multo latius pro omni bove adulto, tauro etiam ponitur. Jud. VI, 25. memoratur, *taurus ſecundarius*, *ſeptem annorum*, isque ab alio, primario ut videtur, novem forte vel decem annorum, qui ſimpliciter פר השור dicitur, diſtinguitur: 14 enim ad 15 annos vivere bos ſolet, robuſtiſſimus ab anno quarto ad decimum. *Taurum* hic optime vertit Vulgata. Juvencus ubi eſt, additur diſcriminis cauſſa, פר בן בקר.

Ut ea quae de dentium cornuumque defluvio etymologiae cauſſa attuli, melius intelligantur, verbis dico non meis, ſed Buffonii, quibus plus quam meis fidei. (*Hiſtoire naturelle* T. IV. p. 458. ſeu verſionis Germanicae T. II. p. 234.) *Le boeuf ne doit ſervir, que depuis trois ans jusqu' a dix, on fera bien, de le tirer alors de la charrue, pour l' engraiſſer et le vendre, la chair en ſera meilleure, que ſi l' on attendoit plus long-temps. On connoit l' age de cet animal par les dents et par les cornes: les premières dents* du

du devant tombent à dix mois, et sont replacées par d' autres, qui ne sont pas si blanches et qu sont plus larges; à seize mois les dents voisines de celles du milieu tombent, et sont aussi remplacées par d' autres, et a trois ans toutes les dents incisives sont renouvellées, elles sont alors égales, longues et assez blanches; à mesure que le boeuf avance en âge, elles s' usent, et deviennent inegales et noires: c' est la même chose pour le taureau et pour la vache, ainsi la castration et le sexe ne changent rien à la crûe et à la chûte des dents. Cela ne change rien non plus à la chûte des cornes, car elles tombent également à trois ans au taureau, au boeuf, et à la vache, et elles sont remplacées par d' autres cornes, qui, comme les secondes dents, ne tombent plus; celles du boeuf et de la vache deviennent seulement plus grosses et plus longues, que celles du taureau. L' acroissement de ces secondes cornes ne se fait pas d' une manière uniforme et par un developpement égal; la première année, c' est à dire la quatrième année de l' âge du boeuf, il lui pousse deux petites cornes, pointues, nettes, unies et terminées vers la tête par une espece de bourrelet, l' année suivante ce bourrelet s' éloigne de la tête, poussé par un cylindre de corne, qui se forme, et qui se termine aussi par un autre bourrelet, et ainsi de suite, car tant que l' animal vit les cornes croissent: ces bourrelets deviennent des noeuds ordinaires, qu' il est aisé de distinguer dans la corne, et par lesquels l' âge se peut aisément compter.

2079. פָּרָה Jes. II, 20.

Ἅπαξ λεγόμενον, ex illorum qui לַחְפֹּר פֵּרוֹת Jes. II, 20. in duas voces dispescunt, sententia: quod quidem scribendo plerique codices faciunt, interpretando grammaticorum pauci. Mihi quidem prope certum, unicum vocabulum esse, nec video probabilem divisi in duo interpretationem adferri: dicendum tamen, quomodo פרות intellexerint, qui dividunt, ac praemittendum, quinque codices Kennicottianos פירות plene scribere.

1) Symmachus ad פְּרִי *fructum* retulisse videtur, *infructuosa* vertens teste Hieronymo. Negationem fructus, infructuosum, quaerebat in praecedente חפר. — — Nuspiam alias פרי pluraliter legitur.

2) Kimchius in radicum libro Thalmudicum פִּירָה *fossa* confert, de quo vide Buxtorfii lexicon Chald. Thalm. p. 1727. *Rectius*, inquit, *ut duas voces interpretamur*, לחפור חפירות, *sic enim invenimus in tabulis Thalmudicis vocabulum* פירה *fossionis vel fossae significatione, cum dicunt*, פירא־דסולפי, *cujus interpretatio est, fossa, in quam projiciunt grana*

da-

dactylorum &c. &c. Verum solis Thalmudicis hac significatione notum פירה, non sine suspicione est, omissi socordia librariorum ח pro חפירה: alia suspicio, per contractionem licentiosiorem recentioris linguae ex eo factum esse, sive adeo ex interpretatione magistrali ipsius Jesaiae loci confictum. Quidquid sit, ex Rabbinica lingua recentiore veterem Hebraicam interpretari, nihil ejusmodi habentibus reliquis Orientis linguis, parum tutum.

2080. פרש Prov. XXIII, 32. Hab. I, 8.

Difficilius dictum, *vinum ut serpens mordet, atque ut basiliscus* יפריש. Displicet, quod nullo linguarum usu in lexico posuit Coccejus, *punget*, Schultensiusque, aliorum etiam sententias enarrans, *jecur diffindet*, nempe ex Arabico أفرث الكبد *diffidit jecur*. Atqui ibi jecoris nomen additum, quo hic caremus; nec basilisci est, *jecur diffindere*. Plura offerunt linguae Orientales, quibus et passim veteres usi, ut difficilis sit inter probabilia optio.

1) *Dividere* esse possit, *didere venena*. Sic LXX ὥσπερ ὑπὸ κεράστου διαχεῖται αὐτῷ ὁ ἰός, et Vulg. *sicut regulus venena diffundet*. Sententia, *exhalat* venenum, quod basilisco tribui solet, nec est fabulis adnumerandum: quaedam enim serpentum genera aliquo tempore, exhalant aliquid inebrians et soporem inducens, quo et animalia capiunt. Vide omnino, qui in ipso se expertus descripsit, filium meum, *Christianum Fridericum Michaelis*, in *Göttingisches Magazin vierten Jahrgang erstes Stück num. 5. über die Klapperschlange* p. 106. seqq. Erit sane egregie, et naturae ita perite dictum, ut praeferre mihi videar, primum certe locum huic explicationi adsignandum putaverim.

2) Habent et Arabes فرس *necavit*, ex quo vertere possis, *necat ut basiliscus*; sed displicet, videtur enim potius verbum de animalibus discerpentibus poni, quam de minutis serpentibus.

3) Iisdem تفرّس *defixis oculis comtemplatus est*, quasi, *distinxit*, (vide exempla a Castello collecta): sic erit, *insidiatur ut basiliscus*. Primum tamen praeplacet.

4) Chaldaeus Syrusque vertunt, *ut serpens qui volat:* utrum יפריח legentes, (hoc enim verbo Aramaeo utuntur) quamquam nullus ita codex, an ab *expandendo alas* volare dictum putantes? ut Arabibus تفرّش est

eſt *expanſis ac motitatis alis eidem loco inhaeſit in aëre librata avis.* Verum et hoc diſplicet, non ſolum, quod baſiliſcus volans fabula, ſed et quod verbum Arabibus non de celeri volatu, qualis foret ceraſtis nos invadentis, ponitur, ſed de quieta in uno loco aëris libratione.

Pro ופשו Habac. I, 8. duo codices Kennicotti, 93, et 150 inſigniores, habent ופרשו, quod et expreſſerunt LXX ἐξιππάσονται οἱ ἱππεῖς αὐτοῦ, Arabe Graeca vertente, يركضون i. e. *equites eorum equos pedibus impellunt ad curſum.* Nempe eſt فرس Arabibus et denominativum ab equo et equite, quod in prima conjugatione lexica interpretantur, *gnarus fuit rei equeſtris.* Lectio ſi vera, ſemel aliquando et in Hebraicis verbum ut denominativum occurrit, quo alia lexica carent.

2081. פֶּרֶשׁ *fimus.*

Recte ita interpretantur lexicographi; addiderim tamen, proprie eum eſſe qui ventriculo animalium ruminantium continetur, non, ut addere ſolent, ſtercus. Eſt ipſiſſimum فرث (per ث ſcriptum, quia hic pro ש Syri ת ſubſtituunt,) quod explicare Arabum lexicographi ſolent, *faeces et fimus, qui in ventriculo animalis continetur.* Habet et Muhammedes Sur. XVI, 68. ubi lac pecudum ſic, ut miraculum dei, deſcribit: *potamus vos de eo, quod eſt in uteris pecudum* بين فرث ودم *inter fimum et ſanguinem, lac purum, leniter deſcendens bibentibus.* Habent vocabulum et Syri, ܦܪܬܐ ſcriptum, a quo et *latrinam* ܦܪܬܘܢܐ faciunt. Ad etymon quod attinet, non referendum ad פרש *ſeparavit,* ſed ſcriptione Arabica et Syriaca indice ad ܦܪܬ *rupit, diffidit,* فرث *fidit,* افرث *fidit ventriculum et contenta projecit.* — — Malach II, 3. Graeci ἤνυστρον verterunt, credo, ventriculum fimo plenum paulo ponentes honeſtius, diſplicet enim literaliter redditum, *ſpargam fimum in faciem veſtram,* nec dubitem quin et ipſe ventriculus, *fimum continens,* hoc nomine vocari potuerit: facit et hoc pro verſione, quod, me quidem ſuſpicante, alius partis ſacrificialis זְרֹעַ (non זֶרַע) mentio praeceſſerat. (Biblioth. Or. nova T. II. p. 257.) Quod in Malachia ſequitur, פֶּרֶשׁ חגיכם, non vertendum arbitror, *fimum ſacrificiorum veſtrorum,* (vide num. 668). ſed, *oblationem feſtorum veſtrorum,* ita ut פֶּרֶשׁ ſecundo loco poſitum ſit idem quod ܦܘܪܫܢܐ *ſacrificium ſpontaneum* a ſeparatione dictum. Vide

lex.

lex. Syr. p. 737. Amant Hebraei, inque acumine habent, vocabula bis diversa significatione eodem in loco ponere.

2082. פַּרְשֶׁגֶן Ezr. VII, 11. (Chald. c. IV, 11. 23. V, 6.)

Exoticum esse vocabulum videtur, sub Persarum imperio in linguas Aramaeas et Hebraicam invectum: unde nolim etymologiam ei Hebraicam quaerere, sed Persicam potius, qua tamen adhuc destituor, cupidus, eam ab hujus linguae peritioribus doceri.

Significationi definiendae quidquid habemus soli debetur linguae Chaldaicae et Syriacae. A Chaldaeo interprete ponitur pro מִשְׁנֶה, *exemplum libri ex alio descriptum*, Deut. XVII, 18. sed ex alia orthographia scriptum, פתשגן אוריתא, -- pro מִכְתָּם Ps. LX, 1. *scriptum* (פרשגן על יד דוד.) Syrus Jes. VIII, 32. ponit pro משנה, *(exemplo)* in chrestom. Syr. p. 116. simpliciter de libro ponitur, *non possum perfecte describere* ܒܦܪܫܓܢܐ *in libro*.

Jam audi veterum interpretationes:

1) Syrus ubique retinet.

2) Vulgata, *exemplum*, ubique vertit, liberque Ezrae apocryphus c. VI, 7. VIII, 8. pro eo ἀντίγραφον ponit: recte, ut mihi videtur, Arabi cap. VII, 11. est وَصْف *descriptio*.

3) Eidem est c. IV, 11. تَصْدِير quod quidem *initium libri* quasi diceres, *pectus ejus* significare possit.

4) LXX c. V, 6. VII, 11. διασάφησιν habent, i. e. *interpretationem, versionem Chaldaicam*. Male.

5) Iidem c. IV, 11. διαταγήν, obscure.

6) Novariensis, (quem, cum lexicon Syriacum ederem, nondum habebam, sed jam dono ac beneficio de Rossii in cimeliis meis numero) p. 166. *thesauri Arabico-Syro-Latini* فهرسة interpretatur. Vocabulum est Persico-Arabicum, quod Castellus p. 423. lexici Persici interpretatur: *syllabus, elenchus, index capitum, quae in quovis libro continentur, in principio poni solitus*. Idemne voluit Arabs num. 3. memoratus? Haec quidem significatio locis Ezrae parum apta.

Esth. III, 14. IV, 8. per ת scribitur, פתשגן, quod et in libris Chaldaicis nonnunquam fieri, supra monitum. Non mirum: exoticorum vocabu-

cabu-

cabulorum, male et depravate in linguas nostras receptorum, scriptio varia saepe et incerta.

2083. פַּרְשְׁדֹנָה vel פַּרְשְׁדְנָה Jud. III, 22.

Recentiores fere *podicem* interpretantur, ut ויצא הפרשדונה sit, *exiit* gladius *per podicem.* Possit omnino פרשדן *podicem*, seu proprie, *interstitium pedum* significare, nec quidem ex illis, quas alii adferunt, etymologiis, sed a فرشد *dissitis pedibus sedere:* at obstat grammatica, חרב enim cum generis femini sit, ותצא scribendum fuisset; nec memini uspiam חרב ut masculinum construi, praeter Zach. XIII, 7. qui ipse locus, inferioris Hebraismi, suspectus. Vide bibl. Or. Nov. T. II. p. 255.

Ravius in diss. de aedibus Hebraeorum *cubiculum* interpretatur *tapetibus instratum*, in quod Ehudus egressus sit, a فَرْش *stragulum.* Molesta in hac explicatione litera ד, cujus nulla ratio reddi potest.

Veteres audiamus,

1) LXX καὶ ἐξῆλθεν Ἀὼδ τὴν προστάδα, *egressus est Ehud ex porticu:* bona sententia, seu potius conjectura, sed nihil habent linguae Orientales, quod hanc vocabuli פרשדן significationem stabiliat.

2) Syrus et Arabs: *egressus est festine:* sed et hoc sine usu linguarum.

3) Melius me judice, sed forte non recte intellecti interpretum quibusdam, Chald. *cibus ejus effusus prodiit*, et dilucidius etiam versionum illa regina, Vulgata, *statimque per secreta naturae alvi stercora porupperant.* Fuerunt, qui hos se sequi existimantes פרשדן *stercora* interpretarentur, ut idem sit quod פֶּרֶשׁ: parum verisimiliter, primo enim, unde accessit litera Daleth? deinde obstat He paragogicum locale.

Hanc tamen interpretationem meam fecerim, mutatis modo vocalibus et vocum interstitiis: וַיֵּצֵא הַפֶּרֶשׁ דֹּנָה, vel etiam, sex enim codices Kennicotti cum Vau habent, דּוֹנָה. Arabibus دُونَ *infra*, *inferius*, hinc verterim, *et egressus est fimus inferius, der Koth ging unter ihm heraus, ging unter ihm.* Sic plane nullum habebimus vocabulum פרשדן.

2084. פַּרְשֵׁז Job. XXVI, 9.

Satis unanimiter quadriliterum ἅπαξ λεγόμενον vertunt, *expandit*, ut idem sit, quod פרש, praeeuntibus, non diffiteor, veteribus. At in

Zain

Zain laboro. Opem ferre conatus Simonis compositum vult cum Arabico فرس separavit: vix tamen favet constructio cum עַל, separat super se nubem. Variae lectionis nihil notari video, literis tamen Zain et Nun finali saepe a librariis confusis, suspicari ausus sum, פַּרְשֵׁז legendum, nubes supra illum velum est. Peto a de Rossio, si vacat, ut hunc locum in codicibus adcuratius inspiciat.

2085. פרתמים Dan. I, 3. Esther I, 3. VI, 9.

In incertis habeo, sitne vocabulum serius originis Hebraicae cognatarumque linguarum, an exterum ac barbarum. Prius si velis, recte vertisse in Daniele LXX et Aquila videntur, ἐκλεκτοὶ, electi, eritque a rad. פרת unde Thalmudici faciunt, אַפְּרַת separatus: sicque et Esth. I, 3. Chaldaice vertitur, פרתונאי.

Exterum si est, origo Graeca repudianda, nec audiendi, qui ex hoc vocabulo suspicionem conflant Danielis sero tempore suppostitii, atque ut volebat Porphyrius, ex Graeco septuaginta interpretum Hebraice ac Chaldaice versi. Sunt, qui πρῶτοι conferunt, id vero ex analogia utriusque linguae per ט, sine מ, פרטים scribendum fuisset. Alii πρότιμος conferunt, sed et hoc פרטמין scribendum fuisset. Ipse adeo Danielis adcusator, quem forte ignari sequuntur, Porphyrius talibus suffraganeis adstipulari non potuisset, ex LXX enim Danielem Hebraice versum volebat, hi vero neutrum horum, sed plane sono sejunctissimum, ἐκλεκτοὶ, habebant.

Persicum nomen, confidenter satis, dixerat Jarchius ad Esth. I, 3. idem significans quod שלטונים dominatores: nulla hic Rabbino, caetera docto, fides, Persica enim unde noverat? Suppetias ei qualescunque tulit Lud. de Dieu ad h. l. (p. 102. animadversionum) conferens Persicum بالا altus, et دم spiritus, unde بردم (Bardam) magnanimus. Melius hoc sane Jarchiano: nec tamen eaedem literae, ברדם et פרתם: sed quod caput est, vocabulum si exterum, dubitari tamen possit, quin sit Persicum, quippe diu ante Persarum tempora in historia ad initia regni Nabochodonosaris pertinente, jam occurrens. Chaldaeobarbarum fortassis fuerit.

Varie explicant veteres, solo Theodotione sonum Graece exprimente, φορθομμὶν:

1) Syrus et Symmachus, Parthos, absurde, qui enim ex Judaea, regiaque ejus stirpe Parthos deduci juberet Nabochodonosar?

 2) Hie-

2) Hieronymus se *κατ᾽ ἀκρίβειαν* Hebraici sermonis vertisse ait, *tyrannos*. Hoc quomodo significare Hebraice potest? Rabbino alicui credidit, forte similia Jarchianis commento.

3) Arabs Danielis ومن الأكرة et *de agricolis* (quod enim in Romana editione legitur, والرووساء *de principibus*, correctio est, teste ipsa praefatione, ad Hebraica aut latina): nec hoc quomodo erui ex his literis possit adparet.

Ergo aut, donec meliora se offerant, his contenti sint lectores quae scripsi, aut de vocabulo barbaro desperent potius, quam fucum sibi fieri optent.

2086. פַּשׁ Job. XXXV, 15.

Obscurum vocabulum, de quo ad Schultensium ablegare, quam ipse dicere malim: displicet et constructio verbi ידע cum ב. Verae si vocales, פַּשׁ, radicis erit פשש, quae sub فسّ Arabibus *debilitatem mentis et stultitiam* notat: sic verteres, *non animadvertit valde ad stultitiam i. e. delicta.* Sic LXX *παράπτωμα*, Vulg. *scelus.* His vocalibus si instruas, בְּפֵשׁ, erit, *nec animadvertit, cum nimis exsultant, luxurianturque impensius*, a radice פרש. — — At Syrus ܘܠܐ ܡܚܒܠ ܠܒܪܢܫܐ *et neminem laedit*: legisse videtur, aut conjecisse, ולא יֵרַע לנפש. Nulla ex codicibus hucusque excerpta varietas lectionis.

2087. פָּשָׂה *dimanavit.*

Verbum de diffusione maculae leprae Levit. XIII. XIV. frequenter positum, ipsissimum est Arabum فشا pro فشو *dimanavit*, in quinta etiam de *propagatione et contagio morborum* poni solitum. Nec tamen duo Arabes Pentateuchi interpretes, ut sunt editi, hoc verbo utuntur, sed alio duabus primariis literis conveniente, نغش, quod hac significatione omisit Golius, supplevit Castellus: suspicor tamen vitium esse librariorum vel editorum, ac pro لَم يَنْغَشْ aliis punctis vocalibusque legendum, لَم يَتَغَشْ ut et Lev. XIII, 5. in Polyglottis scriptum reperio. Chaldaeis est pro suae linguae orthographia פסא, nec tamen hoc verbo Onkelos utitur, sed אוסיף (*addidit, adjecit*) interpretatur: vix ergo satis usita-

usitatum fuisse Chaldaeis videtur, Syri Samaritanique plane hac notione non habent.

2088. פִּשַּׁח Thren. III, 11.

Ἅπαξ λεγόμενον, cujus explicationem ex Aramaea lingua petendam esse, indicio est Syrus, harmonice vertens ܦܰܫܚܰܢܝ. Est autem, cum Chaldaeis tum Syris, *frangere*. Sic Vulg. *et confregit me.* Egregie composita imago: *vias meas recedere i. e. aberrare fecit*, *fregit me*, i. e. *labi me in callibus periculosis ac vulneratum jacere fecit*, *reliquit stupentem.* Sic in editione secunda versionis germanicae interpretatus sum: *Meine Wege macht er zu Irrwegen, dass ich falle und mich verwunde, erstarrt legt er mich dahin.*

In prima editione verteram, *discerpit me*, quod ipsum et פשח Aramaeis significat, praeiveratque Chaldaeus: sed displicuit, primo quod de deo sermo, non de bellua; deinde, quod sequitur *fecit me stupentem.* Discerptum bellua stupentem non relinquit, sed mortuum. Mirum, hoc non animadvertentem in unum adeo comma contrahere hanc imaginum pugnam potuisse Dathium: *meque discerpens reddidit attonitum.*

Nec tamen hanc unam certam dixerim ἅπαξ λεγομένου ambigui interpretationem: quod si enim per Sin efferas, וַיְפַשְּׂחֵנִי, vertere possis, *claudicare*, *impingere*, *labi me fecit;* aut collato Arabico فسخ *luxari*, quod et ad debilitatem mentis transferunt, ut in فَسْخ *inscitia*, *imbecillitas mentis*, unde et ܦܫܝܚܐ *stultus* Syris, *stolidum me et amentem fecit.* Insignis et haec imago: *per salebras et incerta viarum errare me fecit*, *dementavit*, *reliquit stupentem.* Ambigo.

2089. פַּשְׁחוּר Jerem. XX, 3.

Nomen proprium, sed cujus adpellativa aliqua ex derivatione significatio sine dubio spectatur, haec dicente propheta: *non* פשחור *vocavit Jehova nomen tuum*, *sed* מגור מסביב *terror undiquaque.* Retulerunt, 1) pater meus in notis ad h. l. ad Chald. פרש *augeri*, et חור, *nobilitas* 2) Simonis in onomastico p. 445. ad فسا *gloriatus est de nobilitate*, et חור *nobilis*. 3) Venema in commentario, ad פרש *superbire*, et חור *candidus*: non apta sane ad, TERROR UNDIQUAQUE, oppositione.

Mihi si eadem tentandi licentia detur, composuerim ex, فسح *amplus*, *spatiosus fuit locus*, quod verbum et de omni felicitate ac securitate

te ponitur, et Chaldaico, סְחוֹר *circumcirca, in circuitu*, a סחר *circumire*. Sic opponentur: *terror undiquaque*, et, *felicitas ac securitas circumcirca*. Nec tamen ideo sponsor sim, parentes Faschuri, cum filio nomen inderent, de hoc etymo cogitasse: forte tribuit ei Jeremias ex sono, et quod *terrorem* undiquaque ei opponere vellet. Licitae sunt in convicio nominum propriorum novae etymologiae, modo ingenio linguae conveniant.

2090. פָּשַׁע.

Consveta *peccandi, praevaricandi, deficiendi* significatio in proputalo: unde autem orta, quae verbi cum ב vel על construere soliti, vis prima, de eo anquisitum, necdum certi quid adlatum.

Schultensius ad Prov. XVIII, 19. vult esse, *erumpere*, vix audiendus: adfert verba lexicographi Arabici de فسق, quo de فسق quae ille dixit, satis audacter ad פשע transfert, aliis alliterationis jure interdicere solitus. Ne id quidem, illis lectis, mihi certum, sitne فسق *erumpere*: خرج *exire*, *ex obedientia exire*, i. e. *rebellare*, vertitur. Ne favet quidem huic primae notioni constructio cum ב et על, pro quibus particulis malles, מן.

Mihi quidem duplicem conjecturam obtulit Arabia:

1) فشغ *superiore parte fuit*. Estne ex prima vi, *superbire contra aliquem, contemnere illum*? Non placet.

2) Idem verbum *somnolentiae ac torporis* notionem habet, quo et referendum Syriacum ܦܫܝܟܐ *tepidus, insipidus, insulsus*, ܦܫܝܟܘܬܐ *insulsitas*, Sic, ut saepe apud Orientales, delictum peccatumque a *negligentia* vel *stultitia* nomen acceperit. Concinit et constructio cum ב vel על: *negligens* fuit contra aliquem.

Quid est quod LXX. Vulg. Syr. Ar. אח נפשע Prov. XVIII, 19. satis unanimiter vertunt, *frater qui adjuvatur a fratre*? Merane conjectura? qua quidem recte careri poterat, vertique: *frater neglectus a fratre*.

2091. פֶּשַׁע Prov. XVII, 19.

Perquam verisimiliter Arnoldi in Proverbia idem esse vult, quod in sequente membro, שֶׁבֶר *fractionem*, conferens فشغ *confregit caput*. Sic verborum sententia, *amans rixas amat vulnera*.

2092. פשע Jes. XXVIII, 4.

Ἅπαξ λεγόμενον, idem ut volunt, quod פסע *gradi*, sed ex quo bonam exsculpere sententiam nequeo. Cum ב constructum, plane ut praecedens פשע, malim per שׂ lectum, אֶפְשְׂעָה בָהּ interpretari *belli tempore negligo illam* (vineam) non illam tueor, *et incendo illam*. Sic LXX ἠθέτηκα αὐτήν. Velim de שׂ codices conferri. Verum tota haec pars capitis fere desperata.

פתבג quaere sub בג p. 147.

2093. פתה.

Tam diversae prima specie sunt radicis late per Orientem diffusae notiones, ut de illarum serie aliquid dicendum.

1) Prima esse videtur, *patuit*, *latus fuit*, quam apud Syros, Chaldaeosque habet, nec Samaritanis illa ignota, quibus in Aphel est, *dilatavit*, (Exod. XXXIV, 24. Deut. XIX, 8.) ac nomen פתאה *latitudo*. Sic sine dubio accipiendum verbum Genes. IX, 27. יפת אלהים ליפת *dilatet Deus* (non *Japhethum*, sed) *Japhetho*, i. e. latas ei det et amplas regiones. Praeiverunt *dilatandi* significationem hic ex veteribus LXX Vulg. Arabs Erp. atque, eodem verbo usi, Onkelos et Syrus. — — Recentiorum illud commentum, *persuadeat Deus fidem Japhetho*, veterum nullus habet, sed si qui aliter verterunt, ad יפה *pulcher fuit* retulerunt, Samaritanus, יפה אלה ליפת *pulcrum Dei* (i. e. pulcherrimum donum *sit Japhetho*, Saadias, يُحَسِّن (יַפְתְּ אֱלֹהִים) *pulcra faciat Deus Japhetho*, et Pseudojonathan, *pulcros reddat Deus terminos Japhetho*.

Huc et refero Prov. XX, 19. פֹּתֶה שְׂפָתָיו *patulo labiis suis*, seu, ut Vulgata vertit, *qui dilatat labia sua*, omnia ipsi concredita evulgans: forte et Prov. XXIV, 28. mutatis punctis, וְהִפְתִּיתָ בִשְׂפָתֶיךָ *nec dilata labia tua*, ubi dilatare labia erit, ultra verum loqui.

2) *Simplex et apertus fuit*, idque vario usu,

a) plerumque in malam partem Hebraeis, unde et in transitivis conjugationibus illis est, *simplicem facere*, *pellicere*, *decipere*, (aliquando tamen simpliciter, *persuadere*.)

b) Arabibus plerumque in bonam partem, ita ut simplicitas, *nobilitatem animi*, *liberalitatem*, *fraudis expers*, complectatur.

c) Arabibus et a ſimplicitate *juvenis* فَتًى dicitur, nomine plerumque in laudem poſito, unde verbum faciunt فَتِيَ *juvenili aetate fuit.*

3) Arabibus افتى *latum fecit*, i. e. *explicuit*, eſt, *interpretari*, *docere*, unde Mufti (مُفْتِي) Turcorum nomen accepit, *interpretis explanatorisque legis*. In lexicis ergo ubi hic legis, *Sapiens*, noli de antiphraſi cogitare.

De uno adhuc תְּפֻתֶּה Jeſ. XXX, 33. dicendum, quod, ſi puncta vocalia ſequaris, non poteſt תֹּפֶת eſſe cum He paragogico, (otioſo hic ſane, nec Saegol ante ſe habituro) ſed futurum Hophal a פתה. Ut verbum acceperunt LXX. σὺ πρὸ ἡμερῶν ἀπαιτηθήσῃ, *tu ante diem repoſceris*, ſeu, ut melius habet editio Complutenſis, ἀπατηθήσῃ *decipieris*, ſicque et Hieronymus in commentario LXX vertit, *tu ante diem decipieris.* Solent et alias LXX פִּתָּה ἀπατάω vertere. Ego quidem verterem: *a longo jam tempore praeparatum eſt: decipieris!* omnibus, quae ſperaſti excides, ipſeque tuam in perniciem rues. Sed haec de lectione punctorum conſveta.

2094. יֶפֶת *Japheth.*

Non nomen eſſe arbitror, naſcenti puero a parentibus, ſed cognomen a poſteris inditum, atque ex ipſa illa benedictione Geneſ. IX, 17. יפת אלהים ליפת ſumtum. Vide quae ſupra p. 803. de חָם itidem cognomine ſcripſimus.

2095. פתי *ſimplex*, *fatuus*.

Frequentiſſimum Proverbiis nomen peccatoris, de quo jam p. 1433. monitum, lenius eſſe ex reliquis, eumque notare, qui inſcitia magis, quam animi obfirmatione malus eſt. Molliore illo in libro vocabulo LXX ἄκακος vertere ſolent.

Prov. VII, 7. ſuſpicio, idem eſſe, quod Arabicum فتى juvenis: in priore enim membro qui פְּתָאִים, in ſecundo ſunt, בָּנִים, nec niſi juvenibus, incautis quidem et ſimplicibus, ſcena apta. Nil tamen definio.

Pluralem formare ſolet, jam פְּתָיִם jam פְּתָאִים, quod poſterius variae lectioni nonnunquam occaſionem dedit, ubi פִּתְאֹם *derepente*, editi ha-

habent, aliis פְּתָאִים fatuos legentibus. Vide bibl. Or. prior. T. VII. p. 229-231.

2096. פִּתַּח Jes. XLVIII, 8. Zach. III, 9.

Duriuscule, si puncta masorethica sequamur, Piel hujus verbi intransitive ponitur, Jes. XLVIII, וְלֹא פִּתְּחָה אָזְנֶךָ, *non aperta fuit auris tua:* volunt fere, subintelligi, *aperuit SESE*, nullo tamen linguarum Orientalium usu, aut simili in hoc verbo exemplo. Mutant pauci lectionem: codex de Rossi 596. פתחת, *non aperuisti aurem tuam*, sed ex correctione, LXX. οὐκ ἤνοιξα τὰ ὦτά σου, ac si esset, לא פתחתי אזניך (pluraliter, ex socordia forte interpretis, AURES). Exiri anomalia possit, si, aut פְּתֻחָה efferas, Kal intransitive posito, aut פֻּתְּחָה *aperta est.* — — Sed de his minutiis utcunque, *patefacta AURIS*, singulariter, dicitur, cum auscultat, praebetque se in aurem aliquid dicenti. Sic singulariter, הטה אזנו *inclinavit aurem suam*, (ambas enim aures inclinare ad loquentem nemo potest). Sic Ruth. IV, 4. גלה אזנו, *revelavit aurem ejus*, est, in aurem ei dixit, quin et hac ipsissima phrasi, Jes. LV, 5. יהוה פתח אזן לי *Jehova aperuit mihi AUREM*, i. e. in aurem dixit.

Dubia et obscura verba, in quorum explicationibus molestum, nihil ea sic intellecta facere ad remissionem vel inquisitionem peccatorum, de qua sequentia agunt, Zach. III, 9. הִנְנִי מְפַתֵּחַ פִּתֻּחָהּ.

Secundum puncta est, *caelabo sculpturam ejus.* Sic Vulgata, et quos sequutus Hieronymus videtur, Symmachus ac Theodotion. Molestum in hac interpretatione, primo, quod non adparet, quid *caelare sculpturam lapidis*, demta figura significare possit; deinde, quod nec liquet, unde petita imago, lapides enim sacros sculpere, nefas, rudes esse oportebat: denique quid sculptura lapidis ad remissionem peccatorum faciat, obscurissimum. Solo Fabri somnio de septem literis ע, i. e. $\frac{70 \atop 7}{490}$, lapidi fundamentali insculptis, de quo vide p. 1893. rem expedire possis.

LXX ἰδοὺ ἐγὼ ὀρύσσω βόθρον, *ecce fodio foveam*, sicque ex illis Arabs. Insignis sententia, sequentibus apta: fodit Deus foveam, inque eam demergit peccata totius terrae (*). Verum, פתחה nuspiam, fovea: sed forte transpositis literis פְּחֶתָה legerunt, femininum a פַּחַת, quod si ullo in codice reperiretur, dignissimum sane haberem deliberatu.

Sy-

(*) Male Theodoretus de fovea, Gogo et Magogo paranda, accepit: pejus etiam Ephraemus de perfosso Christi latere.

Syrus, *aperiam portam ejus.* Obſcurum, quo ſenſu: porta enim *lapidis*, ſeu *ad lapidem fundamentalem*, quae eſt?

Chaldaeus: *ego manifeſtabo viſiones meas de eo*, (lapide.)

Ego malim פתח hic ex Arabico uſu de judicio accipere, ita ut ſit, *aperire portam*, *judicium habere.* Nempe in portis quia judicia habentur, ipſum فتح eſt, judicare. Coran. Sur. XXXIV, 25. *congregabit nos dominus*, ثمّ يفتح بيننا بالحق وهو الفتاح العليم *poſtea judicabit inter nos ſecundum veritatem, et ipſe ſane eſt judex ſciens.* Sic ſententia: *judicium habebo!* ſequentibus aptiſſima.

2097. פתח, *porta ſeu aula regis.* Jeſ. XIII, 2.

In bibliotheca Or. priore T. XIV. p. 147. rationes reddidi, cur Jeſ. XIII, 2. וְיָבֹאוּ פִּתְחֵי נְדִיבִים a punctis maſorethicis recedendum, et פְּתָחַי legendum videatur, *confluant ad portam meam ſpontanei.* Erit ſic *porta dei*, quam nos *aulam*, *palatium regis* diceremus: ſic enim loqui Orientales ſolent, vel in hunc usque diem, unde non *aula Othomanica* (ut Vindobonenſis aut alia Europaea) memorari ſolet, ſed *porta Othmanica*, atque adeo ſimpliciter, *porta, la Porte, die Pforte.* Confer Dan. II, 49. *Daniel autem manſit* בתרע מלכא *in porta* (aula) *regis*: Elmacini hiſt. Sarac. p. 120. *non convenerunt in ullius Chalifae portam tot Veziri*: Aſſemani bibl. Or. T. I. p. 191. *praeter illos, qui interfecti ſunt* ܒܡܕܝܢܬܐ ܕܡܠܟܐ *in urbe regia*: Xenophontis Cyropaediam l. I. c. 9. ubi optimatum filii apud Perſas educantur *in porta regis.* Ex Schloezeri hiſtoria Lithuaniae p. 177. diſco, Graecos noſtri temporis eodem modo dicere, *ες τας θυρας.*

2098. פִּתּוּחַ Pſ. LXXIV, 6.

Vertunt fere, *contundunt* פתוחיה *ſculpturas ejus*, ſc. templi, quod vix fert grammatica, templum enim cum maſculini generis ſit, פתוחיו dicendum fuiſſet. Ad urbem obſeſſam hac ſignificatione referri vix poteſt, cujus moenia non ſolent elegantibus ſculpturis ornata eſſe, nec hae murorum inutiles ſculpturae deplorari. Fuerunt, qui *portas ejus* (Hieroſolymae) verterunt, Vulg. Ar. Syrus, Symmachus: acciperem, ſi ſine Vau פתחיה reperirem, ſed nullus ita hucusque eorum, qui conſulti ſunt, codicum.

Mihi videntur *rupturae murorum esse (les Brêches)*. collato loco maxime parallelo Ezech. XXI, 27. *ad ponendos arietes*, לפתח פה ברצח, *aperiendumque quassatione hiatum*. Verte: *perrupti ejus muri undiquaque nutant arietibus, plenamque ruinam minantur.*

2099. פִּתֹם *Patumus?* an *Heroopolis?*

Semel occurrit nomen urbis Pharaoni ab Israelitis munitae Exod. I,
11. פִּתֹם defective scriptum, sed plene in VI codd. Kennicottianis פיתום,
in XVII פיתם, in uno פתום, inque Samaritanis פיתין: cujus duplex se
offert interpretatio tam bona et verisimilis, ut nisi altera esset certi quid
nobis habere videremur, jam autem ambigere non desinemus, donec
novae quid lucis ex ipsa nacti Aegypto simus.

Primo enim urbem habemus, eodem nomine, loco opportuno, Pa-
tumum, de qua Herodotus, fossam ex Nilo ad sinum Arabicum ductam
describens, l. II. c. 185. *recipit*, inquit, *aquam Nili κατύπερθι Βουβά-
στιος πόλεως, παρὰ Πάτουμον Ἀραβίην πόλιν, supra Bubastum juxta
Patumum urbem Arabiae* (i. e. Aegypti occidentalis, Arabicum enim
nomum noli intelligere, quippe qui est infra Bubastium.)

At aliam urbem, situ diversissimam ΠΕΘΩΜ, (quod et Exod. I,
11. ex Graeco Πιθωμ servavit) Coptus vocat interpres, *Heroopolim*,
cui in geographia patria, et vero nomen ut suo adhuc tempore notum
ponenti, quis non prope cogatur credere. Nempe Genes. XL, 28. grae-
ca, Ἡρώων πόλιν ἐν γῇ Ῥαμασσῆ vertit, ΠΕΘΩΜ ⲦBAKI *Pethom ur-
bem, in regione Ramesse.* (Vide Scholtzii et Woidii lexicon Aegyptium
pag. 75.) Nec immemor sum, Forsteri conjecturam de בעל צפון Heroo-
poli perquam mihi pag. 206. visam esse verisimilem: verum quis conje-
cturam Coptico interpreti opposuerit? ut taceam, ea salva ΠΕΘΩΜ es-
se posse Heroopolim Aegyptio antiquoque nomine, et בעל צפון He-
braico.

Non jam mirum, in has partes iisse viros primarios, Wesselingium
in notis ad Herodoti locum vixdum citatum, et d'Anvillium in mémoires
sur l'Égypte, p. 123. 124: post quos, nisi novi quid adferas, senten-
tiam dicere, talentoque scrupulum benevole addere, inverecundum. Sed
novi quid et certi nanciscemur, si quem in ipsa Aegypto degentem, in-
terrogare possemus: geographicum nomen ΠΕΘΩΜ sitne adhuc in lin-
gua Coptica etiam extra codicem sacrum vernaculum? et quam regionem,

urbemve, aut quae rudera significet? Non de etymo quaero, quod Forsterus in literis ad me datis p. 31. suppeditavit, *urbis munitae*, sed de usu linguae: nec itineratori hanc quaestionem proponi velim, sed per plures annos in Aegypto degenti, maxime Alexandriae; ubi vel indices sedium episcopalium consuli possint. Quod si quis eorum qui haec legent, amicum in Aegypto, quem consulere possit, habeat, peto, ut faciat.

Duas jam interpretationes, neutri harum comparandas, quis non repudiaverit?

1) Consvetam Judaeorum, quibus Pithom visa est Fijjuma in occidentali Aegypto, quod ita sumunt certo, ut suum Saadiam Fijjumensem (الفيومي) הפיתמי dicere soleant. Manavit quidem ex ipsa Saadiae versione Arabica error, pro פתם in bibliis Polyglottis الفيوم habente; quin et ita Arabs Erpenii. Nec vero suspicor, Saadiam ipsum patriae amore ita errasse, sed librariorum negligentia, ut saepe fit in Arabicis, male positis aut omissis punctis, فيوم pro فتوم scriptum esse, quod nomen cum notissimum omnibus esset, plerosque codices editionesque forte omnes invasit. Vide grammat. Arab. §. 2. num. 12.

2) Patricii, episcopi Chichestriensis, qui ex etymologia Hebraica, a פי תהום *os maris*, Pelusium ad mare mediterraneum intellexit. Aegyptio quidem nomini etymon Hebraicum quaerendum non erat, et minime vero nostro, Aegyptiam originem ipso articulo ΠΕ fatente.

2100. פֶּתֶן *aspis?*

Copiose de hoc vocabulo, aspidem interpretatus, egit Bochartus Hieroz. P. II. l. III. c. 5. Verisimiliter ille, plerosque veterum sequutus, sic vertere solitos: ut in exemplo rem ponam ita vertunt Ps. LVIII, 5. LXX. Symmachus, Vulgata, Hieronymus, Syrus, alibi et Theodotion. Nec tamen res certa, cum enim LXX. idem nomen et pro עכשוב ponant, Ps. CXL, 3. pro צפעני Jes. XI, 8. XIV, 29. LIX, 5. שרף Jes. XXX, 6. non solum contradicendo auctoritas testimonii minuitur, sed et oritur suspicio, ἀσπίδα eos non ut specificum serpentis, sed genericum nomen posuisse, ab aspidis, clypei, similitudine ductum. Shawius quidem p. 181. itinerarii suspicatur, omnibus serpentibus a forma, in quam se colligunt, commune fuisse. —.— Est tamen quod insigniter pro vera aspide facit, a nemine hucusque animadversum: surda dicitur Ps. LVIII, 5. nec audire carmen incantatoris: aspis surda existimatur a graecis, hincque in Cypro insula,

insula, cui maxime domestica, *Kouphi* (κουφή) vocatur, Vide Pocokii itinerarium T. II. §. 402.

Descripsit Bochartus, copiose, sed ut solet, ex veteribus, ex quibus solis parum proficimus. Addiderim ergo, quae Hasselquistus habet p. 239. itinerarii terrae sanctae: *In insula Cypro serpens est, quem Graeci nostri temporis* Ασπικ *vocant. Brevis est, raro plus quam unius pedis, sed mire crassus, ut vel crassitiem brachii humani aequet. Venenum ejus ex reliquis in Oriente cognitis, maxime terribile. Morsus ab eo in soporem incidit, qui in altissimum mox somnum mutatur, et viginti ac quatuor horarum spatio fit aeternus, idque sine omni agone aut symptomate mortis, nisi quod arteria reciprocare desinit, inque toto corpore maculae fulvae ac nigrescentes erumpunt, postque alias 24 horas putredo incipit.* Reliqua apud ipsum legi velim. — — Jam intelliges, cur Cleopatra aspidis quam alius serpentis morsu interire maluerit. (Vide Allgem. Weltgeschichte T. VIII. §. 289. auctoresque ibi citatos.) Certe quod de aspide soporiferum lethum inferente narratur, jam non fabulis adnumerandum. — — Etymologiam nominis ignorare malim, quam comminisci incertam.

2101. פֶּתַע.

פתע Hebraicum ignorant reliquae Orientis dialecti: فتع Arabum alia omnia significat, פתע Samaritanum, *aperuit*, est pro פתח.

2102. פְּתוֹר Num. XXII, 5.

Locum esse in Mesopotamia, et vero montana, satis liquet ex Num. XXIII, 7. Deuteron. XXIII, 5. Fueritne urbs, ignoramus, certe ejusmodi nomen nuspiam occurrit.

Fuerunt, qui ad פתר *interpretari*, referrent, idque spectasse videtur Samaritanus, פשורה in versione habens. Jonathan: *habitatio ejus erat in Faddan, quae dicta est Fetora, ob nomen Bileami*, פתיר חלמיא, *interpres somniorum.*

Equidem malim, *ORACULUM*, vertere, (*misit ad oraculum Dei*) ita tamen, ut loco, ubi Bileamus oracula edebat, hoc nomen tum haeserit: sic erit nomen quodammodo geographicum, ה localis et מ praefixi, quibuscum componi videmus, capax.

Male alii ipsius Bileami nomen putarunt, ut Syrus, ܦܳܫܽܘܪ ܚܶܠܡܶ̈ܐ, Vulg. *hariolus*: sed obstat Deut. XXXIII, 5. מפתור.

פתשגן quaere sub פרשגן.

2103. פתרוסים, פתרוס.

Phaturites, nomus superioris Aegypti, ejusque incolae. Vide Spicileg. T. I. p. 271–274.

2104. פת Num. XXIV, 17.

Pro, *percutiet* פאתי מואב, plerique Samaritani habent, פתי, idque interpretantur: ומבא פתי מואב. Male hoc vertunt, *stultos Moabi*, sunt potius פִּתֵּי *frusta*, *contundet frusta Moabitarum*. — — Lectionem neutiquam probo, cum a partibus Judaicae lectionis sint, Jeremiae c. XLVIII, 25. locus parallelus, veteres, quantum video, omnes, atque duo adeo codices Samaritani.

2105. צֶאֱל, plur. צֶאֱלִים Job. XL, 21. 22. (vel 16. 17.)

De ἅπαξ λεγομένῳ non sententiam dico, sed nihil nos adhuc dum certi habere professus, haec lecturos interrogo. *Elephas* תחת צאלים ישכב *sub* צאלים *cubat*, *jacet*, vel *dormit*. Nulla, quod mirere in nomine, ab aliis ad צְלָלִים relato, varietas lectionis.

Hos quidem, qui צאלים idem volunt esse quod צְלָלִים *umbrae*, eliso Dages, et per א compensato, plane repudiandos puto, quamvis eorum numerus sit prope infinitus, praeiverintque jam veterum aliqui. Vulg. *sub umbra*, Syrus ܬܚܝܬ ܛܠܠܘܗ̈ܝ, exque eo Arabs تحت ظلاله. Inserunt ejusmodi Aleph soli Chaldaei, sed alio plane ordine: ex illorum enim usu pro צְלָלִים scribendum fuisset צְלָאִים (Gramm. Chald. §. 5. p. 17.)

Contulit Schultensius Arabicum, ضَيَال quod الصدر البرّيّ *lotum silvestrem* vertant Arabum lexicographi, alio nomine نبق, qua de arbore copiosius egit: adde ei Prosperum Alpinum de plantis Aegypti, c. V. p. 10–12. iconem etiam arboris dantem. Nil novi melius, sub hac arbore feras et elephantos cubare ex Arabibus docuit Schultensius. Fructum etiam, teste Alpino, effert gratum gustu, qui possit elephantis cibo esse. Est tamen molestum, quod Arabicum arboris nomen non radicis צאל, sed צִיל est.

Ejusmodi Aleph pro Vau vel Jod posito si contentus esse velis, multo possis verisimilius, et sequenti membro aptius, ad צלל referre, ut sit idem quod מְצֻלָּה: *sub fluctibus cubat*, *in occulto arundinis et paludis*: obte-

obtegunt eum fluctus tegmen ipsius. Non ausus sum, permutationis radicum parcior.

LXX v. 21. παντοδαπὰ δένδρα, *omnis generis arbores*, et v. 22. δένδρα μεγάλα habent: conjecturam, nullo fultam usu.

Jobus Ludolphus l. I. c. 10. historiae Aethiopicae *arbores* habet *cerasorum magnitudine, nobis ignotas, instar sambuci medulla plenas, ligno molliore*; quibus vescantur easque instar graminis depascant elephanti. Haec arbores, quae? nihilne de illis ex Seilana, quae nonnunquam meis quaestionibus respondit ac satisfecit, impetrare possimus? Brucii itinerarium Habessiniae, haec dum typis permitto nondum impetrare totum potui: forte ex eo aliquid lucis.

Ergo de צאלים non nisi conjecturas hucusque habemus, ex quibus Schultensiana ac mea paulo verisimiliores. صأل cum Elif Hamz. si quis in Arabicis auctoribus reperiret, haberemus forte certiora.

2106. צאצאים Jes. XXII, 24.

Et hoc vocabulum perquam obscurum. Vix ferendi, qui צאצאים וצפיעות *filios et filias*, interpretantur: hosne, sive ex paxillis, sive ex folio suspendas? quod imaginis monstrum! De צפיעות quidem infra. צאצאים ex serie orationis *ornamentorum genus*, maxime capitis, esse videntur: forte quadriliterum ex ציץ *flos*, *ornatus aureus sacerdotum*, Exod. XXVIII, 36. unde et diadema Ps. CXXXII, 18. *micare* seu *scintillare* dicitur. Sic erit diadema gemmis et auro micans. Possit et esse eadem manente sententia, quadriliterum a وضاء *nitidus fuit*, aut, ضوء *micuit*, luxit, ضَوْءٌ et ضِيَاءٌ *splendor*. (Sur. XXI, 49. Adleri museum Cuph. p. 121.)

2107. צָבָא, צְבָאוֹת.

صَبَاءٌ notissimum verbum, est, *oriri*, de sideribus plantisque poni solitum: hinc dictum putem צבא *exercitum*, qui derepente ex insidiis oriatur, aliosque adoriatur.

De צבא *coeli terraeque* Exod. II, 1. dubitandum. Vertunt fere, *exercitum coeli et terrae*. Exercitus coeli notus, astra angelique, (Deuteron. IV, 9. 1 Reg. XXII, 19.) at rectene, nullo linguarum usu, *exercitum terrae dixeris*? nec vero belluas modo immanes, elephantos, leones, hoc nomine dignos, sed et animalia minora et minutissima, insecta,

cta, arbores, plantas? Malim hic צבא intelligere, *quidquid in coelo terraque oritur*, ex propria vi verbi.

Κόσμον hic, et Deut. IX, 19. XVII, 3. XXIV, 2. XL, 26. verterunt LXX: incertum, utrum κόσμου nomine exercitum intelligentes, nam et *acies ordinata* Graecis κόσμος, an, *ornatum*, ita ut צבא idem illis visum sit, quod צְבִי.

Innumeris locis ut nomen veri dei occurrit, אֱלֹהֵי צְבָאוֹת, vel elliptice, צבאות. De significatione non prorsus constat, hoc uno certo, non esse, *Martem aliquem, deum ducem exercituum bellicorum*, saepissime enim ponitur, ubi talis bellorum Deus plane locum non habet. Dubitandum inter duo:

1) *Deum exercituum coelestium, pro diis cultorum, angelorum et siderum.* Sic erit summus deus, omnibus illis diis major, eorumque dominus, quos superstitiosi adorabant. Arabibus, ut Abulfedae (*), idolorum cultores saepe hinc صبيّون *Sabii* (**), i. e. exercitus coelestis cultores. — Hoc olim in versione germanica expresseram, sed poenitere coepit.

2) *Deum omnium, quae in coelo terraque oriuntur* (צבאות השמים והארץ) i. e. totius universi creatorem ac dominum. Sic saepe solent LXX παντοκράτωρ vertere. Vide Trommii Concord. Praeplacere coepit.

2108. צבב Nah. II, 8.

صَبَّ est, *effudit*: hinc explico, sed cum praecedentibus constructum הֻצַּב Nah. II, 8. *portae fluminum apertae sunt, palatium fluctuat et superfusis aquis* (Tigris) *inundatur*. Historica vide in notis ad versionem germanicam.

Sunt qui הֻצַּב *reginam* vertunt. Hos scito Chaldaeum sequutos, qui quidem non aliqua historiae peritia nobis negata (ut suspicari audent asseclae) reginam vidit, sed sola ductus etymologia a צב pilentum: vertit enim מַלְכְּתָא יָתְבָא בִּצְבָא *regina sedens in pilento*. Ergo dici non potest, nomen eum reginae barbarum ex historia cognitum habuisse. Accedit,

(*) Syriae p. 13. 15.

(**) Non semper: Sabii enim, et Mendaei, discipuli Joannis dicuntur, pro صبيعون ab immergendo. Vide bibl. Or. prior. T. XV. p. 133. XVIII. p. 53.

dit, quod Chaldaei versio, quae reginam dicit in exsilium migrasse, historiae contraria est, in Sardanapali enim pyra periit.

2109. צָבָה Jes. VI, 13. Jerem. XLIV, 19.

Non meam hic adfero loci Jesaiae explicationem, quae sub num. 1626. data, sed rationem reddo versionis septuaginta virorum. Pro אשר בשלכת מצבת בם habent illi, ὅταν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς θήκης αὐτῆς *(sicut glans) cum excidit ex theca sua*, sicque ex consveta certe interpretatione Syrus, ܐܝܟ ܕܢܦܠ ܡܢ ܩܡܛܗ. Suspicor, eos legisse, אֲשֶׁר מֻשְׁלֶכֶת מִצַּבָּתָהּ *quae ejecta est ex testudine vel operculo suo*, i. e. *ex theca*, a ضب *claudere, tegere*, (vide עֶגְלֹת צָב Num. VII, 3.)

Pro לְהַעֲצִבָה Jerem. XLIV, 19. Symmachus habet, καὶ Σέββα, sive, ut in Hexaplis Syriacis expressum, ܘܣܒܐ. Legit ergo וּצְבָה. Hoc quid significare possit, incertum: possit esse, *pilentum*, qualibus Deae vehebantur, possit et, *libamen*, a صب *effudit*, idem quod in sequente membro נסכים.

מַצָּב quaere n. 1033.

2110. צָבָה Num. V, 21. 22. 27.

Vertere solent, *tumescere*, idque et in versione germanica sequutus sum, cum egregie concinat historiae morbi, quem perjurae minari deum vindicem puto, *hydropis uteri*: intumescit uterus. Nec tamen dissimulandum, in nulla alia lingua Orientali verbo hanc significationem subesse: solisque me credidisse versionibus antiquis omnibus. Reddunt enim, LXX per πρήθω, Vulg. *tumescere*, Chald. et Syrus נפח *inflari* aut אַפַּח *inflare*, Arabs Polygl. (in uno modo versu, ad quem pater meus id adnotavit, male descriptus,) ورم *tumescere*, Ar. Erp. منفوخ. Mirus tantus consensus, et interpretum, et naturae, et contextus (opponitur enim verbo נפל *cadere, concidere*) in tanto linguarum orientalium silentio, ne etymologiam quidem suppeditantium.

צְבִיָּה quaere infra sub צבי.

2111. צְבִי.

צְבִי, ظَبْيٌ, ܛܒܝܐ, non proprie nostra caprea, qua fortassis Palaestina caret, sed *caprea* seu *dorcas antholops*, *Gazella*. Vide omnino

no (minus enim distincte de hoc vocabulo Bochartus egit Hieroz. P. I. l. III. c. 25.) *Ern. Fridr. Carolum Rosenmüllerum* in *biblisch-zoologischen Anhang zu Arvieux Sitten der Beduinen-Araber* p. 225–235. Ad solam *montium gazellam* restringit Oedmannus in *Sammlungen aus der Naturkunde*, Heft I. n. 1. sed gravia ei opposuisse Rosenmüllerus videtur.

Dan. VIII, 9. XI, 16. 41. צבי et ארץ צבי *decus*, *terram decoris* interpretor, i. e. *Palaestinam terrarum pulcherrimam.* Eodem modo vocant, qui circa Danielis tempora vixerunt, Jeremias III, 19. ארץ חמדה נחלת צבי צבאות גוים *terram laudatam*; *hereditatem decoris decorum i. e. pulcherrimam gentium*, et Ezechiel XX, 6. 15. צבי כל הארצות, *decus omnium terrarum:* antiquiores, ארץ חמדה terram *laudatam*, Ps. CVI, 24. (vide pag. 811.)

Mira hic aliorum divergia:

1) Proxime a me abest Vulgata, Dan. XI. *terram inclytam* vel *gloriosam* habens: quod praeivisse Aquilam ex Hieronymo ad Dan. XI. discimus. — — Eadem tamen Vulgata Dan. VIII, 9. ad צבא referens, *contra fortitudinem* vertit, praeeunte, ut Hieronymus ad c. XI, 16. docet, Symmacho. Parum probabiliter aut filo orationis apte: *cornu factum est grande, contra meridiem, et contra occidentem, et contra fortitudinem:* nec alias צבא *exercitus* per Jod loco Aleph scribitur.

2) Theodotion parum sibi in Daniele constat. In capite XI. retinuit, sive ut proprium, sive ut ignotum, v. 16. ἐν γῇ τοῦ Σαβεὶ, et v. 41. τὴν γῆν τοῦ Σαβαεὶμ, ex quo Arabs *terram Sabiorum* (صابيين) *idololatrarum* fecit.

Idem c. 8. πρὸς τὴν δύναμιν, *exercitum* credo *coeli* intelligens, pergit enim in versu sequente, καὶ ἐμεγαλύνθη ἕως τῆς δυνάμεως τοῦ οὐρανοῦ: illi quidem loco non inepte. Sed pro eo alii in Theodotionis versione legerunt, πρὸς τὴν δύσιν, *versus occidentem*, sicque jam legit Arabs, vertens, الى المغرب. Aptus occidens filo orationis, non historiae rebusque gestis Antiochi Epiphanis: suspicor correctionem librarii esse, qui, historiae ignarus, occidentem hic desideraret. Nec video quomodo צבי *occidens* esse queat: plagae potius orientali conveniret, ex صَبَا *Eurus, ab aequinoctiali flans*, et صَابِيَةٌ *flans inter ortum et septentrionem:* sed orientem excludit praecedens מזרח.

3) Boch-

3) *βοῤῥᾶν boream*, capite VIII. habent LXX. Hoc unde? volueruntne *plagam inter ortum et septentrionem*, ex qua proprie sic dictus *Boreas* vel *Aquilo* flat? Sic quidem historiae satis concineret explicatio, contra Armeniam enim Antiochus Epiphanes anno Graecorum 147. expeditionem suscepit, victor magno praelio, regemque Artaxiam cepit.

Diversa a praecedente quaestio, quis sit *mons* צבי קדש duo inter maria, Dan. XI, 45. ad quem Antiochus tentorium suum figet. Palaestina, mons pulcherrimus, deoque sacer, aut, mons templi, vix hic, si sana lectio locum tueri posse videtur: de expeditione enim Antiochi Epiphanis contra Armeniam sermo, quo tempore longissime a Palaestina temploque aberat Antiochus, dux ejus in Palaestina Lysias in fugam conjectus, templumque repurgatum. Sperare aliquam olim audebam lectionis varietatem, verba aliqua omissa, hos eventus canentia, sed nullam invenerunt Kennicottus ac de Rossius.

Montem aliquem Armeniae, sanctum habitum, intelligebat Porphyrius, cujus utinam historica curiosius retulisset Hieronymus. Jam vero non nisi haec pauca iniquus adversarius, quique nolebat suum sibi in hoc vaticinio Antichristum, suum somnium, eripi, habet: *montem autem inclytum idcirco praeterit, quia sequutus est Theodotionis interpretationem, quae dicit: inter maria super montem Saba* (potius Sabiorum) *sanctum. Cumque montis SABA vel Armeniae vel Mesopotamiae nomen putet, quare sit sanctus, dicere non potest. Etiam hac licentia mentiendi possumus addere, quod ille conticuit: sanctum dici montem, quia juxta errorem Armeniorum sit idolis consecratus.*

Bene vero, et minime mendaciter additum. Haec Theodotionis, εἰς ὄρος Σαβεὶν (vel Σαβαεὶν) ἅγιον, maxime ex interpretatione Arabis, على جبل صابايين المقدس, scriptorum Arabicorum et Judaicorum modice peritus, quis possit aliter intelligere, quam, *montem Sabiorum*, i. e. *idololatrarum sacrum*. صابيون Arabibus idololatrae (Abulfedae Syria p. 15. 13. et multoties.) Fueritne ergo mons idololatrarum sacer, is qui a septentrione imminet Armeniae? הר מועד Jes. XIV, 13. de quo pag. 1112. 1113. 1114. actum? Unum obstare video dubium grammaticum, inverso ordine verborum הר קדש צבים dicendum fuisse, vel הַר קֹדֶשׁ צְבִי.

Sed possit et aliter ex his verbis, ut scripta sunt, *mons sacer Armeniae*, erui:

1) Si

1) Si sumere audeas צבי idem esse quod צבא; vertere possis *mons exercitus sancti*, vel, *sanctus*, id est, ut Jes. XIV, 13. vocatur, *mons conventus deorum*. Non video lectionem צבא ex codicibus notari, Symmachus tamen, sed forte aliud spectans, εἰς τὸ ὄρος τῆς δυνάμεως τὸ ἅγιον vertit.

2) Possis et צבי *decus* vertere: *mons pulcherrimus sanctus*. Hoc nomine vix ulla regio dignior, quam, paradisis Orientis adnumerata Armenia.

3) Possis et צבי referre ad صابية *boreas*, *flans inter ortum et septentrionem*, ubi sita Armenia, ut sit, *mons borealis sacer*.

Utcunque sit, Armenia Porphyrii praeplacet, suumque Hieronymo antichristum amplexandum relinquo, historica praeferens.

2112. אֶצְבַּע *digitus*, *cum manus*, *tum pedis*.

Male plerique derivarunt a צבע *intinxit*, quod Arabibus صبغ per Gain scribitur, cum digitus illis sit إصبع per Ain: ergo totus in partes Simonis concedo, qui retulit ad صبع *intendere digitum*, *demonstrare*, addoque et صبع esse, *extendere*, sed, *manum*, *brachium*, *pedes*, *veretrum*, non ergo *extendere*, vel *intendere* pro denominativo habendum, sed pro vera radice.

Deinde et hoc illi adsentior, אצבע proprio significatu esse, *digitum indicem*, loca adjiciens, ubi de uno digito κατ᾽ ἐξοχήν, ac sine dubio de hoc, ponitur, Levit. XIV, 16. 27. Jes. LVIII, 9. Est ergo triplex nominis significatus 1) hic proprius 2) latior, quatuor digitos complexus. Sic sumitur sine dubio, ubi ut mensura pollici opponitur. 3) latissimus, pollicem quoque complexus. 2 Sam. XXI, 20.

Ut mensura digitus Hebraeis est quarta pars *palmi*, טפח. Vide num. 917.

2113. צָבוּעַ Jerem. XII, 9.

Non dubito, quin sit hyaena, ut verterunt LXX, exque Arabismo firmavit Bochartus P. I. l. III. c. XI. ضَبُعٌ *hyaenae*: quo de nomine copiose egit Schultensius p. 443–445. grammaticae Erpenianae in notis ad anthologiam Arabicam. Hyaenae quod opponi possit, praecedens הָעַיִט, pro ea facit, si, ut num. 1844. svasi, הָעִיט efferas, *effodit hyaena hereditatem meam*, nempe cadavera effossura et voratura. Icone expressam

sam hyaenam videbis, in, *Ridingerischen Abbildungen von Thieren*, n. 37. et *Miller on various subjects of natural history*, tab. XIX.

2114. צבר *congessit, coacervavit.*

Indubia verbi Hebraici significatio, quam et Arabes habent sub ضبر *congessit inter se saxa, imposuit sibi invicem libros vel chartas.* Hinc et إضبارة *fasciculus, congeries.* Hab. I, 10. de *congestione aggeris ad urbem oppugnandam* ponitur, ut recte viderunt Chaldaeus atque Raschius. Male ibi Kimchius de *collectione innumeri exercitus pulveris instar* cogitavit: dicendum sic fuisset, כעפר, nec nomen, *exercitus*, omittendum. Adnoto, quod forte Arabicum lexicon evolvens ex ضبر, *in hosticum excurrens agmen ad diripiendum*, suppetias Kimchio tulerit.

2115. צָדָה, צְדִיָּה.

Verbum צדה Exod. XXI, 13. 1 Sam. XXIV, 12. *insidiari* vertere solent, nomen צדיה Num. XXXV, 20. 22. *insidias* vitae structas, apte sane filo orationis, et veterum non paucis praeeuntibus, sed nihil horum habent reliquae linguae Orientales. Ergo hujus si tenax significationis sis, dicendum, צדה idem esse, quod צוד *venari*, idque voluisse videtur Syrus 1 Sam. 24. ܘܐܢܬ ܨܐܕ ܐܢܬ ܠܢܦܫܝ *tu venaris vitam meam*, forte et LXX δεσμεύεις τὴν ψυχήν μου λαβεῖν αὐτήν, *illaqueas vitam meam, ut capias illam.*

Haec quidem, si radicum permutatione utendum, veri non dissimilia: plane conjecturale, ex solo filo orationis arreptum, nimisque generale, quod Coccejus habet צדה *intentionem habere, quaerere ad noxam*, צְדִיָּה *industria, data opera:* sed ex hoc lexico in plura receptum.

Arabiam si consulas, haec series erit notionum:

1) صدا pro صدو est, *sitire.*

2) Hinc *sitis* sive *sanguinis* sive *vindictae* dicetur, eritque צְדִיָּה cum *siti sanguinis*, i. e. sciens, cupiensque aliquem vulnero.

3) a siti, *siticulosa* et *vasta* dicuntur ac deserta: hinc Syris Chaldaeisque verbum *vastare, desolare*, significat. Sic semel Hebraeis, Sophon. III, 6. נצדו עריהם *vastatae sunt urbes eorum*, ubi et eodem verbo ܨܕܐ, צְדִיאָ uterque Aramaeus usus.

Alia quoque, ut *clamorem*, maxime lugubrem, *echo*, *rubiginem*, sed hanc proprie sub tertia rad. א, Arabibus Syrisque significat: quorum nihil in Hebraicis reperi.

2116. צָדַק cum derivatis, *justus* et *verus fuit*.

Justitiae et *veritatis* notiones conjunctissimae, unde fit, ut plurium populorum lingua coalescant. *Verum* Livio, *aequum et justum* l. II. c. 48. §. 2. III, 59, 9. Sic quidem et Hebraeis צדק cum derivatis notionem *justitiae*, Arabibus *veritatis* plerumque habet: videtur tamen et haec veritatis Hebraeis non inusitata fuisse, siloque orationis haud paucis in locis, Jesaiae maxime, convenire, ut Jes. XLI, 26. *quis haec praedixit antea*, ונאמר צדיק *ut dicamus*, *verax est* XLIII, 9. *dent testes suos* (vaticinii olim editi) ויצדקו *et veraces agnoscantur*, quod ipse propheta statim explicat, *audiantque, et dicant*, אמת, *veritas est.* XLV, 21. Putem et huc referendum verbum cum ל constructum Jes. LIII, 11. *per scientiam suam* (צדיק) *Verax*, *servus meus*, יצדיק לרבים *multos veritatem docebit*: incertior tamen hic sum, cupiamque, exemplum similis constructionis ex reliquis linguis Orientalibus adferri, quod mihi nondum observatum.

Prima quae verbi ac physica notio, ex usu linguarum Orientalium haud novimus. Conjiciebat Schultensius ad Jes. XLIX, 24. *rigidus fuit*: equidem si conjicendum, mallem, *rectus fuit*, possitque sic proprie positum videri Ps. XXIII, 3. *ducit me* במעגלי צדק *in semitis rectis*, ab ove enim, quam pastor ducit, cum petita sit imago, *semitae justitiae* vix satis imagini aptae. Nihil tamen certi, possis enim et vertere, ut fecit Syrus, *in via vera.*

2117. צְדָקָה, צֶדֶק.

Justitiae notio certa, et vero ita, ut omne genus virtutum complectatur: sed huic et aliae apud Orientales subsunt, de quibus forte, latinum justitiae nomen legens, non cogitaveris.

צדקה et *recte factum*, seu, ut dicere solemus, *bonum opus* est, hocque sensu ab Orientalibus κατ᾽ ἐξοχὴν pro eleemosyna et beneficentia ponitur. Judaeis צדקה hac significatione ita frequens, ut et in linguam Judaeogermanicam receptum sit, *Tsedoke.* Sed habent et veteres linguae. Chaldaeis צִדְקָא *eleemosyna*, vide Buxtorfii lexicon, sicque et Dan. IV, 24. accipiendum puto, praeeuntibus LXX, Theodotione et Vulgata: explicatur ibi in sequente membro per, *misereri pauperum.* Displicuit, fateor,

teor, theologorum quibusdam, ſed ſtudio polemico. Syris ܙܕܩܬܐ *eleemoſyna*, cujus et derivata plura. Arabibus صدقة *eleemoſyna*, atque adeo, *quidquid datur deo*. Tranſiit etiam in Graecismum Hebraizantem, ut Matth. VI, 1. ubi pro ἐλεημοσύνην, pauci quidem ſed graves codices, quibus addendus Vaticanus 1209, δικαιοσύνην habent. Vide Wetſtenium et Birchium.

Mirum ſi ſola Hebraica lingua non habeat: arbitror vero habere, exque hac notione explicanda loca, Deut. XXIV, 13. *ſi reſtitueris debitori pignus* לך תהיה צדקה *tibi imputabitur ut eleemoſyna*, (LXX καὶ σοὶ ἔσται ἐλεημοσύνη ἐνώπιον Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου) Pſ. CXII, 9. *diſpergit, dat pauperibus*, וצדקתו עמדת לעד *et eleemoſyna ejus manebit in perpetuum*, i. e. ſemper habebit, unde dare eleemoſynas poſſit. —— Pluribus etiam locis, a Trommio enotatis, ἐλεημοσύνην verterunt LXX, ſed forte aliter accepto graeco vocabulo.

Paulo generalius de omni beneficio poni videtur Mich. VI, 5.

Eleemoſynae notionem et ad remiſſionem poenae transferunt Arabes, quae ex phraſi Orientis eſt, *remiſſio debiti*. Coranus Sur. V, 49. *praeſcripſimus vobis jus talionis, vitae pro vita, oculi pro oculo, naſi pro naſo, dentis pro dente, et vulneris pro vulnere*, فمن تصدق به *qui autem eleemoſynam fecerit ex hoc*, i. e. *hanc poenam remiſerit* &c. (*) Sic accipiendum et צְדָקָה Pſ. LI, 16. *eripe me a ſanguinis reatu, celebret lingua mea* צדקתך *eleemoſynam i. e. remiſſionem tuam*. Dan. IX, 16. *revertatur irá tua* בכל צדקותיך, vix aliter accipere poſſis, quam de *miſericordia Dei, peccata remittente*. Tranſiiſſe adeo videtur in Graecismum N. T. ut Matth. I, 19. ubi δίκαιος, *miſericors, qui ignoſcit ſponſae peccato*. LXX Dan. IX, 9. הרחמים והסליחות reddiderunt, ἡ δικαιοσύνη καὶ τὸ ἔλεος, ubi manifeſtum, de remiſſione peccatorum ſermonem eſſe. Sic et pro *gratia* ſeu *miſericordia* poſuit Graecus interpres, in codice Alexandrino, Geneſ. XIX, 19. ἐμεγάλυνες τὴν δικαιοσύνην σου, Hebr. חסדך.

De

(*) Habet et in lexico Syriaco Caſtellus, ܙܕܩ *eleemoſynam dedit, it. remiſit*, idem quod ܫܒܩ, ſed neſcio qua auctoritate aut exemplo: quod enim adjecit, Luc. VII, 29. plane non ad rem facit, erroribus collectaneorum adnumerandum.

De insigni bono opere, *merito, jus ad rem faciente*, poni videtur, Ps. CVI, 31. forte et Genes. XV, 6. ita ut ibi non solam justitiam seu liberationem a reatu significet, sed et complectatur *jus in divinam promissionem cui credidit*. Vide et 1 Macc. II, 52. atque de ܙܕܝܩܘܬܐ scripta in lexico Syriaco p. 243. itemque in dogmatica p. 511.

2118. צַדִּיק Hab. II, 4. Jes. XLIX, 24.

Eadem et significatione Habac. II, 4. accipiendum putem, צדיק באמונתו, ut sit non solum, *justus*, sed et, *dignus fide sua*, ob fidem suam dignus, cui Deus praestet, quae promisit.

Difficillimus locus Jes. XLIX, 24. ubi is, cujus praeda sive boni, sive Israelitae fuerunt, ab ejus dominio liberandi, צדיק dicitur. Variae sententiae.

1) Coccejus, citatus jam a Vitringa, *justi* nomine diabolum intelligebat, *quia in captivandis peccatoribus justus sit*. Displicet, ut et Vitringae displicuit. Potius, si, *justus*, vertendum, de regibus cogitaverim Europaeis, duris quidem Judaeorum dominis, sed tamen justis: quis enim neget, in hanc gentem, nostris in terris degentem, summo jure reges dominari?

2) LXX per antiphrasin de *injusto* acceperunt, ἐὰν αἰχμαλωτεύσῃ τις ἀδίκως. Displicet hoc grammaticorum artificium seu potius commentum.

3) Constructione mutata *justi* nomine eum intelligunt, qui opprimitur: ὁ αἰχμαλωτίζων δίκαιον. Est id contra parellelismum prioris membri, versumque sequentem, in quo pro שבי צדיק ponitur, מלקוח עריץ.

4) Vitringa, *severum*, intellexit, idque a Schultensio etymologice exornatum pluribus placuit, vult enim صدق ex prima origine esse, *rigidus*. Nihil hujus etymologiae certis argumentis probavit, est conjectura: totaque explicatio eo dissimilior veri, quod, ut supra vidimus, צדק potius notionem *benevolentiae*, *miserationis*, *condonationis* sibi adscivit. Arabicum صَدْق a quibusdam, fateor, *dura hasta*, vertitur, sed ab aliis, *aequabilis hasta*, proprie, *recta*.

5) Vulgata et Syrus, *robustum*, ܚܣܝܢܐ, vertunt, obscurum, ut videtur vocabulum ex עריץ sequentis versus interpretati.

6) Low-

6) Lowthus hos ipsos putat, עריץ legisse, hancque lectionem praefert. Veri perquam dissimile: nullus ita codex, suntque עריץ et צדיק ita literis sonoque diversa, ut vix altera lectio ex altera oritura videatur. Conjectura critica si res agenda, mallem צדיד legere, quod possit sive *victorem* denotare, sive *adversarium*, collato, ضدّ *vicit*, تضاددوا *invicem contrarii fuerunt*, ضديد *contrarius*. Sic idem foret quod עריץ, de quo vide n. 1981.

7) Jam supra n. 902. vidimus, *victorem* a puritate et justitia dici, quod a deo, populorum judice, justus declaratus sit: infra et de opposito nostri nominis, רשע, videbimus, de eo poni, qui ex bello inferior discedit, deoque judice caussa cadit. Quid ergo, si צַדִּיק hic potius sit, *victor*, ut Germanice circumloqui ausus sum, *der stets gerechte Sache behält*. Forte eodem modo Jes. XLI, 2. צֶדֶק (sic enim legerunt Chald. Syr. Vulg.) de Cyro positum, accipiendum.

2119. צֹהַר Genes. VI, 16.

Fenestram plerique interpretantur, absurde sane, tanto enim navigio fenestra unica suffecerit? Haec in versione Lutheri legens, *ein Fenster sollst du daran machen*, quis non miretur, viro alias acuto talia excidere potuisse? Sed nebulas offuderunt et Vulgata, et lexica ejus temporis. Nempe Kimchius, חלון interpretabatur, Reuchlinus, *fenestra, quae accipit in domo lumen diei: fenestram in arca facies. Inde* צהרים *meridies, cum sol in medio coeli effundit lucem.* Sic et Vulgata, *fenestram in arca facies*, quae ad verba in quaestionum libro sic commentatur Hieronymus: *pro eo quod est* (in LXX et vetere Vulgata) COLLIGENS FACIES ARCAM, *in Hebraeo habet*, MERIDIANAM FACIES ARCAM, *quod manifestius interpretatus est Symmachus*, διαφανὲς, *hoc est dilucidum facies arcae, fenestram intelligens.* Mire effusa verba: 1) quid sanae sententiae habet, *meridiana arca?* צהר cur a duali צהרים derivabat? 2) Διαφανὲς obscura versio, nec usu linguarum Orientalium firmata, quam tamen, si de fenestris accipere voluit, cur quaeso 3) fenestram posuit singulariter, non *fenestras?*

Sic quidem, si succurrere velis, emendenda versio, fecitque Coccejus, *lumen*, (mallem, lucem) interpretatus, fenestrasque lucem admittentes intelligens. Sic jam ex veteribus, Chaldaeus נהור, Sam. נהר, Arabs uterque, ضياء. Non sane poenitet sententiae, sed offert se alia, vel

vel hanc ob caussam verisimilior, quod haec dicere architecto navigii a deo edocto opus.

Praemoneo autem צהר Arabibus duplici scriptione ضهر et ظهر superesse, ضاهر *vertex montis*, ضهرة *testudo*, ظهر *dorsum*. Ergo verterim, *dorsum navigio facies*, dorsi nomine *convexitatem navis* intelligens, quae aquis innatat, *den Bauch* germanice dicimus: non quadratum navigium facies (ut arca esse solet) sed subtus convexum, numerumque, quem tibi praescripsi cubitorum, in summo modo navigii observabis.

ܢܘܗܪܐ, quod Syrus posuit, quid significet, ignorare me fassus sum in lexico Syriaco p. 246. LXX obscuriuscule, ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν. Id quidem manifestum, eos צֹהַר *adpellasse*, huicque verbo *congregandi* significationem dedisse, hoc nisi fallor sensu, *inter aedificandum congregandis ex toto terrarum orbe animalibus operam dabis.* Aliter eos de *firma compage* navigii accepisse Josephus videtur, Ant. I, 3, 2. haec habens, quorum in Hebraico nihil est: ἦν δὲ ἡ λάρναξ τοὺς τοίχους κρατερὰ, καὶ τοῖς ἁρμοῖς ἰσχυρῶς ἐπιδεδεμένη, καὶ τὸν ὄροφον· ὡς μηδαμόθεν ἐπικλύσασθαι, μηδ᾽ ἡττᾶσθαι τῆς τοῦ ὕδατος βίας.

Schultensii cogitata non excerpo, dedit enim Simonis.

2120. צָהֳרַיִם.

Meridies significatio vocabuli indubia, quam sub ט habent Aramaei, טִיהַר Chaldaei, ܛܗܪܐ Syri, atque plane ut Hebraei dualiter Samaritani טהרים: Arabibus sub utraque litera superesse videtur, nam et صهر *ardore suo laesit sol*, forte huc referendum, denominativum a meridie, frequentius tamen sub ظ: ظهر *tempus diei post* زوال (declinationem solis) *et maxime fervens*, *sc. meridies*, ظهيرة *ferventior diei pars*, *meridies*, ظاهرة *qui meridie quotidie adaquantur cameli*, indeque أظهر *meridiano tempore fuit*, vel, *aliquid fecit*, ut Sur. XXX, 16. 17. *laudate deum quando vesperam*, seu potius, *noctem agitis*, (تمسون) *et matutini*, وَعَشِيًّا وَحِينَ تُظْهِرُونَ *et vesperi et cum meridiem agitis.*

Or-

Ortum putem nomen a ظَهْر *dorſum*, indeque, *ſummum*, ut tempus ſit, quo ſol in *dorſo*, i. e. *ſummo coeli* eſt: maxime cum apud Arabes opponatur زوال *declinationi*, i. e. tempori quo ſol non in ſummo eſt, ſive antemeridiano ſive pomeridiano. Dualiter efferri voluerunt maſorethae, צָהֳרַיִם, ſic erit, me arbitro, *tempus ante et poſt illud punctum temporis, quo ſol mathematice in medio coelo eſt*, circiter ab hora decima antemeridiana, ad ſecundam pomeridianam: poſſis tamen et pluraliter efferre, צָהֳרִים, ut ſaepe nomina temporis Hebraeis ſunt pluralia. Vide grammaticam noſtram.

Figurate ponitur Job. XI, 17. plures, prout חלד vertere placuerit, ſignificationes admittens. Equidem verti, *poſt meridiem ſurget beata aeviternitas*, meridiem in malam partem accipiens de moleſto ardoribusque uſtulato vitae tempore, *(nach einem ſchwülen Mittage.)* Vide et biblioth. Or. prior. T. IV. p. 57. Sunt tamen aliqua, quae in mea mihi diſplicent explicatione: non ſatis apta oppoſitio meridiei ad חלד utcunque etiam vertas. Proximus mihi, ſed חלד aliter interpretatus, Chaldaeus: *impoſt meridiem dierum tuorum ſurget corpus tuum.* — — Dreslerus: *immortalitas meridie fulgentior.* Probabilis explicatio. — — Vulgata: *quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam.* Philologice ſi probari poſſet, חלד veſperam eſſe, aptius etiam filo orationis veriſimiliusque vertere poſſis: *poſt aeſtum meridianum ſurget veſpera*, (poſt adverſorum torrentes aeſtus recreans ſequetur veſpera) *dormies* (per noctem) *et tunc ut matutinum tempus eris*, (reſurges ex ſomno.) Sed hujus ſignificationis vocabuli חלד nulla in linguis orientalibus veſtigia reperi. Vide pag. 762. 763.

In *meridiei* explicatione cum laboretur, dictarumque ſententiarum nulla ita ſatisfaciat, ut nihil obverti poſſit, in mentem venit, mutatis punctis legi poſſe, מִצָּהֳרִים ab Arabico صِهْر *ſepulcrum*, proprie, *adfine homini*, per euphemiſmum, cui ſimilem vide Job. XVII, 13. 14. 16. Sic elegans ſatis prodibit ſententia: *ex ſepulcris ſurget putrefactum*, vel *defoſſum*, *corpus.* Vide pag. 761. 763. Nec tamen favet pluralis, maluiſſes enim ſingulariter, *ex ſepulcro.*

2121. יִצְהָר *oleum.*

Soli habent Hebraei, non Arabes, non Aramaei: cognatum tamen a ſtirpe videtur Arabico صَهَرَ *liquavit*, proprie, calore, aeſtu (Sur. XXII, 21.) ſed deinde et ad alia liquida tranſlato, habemus enim inde صَهِير *liquidus*, ac denominativum صهر *unxit caput liquamine.* Alii volunt a *lucendo* dictum *ſplendendoque*, quae tamen ſignificatio, a luce meridiana ſi diſceſſeris, incerta: Chaldaicum צְהוֹר *lucidus*, ut Buxtorfii lexicon inſpiciens videbis, dubium. Praeivit tamen Aquila, στιλπνότης vertens Deut. VII, 13. Zach. IV, 14. Simonis hanc dubiam *ſplendendi* ſignificationem ad virorem tranſtulit, voluitque ipſam proprie ſemper virentem olivam יִצְהָר dici: nec tamen mihi quidem ſententiam perſvaſit, unico enim, quem adfert, loco Joel. I, 10. יִצְהָר cum תִּירוֹשׁ *muſto*, ut ſaepe alias, compoſitum, non arbor eſſe videtur, ſed oleum.

Inſolentior paulo phraſis בְּנֵי הַיִּצְהָר *filii olei* Zach. IV, 14. Ramos olivae plerique intelligunt, qui tamen vix filii olei, ſed filii olivae dicendi fuiſſent: mihi quidem *olivae* eſſe videntur, eaedem quae v. 12. זֵיתִים, ſed *juvenculae.* Suſpicor, phraſin inſolentiorem per alluſionem ad nomen proprium יִצְהָר poni, quod duae olivae juvenculae eſſent, שְׁנֵי בְּנֵי יִצְהָר *duo filii Jitzhari*, i. e. *ex poſteris Jitzhari.* Vide notas germanicas.

2122. צוב Jeſ. XXIX, 7?

צֹבֶיהָ, vel, ut alii codices ſcribunt, צוֹבֶיהָ, ad radicem צבא referre ſolent, per anomaliam omiſſa litera tertia א. Suſpecta jam anomalia, maxime cum nullus omnino codex Kennicottianus א addat, inque eodem verſu praecedat, צֹבְאִים: hic quis non ſuſpicetur, צבאים et צבים verba eſſe, ut ſcriptione ita et ſignificatione diverſa. Adde languorem moleſtae repetitionis: *omnes militantes contra Hieroſolymam, et omnes militantes contra illam.* Quid ergo, ſi צֹבִים ad צוב referas, *et omnes inſidiantes illi*, ſeu potius, nec enim formam participii habet (צֹבִים), *inſidiatores* i. e. *hoſtes ejus*, a ضاب pro ضوب *inſidiari.* Sic quidem, ſi puncta maſorethica, atque adeo plenam lectionem ſequaris: at in Germanica verſione, צַבֶּיהָ efferens, *teſtudines contra urbem actas* intellexi. Duas inter explicationes ambigo.

2123. צובה et צובא *Nesibis.*

צובה, seu, ut nonnunquam Syriaco more scribitur, צובא, cujus cum rege praepotente gravissima Davides bella gessit, 2 Sam. VIII. X. Nesibis, Syris eodem nomine ܨܘܒܐ dicta: qua de re copiosius disputatum in commentatione de Syria Sobaea, duodecima earum, quae a me in Societate Scientiarum Goettingensi per annos 1763 – 1768. praelectae, prodierunt. Illuc ablego.

Unum addo aut corrigo. Josephus צובה *Sophenen* interpretatus, Armeniae regem intellexit: hic quidem adhuc displicet nominum צובא et *Sophene* collatio, cum his ipsis literis ܨܘܒܐ scriptum nomen urbis nobilissimae habeamus; alterum jam veri non dissimile, regem Nesibis Armeniae regem fuisse. Saepe Nesibis, Armeniis subjecta montibus, sedes regum Armeniae: nec obstat, quod tunc opponebam, nomen ארם צובא *Aramaea Sobae* 2 Sam. X, 6. 8. poterat enim rex Armeniae sub potestatem redactam Nesibin Aramaeorum sedem regni habere. Quin ipsa Armenia, aut pars Armeniae, forte aliquando ארם vocatur: vide Spicilegii geogr. P. II. p. 121 – 125. et notas ad 2 Sam. VIII, 3. p. 125.

Heroum Davidis tricesimus primus, Jigal, מִצֹּבָה *ex Soba fuisse* dicitur, 2 Sam. XXIII, 36. forte et tres alii, Eliel, Obed, et Jaasi, 1 Par. XI, 47. si pro הַמְּצֹבָיָה sensu casso legas, הֵם מִצֹּבָה *hi sunt ex Soba.* Haecne ergo Soba Nesibis? hostiumne fortissimos, bello captos, David suum in exercitum, suos adeo inter heroas recepit?

2124. צוד *venari, piscari, capere.*

Venari reddere lexica solent, recte quidem, sed latius patet verbi significatio, omnem capturam animalium, piscium maxime complexi. De captura locustarum ponitur صيد in fabula Locmani 26. Sidon a piscando nomen accepit: Justinus l. XVIII. c. 3. §. 8. *condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona adpellaverunt, nam piscem Phoenices Sidon vocant*, in eo modo errans, quod piscem ita vocari arbitraretur, cum potius piscari ציד vel צוד esset. Hinc et urbi Bethsaida nomen ductum: Chaldaeis ספינת צידין *navis piscatorum.* Syris et verbum de piscatione usitatissimum et ejus derivata, Luc. V, 2. 4. 9. Joh. XXI, 3. 10. Notandum maxime ob locum Levit. XVII, 13. אשר יצוד ציד חיה או עוף *qui ceperit capturam ferae aut avis, quae comedi potest, effundat sanguinem ejus;* ubi verbum generale, quod et piscaturam complecti possit, per ad-

adjecta nomina ad ſolam quadrupedum et avium venationem reſtringitur. Nempe, ut ad Levit. VII, 26. monere Judaei ſolent, ſanguis piſcium licitus, ut mihi quidem videtur, quod ex toto piſcium genere nihil altari deſtinatum. Vide Raſchium ad h. l.

2125. צִידֹן *Sidon*, צִידֹנִים *Sidonii.*

Copioſius de hoc urbis celeberrimae nomine actum in Spicilegio geogr. P. II. p. 1–9. Summa dictorum huc redit,

1) nomen urbis eſſe, non filii Chanaanis, qui urbem condidit, cumque Sidon Geneſ. X, 15. dicitur בְּכוֹר *primogenitus* Chanaanis, non primogenitum filium intelligi, ſed primam populi in Palaeſtina coloniam. Vide et P. I. Spicileg. p. 1–5.

2) Poſſe quidem et plene ſcribi, צִידוֹן idque in codicibus nonnullis fieri, ſed Moſaicam ſcriptionem videri, צידן, et vero צֵידָן adpellandam, ut Arabibus صَيْدَا eſt, poſtea Jod quieſcere coepiſſe: in nummis Phoenicum pro צִידוֹנִים omiſſis Jod et Vau צדנם ſcribi.

3) Speluncam Sidoniorum Joſ. XIII, 4. ut recte monuit Simonis, eſſe videri Guilielmi Tyrii *Caveam de Tyrun*, de qua, Arabibus شَقِيف طيرون, nonnulla ex Abulfeda excerpſi, hic non repetenda.

2126. מְצָדָה Jeſ. XXIX, 7. plur. מְצוֹדִים Cohel. IX, 14.

מְצוֹדָה rete eſſe, dubio caret, ſed hoc quid ad Jeſ. XXIX, 7. Cohel. IX, 14. ubi de machinis obſidionalibus poni videtur? Vix ſatis probabatur, quod apud nonnullos inveniebam, *retia per tropum poni pro machinis obſidionalibus, quibus veluti retibus laqueisque urbs capiatur.* Suſpicabar ergo per Reſch מְצֻרָה legendum, ſed nullus codex conjecturam firmavit.

Haec dubitans, in prima editione verſionis germanicae Jeſ. XXIX, 7. ומצדתה reddideram, *hoſtes ejus*, mutatis punctis efferens, וּמְצָדְּתָהּ, à ضدّ et ضِدِّيد *contrarius.* Verum cum de מצודים Cohel. IX, 14. dubitari nequeat, quin machinae obſidionales ſint, in ſecunda editione ad conſvetam interpretationem redii.

A re.

A reti quidem, aut laqueis, machinas obſidionales dici potuiſſe haud reor: laqueorum fateor manibus ferreis armatorum uſum in diruendis muris fuiſſe, ſed nec hi מְצוֹדִים, nam Cohel. IX, 14. מצודים aedificantur: (בנה עליה מצודים גדלים). Dubiis meis ſic ſatisfacio, ut in memoriam ex n. 2124. revocem צוד generatim eſſe, *capere*, quod verbum etiam de urbibus poni poteſt. Caeterum optem, ut utroque in loco codices adcuratius denuo inſpiciantur, nullusne ex illis pro Daleth Reſch habeat: nec puncta ab inſpiciente negligi velim, dubia enim, ut ſaepe in codicibus, litera, ſi Raphe non habet, Reſch erit.

מְצָד quaere ſub מ n. 1440.

2127. צָוָה.

Verbum *praecipiendi* ſignificatione Hebraeis frequentiſſimum, quam nec Arabes nec Syri ſub his literis, ſed alias omnes habent. Transpoſitis autem literis, et vero eadem conjugatione, وَصَّى Arabibus eſt, *praecepit*. Forte tamen Syris ܨܘܐ ex prima ſignificatione, *ſtatuit*, Ezech. XXXIX, 15. unde *praecipere* duci potuerit.

צַוֵּה־לְבֵיתוֹ, vel, אל ביתו, *praecepit domui ſuae*, de teſtamenti factione ponitur 2 Sam. XVII, 13. 2 Reg. XX, 1. Jeſ. XXXVIII, 1. unde et Rabbinis צַוָּאָה *teſtamentum*: eodemque modo et Arabes ſuum وَصَّى ponunt: Muhammedes Sur. XXXVI, 50. لَا يَسْتَطِيعُونَ تَوْصِيَةً *non poterunt teſtamentum facere*, itemque in quarta Hebr. IX, 16. (ex Erp. editione) الذي اوصي بها *qui teſtatus eſt*, et v. 17. الموصي *teſtator*, — — وَصِيَّة *teſtamentum*, (ex eadem editione Erp.) Hebr. VIII, 8. 9. 10. 13. IX, 16. 18. ipſeque actus ſua ſuis legandi, Sur. II; 176. *illis, qui bona poſſident, inſtante morte praeſcribitur* الوصيّة للوالدين والاقربين بالمعروف *ut de ſuis ex aequo dent legata parentibus et cognatis:* (nempe, non omnia heredibus ab inteſtato, filiis, relinquenda, ſed pars parentibus et cognatis leganda.) — — وِصَايَة *teſtamentum*.

Deut. IV, 23. catachreſtice poni videtur pro, *interdicere: nec faciatis vobis imaginem ullius rei*, אשר צוך יהוה אלהיך, *qua interdixit vobis Jehova*.

hova. Sic Raschi. Sed carere possumus catachresi, modo construamus cum initio versus: *cavete vobis, ne obliviscamini foederis Jehovae,* — — *omnium illorum quae praecepit tibi.*

Ironice positum volunt Jes. XLV, 11. *de filiis meis, et de opere manuum mearum* תְּצַוֻּנִי *praecepta mihi date.* Languet ironia, malimque hic idem esse, quod in priore membro, שְׁאָלוּנִי: *de futuris interrogate me, de filiis meis manuumque mearum opere,* si vobis παράδοξον videatur, *me consulite, ex me discite quid animo volvam.* Sic referendum ad ضوي *percunctatus sum, inquisivit in nuntium.* Sequutus sum in versione germanica, ut filo orationis aptius, et gratius.

צַו quaere num. 1031.

2128. צָרַח Jes. XLII, 11. *clamavit.*

Ἅπαξ λεγόμενον, conferendum cum صاح pro صيح *clamavit, exclamavit,* cujus exempla vide collecta a Castello: Arabibus peculiariter de galli cantu ponitur. Hic quidem verbum de laeto clamore ponitur, nomen צְוָחָה plerumque de lugubri.

2129. צוץ vel ציץ *florere.*

Sub med. rad. Vau exhibeo, quod pleraque hic lexica habent, mallem tamen ad med. rad. Jod referre. Florendi significatione, Hebraeis notissima et certissima, non habent reliquae Orientis linguae. Quomodo a פרח differat, sub hac radice n. 2066. dubitatum. — — Mihi quidem *florere* a *volando* dictum videtur (plane ut פרח utrumque, *volare,* et *florere* complectitur) proximumque Hebraico Chaldaicum ציץ *ala,* indeque, *pinna* quae piscibus pro ala est. Hebraeis etiam ציץ *ala,* ut statim videbimus.

Hancne tentare ausim etymologicam seriem ac tanquam genealogiam? 1) *Tsitz* (צִיץ) sonus naturalis est pipientium avium, ex quo et Syri faciunt, ܨܨܐ *garrivit avium more,* ܨܨܘܐ *garrulitas avium.* 2) Hinc forte avi nomen ductum, צִיץ, ab eoque 3) ortum denominativum, *volare,* atque 4) a volando, *florere.*

Insolentior videri, ac displicere phrasis possit, Ps. CXXXII, 18. ועליו יציץ נזרו *super illo,* (ut vertit Hieronymus) *florebit diadema ejus;* nec enim regum coronae ex floribus contextae: sed meminerimus, notiones *florendi, efflorescendi, micandi, scintillandi,* Orientales saepe in eodem verbo conjungere. Verto ergo, *micabit, fulgebit diadema ejus.*

Ean-

Eandem ſententiam ſic verbo tribuunt alii, ut ציץ hic idem eſſe dicant, quod נצץ, nec negari hae radicum conſonarum permutationes poſſunt.

2130. ציץ *flos, ala.*

Floris ſignificatio certiſſima et notiſſima. Arctius adſtringens Joſephus, atque *hyoſciamum* interpretatus, copioſiusque adeo hyoſciamum deſcribens Ant. III, 7, 6. non videtur uſum aliquem linguae ſequutus, ſed illum modo florem ſpectare ac deſcribere, cujus figuram ipſius tempore ſummus ſacerdos in fronte gerebat.

Eſt tamen et de hoc ציץ זהב, ex cidari ſummi pontificis pendente, Exod. XXVIII, 36. 37. dicendum. Solum Moſen ſi legas, *flos* erit *aureus ex filo ſuſpenſus unico, ac cidari pontificis impendens.* Quam ei formam *bracteae oblongae incurvatae floribus illuſis* dedit Braunius in tabula aenea ad p. 810. libri *de veſtitu ſacerdotum Hebr.* manifeſte falſa, et Judaeis quidem credita, ſed Moſi contradicens: hoc enim teſte ex uno filo ſuſpenditur, quod ſi in tali fieret bractea, perpetuo motu viſum impeditura erat, unde et opus habuit Braunius, praeter hoc filum redimicula ei in occipite duo dare. Adde, FLOREM qui legit, florem, non bracteam cui plures illuſi flores, animo concipere.

Juvat et hic, quid veteres habeant, enotare. Onkelos retinuit ציצא. Samaritanus טס, *bracteam*, vertit, عِصابَة *taeniam, redimiculum*, uterque Arabs, ܟܠܝܠܐ *coronam* Syrus.

Jerem. XLVIII, 9. floris ſignificatio vix locum tuetur, licet ex veteribus ita praeierint, Aquila, ἄνθος, Symmachus βλάστημα, Vulg. *date florem Moab.* Veriſimillima, ac prope certa, hic Rabbinorum ſententia, idem cenſentium quod Chaldaicum ציץ, *ala: date alas Moabo,* (ut avolet) *quia vaſtabitur, ut nemo ibi habitet.* Mirum, ex veteribus neminem vidiſſe. — — Syrus ibi *coronam* vertit, non bona ſententia: *date coronam Moabo, quia vaſtabitur.* Sumſiſſe videtur ex Pſ. CXXXII, 18. — — LXX. *ſigna*, δότε σημεῖα τῇ Μωὰβ, obſcura ſententia: ſed contuliſſe in ignoto vocabulo videntur Num. XV, 38. 39. ubi ציצת, in fimbriis veſtium, pro ſigno eſt. De ſignis eos viarum intellexiſſe, Hebraicis non conſultis, Theodoretus videtur.

2131. צֻק Job. XI, 15. sec. LXX. 1 Sam. XIV, 5.

De מֻצָק, vel ut in Stephani editione majore multisque codicibus legitur, מוּצָק, hic non disputo, sed de his, qui מֻצָק extulerunt, et צק *sordes*, *corruptionem*, interpretati sunt: LXX ἐκδύσῃ ῥύπον, Chald. *purus eris* מחבולא *a corruptione.* صيق *pulvis* est, et *foetens sudor*, صايق *adhaerens*, Aethiopibusque צִיק *corruptor.* Habuisse ergo צוק vel צִיק et notionem sordidi corruptique videtur. Displicet tamen dura ellipsis, *eris a labe* sc. purus, vel liber.

Pro מָצוּק 1 Sam. XIV, 5. malim efferre מִצּוֹק, et צוק *angustum tramitem* intelligere: *scopulus unus prominens erat angusto tramiti a septentrione, alter ab Austro.*

2132. מצקים 1 Sam. II, 8.

מְצֻקֵי, vel, ut multi codices plene scriptum habent, מְצוּקֵי ארץ, quibus impositus תֵּבֵל, orbis habitabilis, mihi quidem videntur esse, etymologice, *pressa terrae*, id vero est, *ima terrae*, quibus haec ipsa superficies imposita. Sic fere ad sententiam Syrus, ܒܥܘܡܩܝܗ̇ ܕܐܪܥܐ *profunda terrae*, exque eo Arabs, sed liberius, ظلّل اعماق الارض *obumbravit profunda terrae.* — — *Cardines* vertit Hieronymus, quod unde, nisi ex conjectura infelice habere potuerit, ignoro: *columnae* Kimchii felicior, nec tamen nisi conjectura sunt: LXX totum comma omittunt, nec Aqu. Symm. et Theodotionis fragmenta hic habemus.

In mentem forte veniat, ad radicem מצק referre, sed hanc in nulla Orientalium linguarum habemus: olim si fuit, nobis periit.

2133. צוּר *formare.*

צור inter alia idem esse quod יצר *formare*, meliores ex lexicographis monuerunt exemplisque confirmarunt, Exod. XXXII, 4. 1 Reg. VII, 15. Concinit sane et aliarum linguarum Orientalium usus: صَوَّرَ *formavit*, *effigiavit*, *pinxit*, unde صُورَة *forma*, *imago*, Syr. ܨܳܪ *formavit*, *pinxit*, ܨܽܘܪܳܐ *imago*, ܨܰܝܳܪܳܐ *pictor*, Chald. צַיָּר *pictor*, צִיּוּר *pictura*, Samar. ציורים Cherubi, proprie, *imagines.*

Huc

Huc et retulerim Ps. CXXXIX, 5. *ab antica et a tergo* i. e. ab omni parte צַרְתָּנִי *formasti me*, praeiveruntque jam LXX ἔπλασας με, Vulg. et Hier. *formasti me*, Syr. ܓܒܠܬܢܝ

Sunt et alia loca, ubi veteres צור ita interpretati sunt, ut LXX Cant. VIII, 9. διαγράψωμεν, et Habac. I, 12. צור, (forte צֻר adpellatum, et subintellecto אותי, varietas enim lectionis nulla) καὶ ἔπλασέ με. Non haec probans enoto, sed ut intelligatur, quid spectarint LXX.

2134. צור *acies.*

Et de hoc vocabulo dudum enotatum, *aciem* illud Exod. IV, 25. Jos. V, 23. Ps. LXXXIX, 44. significare. Hac notione referendum videtur ad صور *secuit, dissecuit;* est tamen haec Arabici verbi significatio, aliis in lexicis omissa, incerta. Nullius exempli recordor, praeter Corani Sur. II, 262. *cape quatuor aves* فَصُرْهُنَّ إِلَيْكَ *et disseca illas apud te, postea pone segmenta illorum in omni monte:* quae tamen verba aliter alii explicant. Haec si pereat derivatio, his accesserim, qui a צור petra, saxo, volunt aciem dictam, quod in infantia generis humani cultris etiam saxeis utebantur. N. L.

Caeterum ad hanc significationem et, mutata tamen lectione verbi יסדתו, referre malim Habac. I, 12. וצור להוכיח יסרתו *et gladium ad puniendum acuisti illum.* Vide num. 1104. et bibliothecam Or. priorem T. XXIII. p. 167–169. Fateor lectionem verbi per Resch ex solis LXX sumtam, necdum ullius codicis suffragio confirmatam esse: sed consuetam lectionem plane despero.

De מצור Nah. III, 14. Hab. II, 1. vide num. 1445. sub מצר et 1633. sub בצר dicta.

2135. צות Jes. XXVII, 4.

Ex hoc loco, puncta masorethica אֲצִיתֶנָּה sequuti lexicographorum aliqui verbo צות *incendendi* notionem tribuunt, quam in nulla linguarum Orientalium habet. Disparebit, si punctis mutatis אַצִּיתֶנָּה efferas: vix mihi dubium, si codices adcuratius consulantur, hoc in quibusdam adeo illorum inventum iri. Caeterum vide sub יצת dicta, et sub צמת dicenda.

2136. צחה Jes. V, 13. *sobrius fuit.*

Ἅπαξ λεγόμενον, quod non opus est, ut plerumque faciunt, ex צחח explicare, licet praefracte negare nolim, utrumque verbum a stirpe antiquio-

quioris linguae bilitera cognatum esse. Habent Arabes, صحا pro صحو *sobrius fuit*, *ad sobrietatem rediit*, صَحْو *sobrietas*. Vertes ergo: *sobrii sunt*, *et sitiunt*, ita ut prius verbum minus dicat quam sequens, eleganter orationis gradatione. Caeterum et *serenitas*, id vero est, *siccitas coeli* eidem radici apud Arabes subest. Cur צִחֵה punctaverit anonymus punctorum auctor, ignoro: mallem equidem, צָחֵה צָמָא.

2137. צחח Thren. IV, 7.

Verbum ἅπαξ λεγόμενον, cui ex Chaldaismo *nitendi*, *fulgendi* significationem dare solent: quam minime equidem nego, vix tamen huic loco, צַחוּ מֵחָלָב satis aptam arbitror, licet praeierint, LXX. ἔλαμψαν ὑπὲρ γάλα, Symmachus, λαμπρότεροι, Vulg. *nitidiores lacte*. Lactis albedo est, non nitor, non fulgor. Consulere loco Arabs studuit, a מחלב avellens, et vertens: اشرقوا, *fulgent*, *prae lacte coagulati sunt*; sed nihil horum in Hebraicis. Syrus pro nitore, candorem ponit, ܚܘܪܘ *candidiores sunt lacte*: idque in versione germanica sequutus sum. Sunt quidem *nitor* et *albedo* non perfecte eadem, sed tamen aliquando hae notiones sub idem verbum coeunt. Vide num. 1264. Chaldaeus, *laeviores sunt lacte*: sic et alias צחיח *laevorem* interpretatus.

Arabiam si consulas, plures verbum pro adpellationis diversitate notiones habet, scitu certe ob derivata necessarias.

1) صَحَّ *sanus*, *integer fuit*, صَحِيح *sanum*, *integrum*, *labis expers*. Transferunt etiam ad, *verum*, quod jam sub صحيح notarunt lexica: addo et verbi ita positi exemplum, Luc. XXII, 70. فَقَدْ صَحَّ انك ابن الله *verumne est*, *quod sis filius dei?* Est et hinc in transitivis conjugationibus, *sanum facere*, *emendare*, Syris, *librum emendare*, vel etiam *adcurate et sine labe describere*, *elaborare*. Vide lex. Syr. Arabibus quoque de vera vocabuli adpellatione et scriptione ponitur: nominum propriorum geographicorum diversas adpellationes scriptionesque indicans Abulfeda, saepe hoc addit, والصحيح *et sanum*, i. e. *verum est* — — Ex verbi Arabici notionibus, quas attuli, si hanc, *labis expers fuit*, ut primam sumseris, a qua sanitas dicta, possis et *albedinem* puram et imma-

cula-

culatam Thren. IV, 7. huc referre, proprie, *puriores sunt lacte*, ut in praecedente membro erat, זכו משלג.

2) صخّ *sonuit*, ὀνοματοποιητικὸν esse videtur. Proprie de *rei durae in duram illisione* ponitur, (صخّ) de *lapidis in petram illisione*, (صخرة). Huc referri possint derivata Hebraica ubi de petra ponitur.

3) ضحّ *solis lux* est, et, *quod soli oppositum ab eoque ustum*, inde et, *lata camporum aequora*, sole torrida et arentia. Videtur cognatum cum ضحو eadem fere significante. Chaldaica significatio *nitendi*, et *fulgendi*, si vera, nec a Rabbinis linguae invecta, cum hac Arabica cognata.

Has ad significationes referenda derivata Hebraica,

2138. צַח.

Jes. XVIII, 4. כחם צח עלי אור, sive ex significatione secunda, *nuda petra*, terra non tecta, *cum incalescit nuda petra luce solis*, sive ex tertia, *cum incalescent aprica, soli exposita, luce solis*. — — Jes. XXXII, 4. דבר צחות sive ut volunt plerique, *loqui nitida*, ex Chaldaica significatione, sive, quod malim, ex prima significatione Arabica, *loqui sana*, i. e. recte adpellata, *barbaris* et *vitiosis* opposita. Symmachus τρανὰ, *perspicua*, *clara*. Mire LXX et Syrus εἰρήνην, ܫܠܡܐ, *pacem*, vertunt: ܫܠܝܡܐ si esset, *sana* interpretarer; sed obstat Graecum vocabulum ex quo forte Syriacum interpolatione seculi octavi fluxit. — — Jerem. IV, 11. ex significatione tertia רוח צח שפים *ventus urens in nudis desertis* (vide infra sub שפי dicenda). Sic Symmachus ܕܫܘܒܐ, *ventus aestus*. Male hic *nitentem* ventum habent, non recentiores solum, sed et in Hexaplis Syriacis Aquila. Hoc quid est, *ventus nitens?*

2139. צְחִיחָה, צָחִיחַ.

Petram, saxum, maxime *nudum* interpretantur, recte ut credo. Ezech. XXIV, 7. locus pro *nuditate* saxi classicus. De solo ambigi etymo possit, secundam inter verbi significationem, ut petra nuda a sono clariore saxi in illam illisi nomen acceperit, et tertiam, ut inde, quod soli expositum nudum saxum ejus radiis uritur.

Huc et refero Ps. LXVIII, 7. *habitant nudam petram*. *Siccitates* generatim Hieronymus vertit, quod ex notione verbi tertia significare posset:

ſet: praeplacet tamen nudum ſaxum, ſolis ardore candens. — — At LXX ac Syrus, eosque ſequuta Vulgata, et utraque verſio Arabica, *ſepulcra* vertunt: quod unde? Suspicatus eſt, in *diſſertatione de aedibus Hebr. c. I. §. 2. p 4.* Sebaldus Ravius, eos צריחה legiſſe: elegans conjectura critica et veriſimilis, ſed a nullo hucusque codice confirmata. Ergo et aliam mihi philologicam permiſerim: petraene nomen pro ſepulcro acceperunt, quod ſepulcra plerumque in petras inciſa?

Nehemias c. IV, 7. (vel 13) narrat, *conſtituiſſe ſe armatos ex populo poſt murum* בצחחים. LXX reddunt, ἐν τοῖς σκεπεινοῖς (*in opertis*) Vulgata *in circuitu:* quod quomodo ex Hebraico vocabulo effici poſſit, non video. Veriſimilius recentiores: *in nudo* (poſt murum) *ſolo.* Poſſit vero et ex prima ſignificatione verbi eſſe, *in ſanis*, ſeu, *integris*, i. e. illa parte, *ubi jam muri reparati ac reſtituti erant:* idque in verſione germ. ſequutus ſum. — — Caeterum multam in hoc vocabulo varietatem lectionis habet Kennicottus, ſed textu non limpidiorem.

2140. צחצחות Jeſ. LVIII, 11.

Siccitates recte vertunt lexica, quod ad tertiam verbi ſignificationem referendum. Unum addo, صَحْصَحَ Arabibus eſſe, *huc illuc agitata fuit apparens aquae ſpecies*, quo de phaenomeno ardentium aeſtu ſolis arenarum in deſertis vide patris mei diſſertationem, *naturalia codicis ſacri ex Corano illuſtrantem* §. 10. Curtium libr. VII, c. 5. §. 3. 4. eosque, quos ſub שָׁרָב citavit Simonis.

2141. צחר.

Verbum in Hebraico codice non occurrit, eſt tamen de eo, ob nomina inde derivata dicendum, idque melius et diſtinctius ſeparatim faciemus, non in nominibus, ne idem bis dicere, aut dubitare opus ſit.

Supereſt nobis in Arabico صَحَرَ, cujus vis in *rubore*, eſſe videtur. In conjugatione XI اِصْحَارَّ explicant lexica, *rubuit et exaruit herba*, exempla non addunt, nec ita legere memini: id tamen manifeſtum, rubrum hic eſſe, ut ſaepe, *flaveſcens.* Nomen coloris, أَصْحَر explicant, *capite* (ٱلرَّأْسِ) *intenſe rubens, et, in quo rubedo eſt, aſinus.* Hinc et Syris ܨܘܚܪܐ *pudor* dictus, ab erubeſcendo. — — In Camus اصحر

ex-

explicatur per أصحب, quod in eodem lexico explicatur, *camelus*,
vel asina فيها بياض وحمرة *in quibus est albedo et rubedo*, i. e. ut
equidem intelligo, *rubens sed maculis albis*. Dicitur hic color, أصحب,
socius, *socialis*, quod ex duobus coloribus consociatus. Sed aliter visum
Bocharto, P. I. hieroz. libr. II. c. 45. p. 476. alibique, qui vult esse, λευ-
κὸν ἐρυθρίζον, *candorem summum*, qui videatur rutilare. Hunc sequuti
Schultensius, et Lettius in canticum Deborae. Mihi haec mens verbo-
rum lexicographi vix esse videtur, ultra lexicon autem Arabicum hic ne-
mo sapit, exemplis nullis hucusque allatis, ne a Castello quidem, hoc
uno merito omnes post se lexicographos Arabum longe relinquente.

Rubere etiam dicuntur candefacta: hinc صحيرة *lac, injecto can-*
dente lapide bulliens. Hinc et, صَحْرَاءُ *desertum*, nempe quod *sole ru-*
bet, *candet*, *uritur*. Nomen ex geographia Africae notissimum, cu-
jus deserta *Saram* vel *Saharam* vocare solemus. Video tamen et latius ali-
quando poni pro omni loco subdiali, soli exposito, ut 1 Reg. VII, 6.
pro Syriaco ܕܒܪܐ, Levit. XIV, 7. pro שָׂדֶה agro: sed hoc nihil ad quae-
stionem, quam tractabo. Jam ex hoc stemmate Arabico habemus

2142. צחור Jud. V, 10.

de asinabus positum, *vecti* אתנות צחרות: equidem vix dubitans verte-
rim, sive, *asinabus rubentibus*, i. e. *fulvis*, sive, quod hoc prope toti
animalis generi commune, *bicoloribus*, *fulvis*, *sed maculas albas habenti-*
bus (scheckige Eselinnen.) Praeivit Arabs, vertens أُتُن الأَشْهَب, *asi-*
nae bicolores. At Bochartus, eumque sequuti, summum candorem, ru-
tilare visum intelligunt. Praeivit illis Syrus, ܡܚܘܪ̈ܬܐ, *albas*, habens, sed
forte et hic non nisi de albis maculis cogitavit. Albus color huic animali-
um generi rarissimus, nec ergo huic loco sine certa linguarum Orienta-
lium auctoritate inferendus.

Nitentes vertit Vulgata, quod ex Symmacho, στιλβουσῶν habente,
sumtum videtur. LXX μεσημβρίας, *meridie* vertentes, צהר legisse vi-
dentur: Chaldaeus, *fraenatas*, vel, *stratas*, habens, non nisi conjecisse.

2143. צחר Ezech. XXVII, 18. *desertum*.

῞Απαξ λεγόμενον, צֶחַר scribendum, formae בֶּעֶל, non, ut aliqua
lexica habent, צָחָר, Kamets enim in loco Ezechielis ob pausam (צָחַר:)
pro

pro-Patach poſitum. Sic quidem, ſi puncta maſorethica ſequaris; at, qui pro nomine proprio habentes SOOR ſcripſerunt, Aquila et Theodotio, ſine dubio צָחָר adpellarunt, Kamets enim Hebraeorum et Chaldaeorum ut O efferunt Syri occidentales.

Veram nominis explicationem quam lingua Arabica ultro offert, resque ipſa ſvadet, neminem veterum recentiorumve vidiſſe, mirum. Damaſco Tyrum adfertur צמר צחר, *lana*. . . . Haec quae eſt?

1) Pro nomine aliqui proprio habentes, ſonos Graece expreſſerunt, reliquis certe minus errantes. Hieronymus in commentario ad hunc locum: *rurſumque, ubi nos poſuimus, lanis coloris optimi, ſive, ſplendentibus, Aquila et Theodotio transtulerunt, in lanis SOOR.*

2) Ἔρια ἐκ Μιλήτου *lanam ex Mileto* verterunt LXX, quos ſequitur vetus latina et Arabs. Nempe Miletus Ioniae urbs, a lanae praeſtantia nobilitata, unde *Mileſia vellera dicta*: et his צחר nomen proprium viſum, atque ex conjectura *Miletum* interpretati ſunt. Vidit Hieronymus: *Miletum*, inquit, *in Hebraico non habetur, ſed quia inde lanae praecipue deferuntur, pro SOOR LXX Miletum interpretati ſunt.* — Non indocte hi quidem, ſed abſurde: Tyriis enim quid opus, merces Mileti, vellera Meliteńſia, a Damaſcenis petere, cum mari advehi maximo viae ſumtuumque compendio poſſent.

3) Non huc referendus erat a Bocharto (T. I. p. 476. 487.) Chaldaeus, qui עמר מילת כבינא vertit: quidquid enim ſit מילת, et undecunque ortum, non certe nomen urbis proprium eſt Chaldaeis, ſed *lanae optimae*, incertum, utrum ab urbe Mileto, an a Μηλωτῇ *(pelle ovina)* ita dictae. כבינא Bochartus *agnum* interpretatur *integumento ſtatim a partu contectum, ut lanae nitor ſuus conſtet*, a כבן *ligavit*. Sic et Raſchi ad hunc locum, cujus verba adſcribo: *eo die, quo natus eſt agnus, eumque mundavit mater ejus lingendo, faciebant operimentum, idque circumligabant ei* (מכבבין) *anſulis, ut illius lana maneret pura.* Hoc ſi voluit Chaldaeus, ad ſequentem forte numerum referri poſſit. Nempe

4) de colore lanae intellexerunt, Syrus, ܥܡܪܐ ܚܘܪܐ *(lana alba)* Vulgata, *lana coloris optimi*, Hieronymus, *ubi nos poſuimus, lanis coloris optimi, ſive, ſplendentibus*, Symmachus in Hexaplis Syriacis, ܥܡܪܐ ܡܢܗܪܐ *lana ſplendens.* Ex his quidem, ſi ſola ſententiae veriſimilitudo ſpectanda, *lanam ſplendentem*, praeferrem, qualis eſt caprarum Ancyrae *(Ango-*

gorae,) quae vere ſplendet: albus enim in lana, maxime Orientali, color, communis, ut in eximia laude vix duci poſſit.

At philologia huic explicationi non ſuffragatur, ſed quantum ex Arabica lingua novimus, de colore ſi ſermo aut rufum, ac fulvum, aut, ex fulvo et albo mixtum ſignificat, quem in lana nemo laudaverit.

5) Ergo malim, *lanam deſerti*, interpretari ex Arabico صحرا *deſertum* (n. 2141). Damaſceni lanam magni deſerti Arabici coemebant Tyrumque devehebant: quod deſertum innumeri Nomades cum gregibus pererrabant. Lana adeo ovium, quas Nomades paſcunt, ſemper ſub dio manentium, melior, quam illarum, quae ſtabula ſubeunt.

2144. צִי, צִיִּים, *naves? feles? ſerpentes aridorum deſertorum.*

Naves ſignificare creditur Num. XXIV, 24. Jeſ. XXXIII, 21. Ezech. XXX, 9. Dan. XI, 30. nulla cognatarum linguarum ſuffragante, ac ne etymologiam quidem probabilem ſuppeditante. Ipſa loca perquam dubia, nec probandae ſignificationi ſufficiunt.

Num. XXIV, 24. multa lectionis varietas, de qua vide biblioth. Or. novam T. V. p. 216–218. nec naves illi loco aptae: de hoſtibus enim ſermo Aſſyrios et Hebraeos humiliaturis. Aſſyriam, regionum maxime mediterraneam, claſſibus quis adoriatur? Caeterum vide ſub צִיִּים dicenda.

Nec Ezech. XXX, 9. *nuntii egredientur a me* בַּצִּים *ad terrendum Aethiopiam:* cladem enim Aegypti Aethiopibus nuntiaturi navibusne proficiſcentur? Ad צִי vel צִיָּה ſi nomen referendum, malim *per arida deſerta* explicare, per haec enim, utrique regioni interjecta, ex Aegypto Aethiopiam petunt. Sic quidem mutatis punctis בְּצִיִּם ſcribendum. — — At LXX habent, σπεύδοντες, *feſtinantes* (*), et Syrus ܡܣܪܗܒܐܝܬ *feſtinanter:* idque filo orationis egregie aptum בַּצִּים ſignificare poſſit, a باض pro بوض *feſtinavit.*

Dan. XI, 30. lectio incerta, pro צִיִּים veterum pleriſque יוצאים vel מוציאים habentibus. Vide num. 1029.

Ad ſolum ergo omnia redeunt Jeſaiae locum, c. XXXIII, 21. ubi צי אדיר a Chaldaeo, Syro, Vulgata, *trieris magna* vertitur, ſatis veriſimili-

(*) De ἐν Σιεὶμ, quod in nonnullis codicibus legitur, non jam diſputo: ita qui vertit צִיִּים pro nomine proprio habuit. In Hexaplis Syriacis ſigno ※ ut ex Hebraico additum notatur.

militer, quod aliud navis nomen, אֳנִי praecesserat: eosque, certiora et exploratiora non habens, in versione germanica sequutus sum. Est tamen et hic lectio dubia, Symmacho ἐντολὴν vertente, ut צו legisse videatur, et Syro, ܢܫܬܟܚ qui invenietur, a radice מצא.

Jes. XIII, 20. XXXIV, 14. Jerem. L, 39. &c. צִיִּים ut nomen animalis ponitur, vastissima deserta habitantis. Copiose de hoc vocabulo Bochartus egit, Hieroz. P. I. libr. III. c. 14. collato Arabico ضَيْوَن *felis*, feles feros intelligens. A צִיָּה siccitate, potuerit felibus nomen duci, vix enim aliud animal tam refugit madefieri, quam felis. Sequutus ergo olim Bochartum sum: sed videns צִיִּים cum אִיִּים componi, Jes. XXXIV, 14. Jerem. L, 39. qui mihi serpentis genus, idem quod Arabum أَيِم (*), putem et צִיִּים serpentes esse, ab aridis quae habitant desertis ita vocatos. Desertorum incolas צִיִּים dici, ex lexicis notum.

2145. צִים Num. XXIV, 24.

צִים si vera lectio, de quo sub numero praecedente dubitatum, mutatis vocalibus צַיִם efferre, et *oppressionem* vertere possis, *sed oppressio a manu Macedonum;* collato Arabico ضَيْم *oppressio*. Nec tamen satis placet: Arabicum verbum non tam de vi bellica manifesta ponitur, quam de *injuria*, saepe et *fraude*. Vide Castelli lexicon. Prima vis ejus in *deflectendo*, hinc *injuria* dicta, quod a jure et recto deflectat. Vide Chrestomath. Ar. p. 84. not. 3.

2146. צִיּוֹן *Sion, mons et urbs.*

Sic quidem, exemplo Graecorum interpretum et Hieronymi nomen per S latine scribendum, non, ut aliqui faciunt, Zion: Z latinorum et Z Graecorum non sunt צ Hebraicum aut ʒ Germanicum, sed mollissimus sonus, Z Gallorum. Sonum literae Hebraicae si exprimere velis, possis Tsion aut Relandi exemplo Tzion scribere, sed nimis hoc barbarum, latinaeque linguae adsveto molestum.

Nomen unde acceperit, incertum. Varias veterum sententias in collegio critico p. 506–510. ad Ps. CX, 2. exposui, quo lectores ablego.

In

(*) Alias et de אִיִּים Bocharto adsentiebam: unde in Parte I. p. 68. 69. אִים animalis nomen omissum.

In libro Maccabaeorum primo c. IV, 37. 60. V, 54. VII, 32. 33. Sion non est, quae veteribus ita dicitur, sed oppositus ei ab Oriente mons templi, veterum Moria.

2147. צִיּוּן 2 Reg. XXIII, 16. Jerem. XXXI, 21. Ezech. XXXIX, 15.

Ter occurrit, 2 Reg. XXIII, 16. de *tumulo sepulcrali*, Jerem. XXXI, 21. de *viae indicio*, quod quidem ipsum in desertis aut lapis esse solet, aut lapidum tumulus, Ezech. XXXIX, 15. sive, de *indicio* cadaveris mortui ibi jacentis, sive de *tumulo sepulcrali extemporali*. Ad radicem ציה vel צוה referendum, non, ut Venemae Jeremiam interpretanti visum ad صون *custodire*, impedita sane derivatione. Arabibus صُوَّةٌ *collis, lapis, viae index, cippus*, صُوًى *sepulcra, tumuli*, sicque et Syris, ܨܘܝܐ, quo vocabulo harmonico in Ezechiele Syrus usus, ܢܨܘܐ ܨܘܝܐ *statuet monumentum*. Unde autem ejusmodi lapides dicti, ab *ariditate*, Arabicoque صوى *exaruit*, an a Syriaco ܨܘܐ *statuit*, in Ezechielis loco pro בנה posito, lectori dubitandum relinquo.

In Jeremia quidem *signa*, ut dixi viarum, intelligo, quibus observatis redire possis, unde profectus eras. Sic et Syrus, ܐܬܐ. Ἐπισκόπους, *speculatores* habebat Aquila, Symmachus, secundum Hieronymum, *speculas*, quod in Vulgatam idem recepit. Hoc quidem ad Arabicum صون *custodire* referri possit, unde Aethiopibus ציון *arx*: arces veterum plerumque turres. LXX varie. In editione Complutensi ut nomen ignotum retinuerunt, στῆσον σεαυτῇ Σιωνεὶμ, quod et in illis Theodoretus legit, (Σιωνεὶμ ὁ Σύρος σημεῖα ἡρμήνευσεν), in alii editionibus, στῆσον σεαυτὴν Σιὼν, *erige te Sion*: in Hexaplis Syriacis, interpolati ex alio Graeco, ܣܟܘܐ *speculas*.

Loco Ezechielis quae significatio aptissima, dubitari possit. *Indicium, signum* ossium inventorum, res ipsa poscere, at verbum בנה obstare videtur, nulla enim lectionis varietate habemus, ובנה אצלו ציון *aedificabit juxta illud Sijjun, donec sepeliant illud in valle Gog*. Ergone *sepulcrum* est extemporale, ossa tecturum, donec magno omnium sepulcro in terra Gog excipiantur? conjecti forte in illud lapides? quamquam nec lapides conjicere est, aedificare. Sed obstat, quod non super os inventum;

tum, sed juxta illud, Sijjun erigitur. Vulgata: *statuet juxta illud titulum*, ubi manifeste, *titulus*, pro monumento sepulcrali ponitur. Vide Gesneri thesaurum. Refero, non judico.

Eadem *tumuli lapidum* seu potius *ruderum* notione cum allusione ad nomen Sionis poni contemtim arbitror, Jerem. XXX, 17. ציון היא *vocabant te: tumulus lapidum est* (Sion) *nemo curat illam.*

2148. צִיר.

Varia significat, ad diversas aliquando radices pertinentia.

1) *Nuntius*, *missus ab alio*, idem qui et מלאך Jes. XVIII, 2. (ubi cum מלאך componitur, atque a veteribus omnibus ita accipitur, licet recentiorum aliqui de imaginibus cogitarint; vide Vitringam ad h. l.) Jerem. XLIX, 14. Obad. 1. Prov. XXV, 13. Hac notione retulerim ad صير *ivit, abiit*, cum الي constructum, *pervenit*, e. g. Genes. XXV, 8. صار الي قومه *abiit*, vel, *pervenit ad populum suum*, Joh. IV, 40. لما صار اليه pro Graecis ὡς ἦλθον πρὸς αὐτὸν, sic et v. 44. Hinc et مَصِير *locus quo quis abit, ac pervenit*, ut Gehenna ad quam mali, Coran. Sur. II, 120. XLVIII, 6.

2) *Cardo* Prov. XXVI, 14. Ἅπαξ λεγόμενον, consensu tamen linguarum sororiarum certum. Harmanice hic verterunt Chald. et Syr. צִירְתָּה, ܨܝܪ̈ܐ, LXX, quibus concinere solent, ἐπὶ τῷ στρόφιγγι praeeuntibus: Arabibus quoque صير Exod. XXVI, 17. ita ponitur pro ידות. — Dictusne cardo tanquam *extremum januae*, a صَيُّور *finis, extremum, quo quid redit?* Ad صَرّ *striduit*, retulit Schultensius in commentario, quod cardo stridere soleat: sic tamen sine Jod scribendum fuisset; sed sumit, utramque radicem idem significare. Aliam et derivationem adjecit, quam non excerpo, ne nimis fiam prolixus, sed ad ipsum ablego.

3) De *doloribus parturientis*, seu potius, *spasmis*, Jes. XIII, 8. XXI, 3. poni, manifestum. Hac significatione retulerim ad صور in quinta conj. تَصَوَّرَ *contorsit, contraxitque sese in dolore*, quod et pro omni vehementiore motu ponitur, ut Habac. II, 16. de motu ebrii, jactatione? an motu in vomitu? تَصَوَّرَ تَزَعْزَعَ وَتَزَلْزَلَ ex Graecis, διασαλεύ-

θητι

ϑητι καὶ σείϑητι. Satis ergo proprie, etymon quoque exprimens, Vulgata Jes. 13. *torsiones* vertit, Hieronymo in commentario adscribente, *ut in morem parturientium feminarum dolor torqueat viscera.* Syrus utrobique harmonice, ܥܘܨܝܐ, quod et de *contorsionibus morientium* poni in lex. Syr. monui.

Hinc et jam explicanda phrasis ac constructio, 1 Sam. IV, 19. נֶהֶפְכוּ עָלֶיהָ (*) צִירֶיהָ proprie, *vertebantur* i. e. convolvebantur *spasmi et torsiones ejus super ea*, i. e. laboribus parturientis corripiebatur. — — Masle, ut mihi videtur, *cardines* interpretatur Simonis, cardines pro *ligaturis ossium* poni credens: *ligaturas* quidem si volebat, melius ex defectiva lectione צרי exsculpere potuisset, aliis vocalibus instructa, et ad صَرَّ *ligavit* relata; nec ligaturas ossium sed *ligaturam uteri* intelligere. Verum et sic emendatae interpretationi obstant loca Jes. XIII, 8. XXI, 3. ubi צִירִים de parturiente ponitur cum verbo אחז constructum: *ligamina* (sive adeo, cardines) *prehendunt*, seu *corripiunt me, ut ligamina parturientis*, quae phrasis? Haec Jesaiana nisi intercederent, verisimilius צִיר *mentem, rationem*, interpretari possis, a صَيُّور *mens, intellectus:* — — *ratio ejus mutata est*, i. e. magnitudine doloris *in delirium incidit*, quod nec Danielis loco, de quo statim dicam, ineptum.

Eadem constructione et Dan. X, 16. legimus, נֶהֶפְכוּ צִירַי עָלַי, quod si ex 1 Sam. 4. explices, erit, sive figurate, a puerperarum labore translata imagine, *in summo angore sum*, sive magis proprie, *convertunt se contorsiones meae, i. e. toto corpore intremisco.* Mallem jam hoc, *ich zittere am gantzen Leibe*, in versione germanica posuisse: sed loci Samuelis immemor, *formam*, interpretatus sum, *forma vultus mei mutata est.* Hoc quidem significare possit a צור num. 2133. favebatque interpretationi versus octavus, plane parallelus, ubi legitur נֶהְפַּךְ הוֹדִי עָלַי, unde necdum plane abdicare ausim, ac forte Hebraismum recentiorem ab antiquo sejunxerim. — — Vulgata, *compages meae*, quod ex Theodotione sumtum in commentario tradit Hieronymus: sic ad illud rediret, quod paulo ante dixi, nonnullis lexicographorum *cardines* videri pro *ligamentis corporis ossiumque* poni. At quem nunc legimus Theodotionem, τὰ ἐντός μου habet, sicque et ejus adsecla Arabs, ac Syrus ܓܘܝ̈ — — LXX, צִרַי legentes, πλευρόν verterunt, ὡς ὅρασις ἐπεστράφη ἐπὶ τὸ πλευ-

(*) XXVI codices Kennicotti plene צִירֶיהָ.

πλευρόν μου ἐπ᾽ ἐμέ: obscura verba; suspicatusque olim sum, aliquid ex codice Chisiano excidisse, ut, χεὶρ, *manus, attigit vel percussit latus meum;* sed Tetrapla Syriaca Romae a Bugato edita eadem sub nomine LXX interpretum habent.

4) *Imago, idolum,* Jes. XLV, 16. ad צור *formare* num. 2133. referendum. Recte ibi praeiverunt Chaldaeus צַלְמַיָּא *imagines*, ac Syrus, ܦܬܟܪ̈ܐ *idola.* At Vulgata, fabricatores *errorum* habet, quod unde arreptum nec in commentario prodidit Hieronymus, nec hariolari ausim. LXX ἐγκαινίζεσθε πρός με νῆσοι, videntur pro חרשי צירים, deletis, ut saepe in ipsorum codice Jesaiae, mediis literis, conjecisse, חִדְשׁוּ אִיִּים.

2149. צַר Jes. LXIII, 9.

Mihi quidem צַר hic est, *angustia*, et vero masculinum ut fortius feminino oppositum, צר στενοχωρία, צָרָה θλῖψις. Sic בכל צרתם לא צר idem erit, quod 2 Cor. IV, 8. θλιβόμενοι, ἀλλ᾽ οὐ στενοχωρούμενοι.

At Graecis, quibus calculum adjecit Lowthus, idem est quod ציר, *legatus*, (pag. 2088.) vertuntque Hebraica, sic lecta, לא צִר וּמַלְאָךְ פניו הושיעם, οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ᾽ αὐτός Κύριος ἔσωσεν αὐτούς. Elegans sententia, sed obstare constructio videtur: primo enim לא צר ולא מלאך cum duplici negatione scribendum fuisset, deinde פנים pro IPSE positum cum verbo pluralis numeri, הושיעם construendum, collato Exod. XXXIII, 15. 16. 2 Sam. XVII, 11. (quamquam mutatis punctis הוֹשִׁיעָם pluralem habere possis) denique aspera omissio particulae SED ante פניו.

2150. צָלַח.

Verbum, quod plerumque, *transire, pertransire* vertunt, atque ad hanc significationem reliquas referunt, apud Arabes duplex est.

I) صَلَحَ *bonus, idoneus, aptus fuit,* in transitivis conjugationibus, *aptavit, correxit, emendavit, reparavit.* Exempla vide in Castelli heptaglotto-collecta. Huc pleraque Hebraica retulerim, ut Jerem. XIII, 7. 10. de cingulo corrupto, לא יצלח לכל, *non idoneum seu utile erat ad quidquam*, praeeuntibus LXX, Chald. Syr. Vulg. (*ut nulli usui aptum esset*,) Ezech. XV, 4. 5. iterum filo orationis jubente, et praeeuntibus veteribus omnibus: ac verisimiliter Jes. LIV, 17. *omnia arma, quae contra te*

se parantur לא יצלח *inutilia erunt*, aerugine nempe, ut in praecedente versu dictum, vitiosa.

Jam dixi صلح transitive esse, *aptavit*, *paravit*: sic ponitur de paratione *ciborum* Genes. XVIII, 7. XXVII, 4. *sedis* 1 Sam. XX, 25. *lapidum lignorumque ad aedificandum* 1 Reg. V, 18. Huc retulerim, sive conjugatione Kal transitive accepta, sive punctis mutatis 1 Sam. XIX, 18. (al. 17.) וְצָלְחוּ הירדן *et parabant Jordanem* (nempe, ut transiri posset) *ante regem*. Sic quidem praeivit Josephus Ant. VII, 11, 6. τὸν ποταμὸν ἐγεφύρωσαν, ἵνα ῥᾷστα διαβῇ ὁ βασιλεύς, *fluvium ponte junxerunt, ut rex facilius transiret*, itemque Syrus et Arabs, *ponte instraverunt Jordanem*, et LXX κατεύθυναν, *pararunt Jordanem*. Certe non placet, quod habet Vulgata, *irrumpentes Jordanem ante regem*.

Hinc et orta significatio, quam verbum plerumque in Hiphil habet, *felix fuit*, *prospere*, proprie, *recte vel bene egit*: aliquando et in Kal, ut Jerem. XII, 1. XXII, 30. Ex hac lucebit Pf. XLV, 5. וַהֲדָרְךָ צלח רכב *gloria* i. e. *glorioso tuo gladio felix esto*, *inque hostes invehere*.

Idem verbum, ejusque derivata, Arabes quoque de *pace* ac *reconciliatione* ponere solent: exemplorum quantum satis est, dabit Castellus. Sic accipio Dan. XI, 27. *ambo reges male erga se invicem animati erunt*, *sed mendacia ad mensam unam loquentur*, ולא תצלח *sed pax non coibit*, *haec enim in sequentem annum a fato differtur*. Quod alii habent, *non proficient* verbo singularis numeri generis feminini non aptum, scribendum sic fuisset יצלחו, quod in nullo hucusque codice repertum, licet pluralem, forte singularem non intelligentes, LXX, Syrus, Vulgata expresserint.

II) صلخ cujus verbi plures in lexicis Arabum produntur significationes:

1) *surdus fuit*, صَلَخٌ *surditas*, أَصْلَخُ *surdus*, inque conj. 6. تصالخ *surdum se simulavit*. Haec quidem nihil ad Hebraica, et vero mihi valde suspecta: eadem enim cum صلج significet, videtur ex male positis punctis literarum diacriticis in lexica recepta, quod saepe accidisse §. 2. n. 14. grammaticae Arabicae suspicari me professus sum, multisque jam exemplis confirmare possum.

2) Conj. 9. اصْلَخَّ vertunt, اضطجع *cubuit*, nullis tamen, fateor, exemplis adjectis. Hanc si Geuharijo et Camuso significationem

nem credere fas est, ad eam retulerim frequens Hebraeis; ותצלח עליו רוח יהוה Jud. XIV, 6. 19. XV, 14. 1 Sam. X, 10. XI, 6. XVI, 13. *incubuit ei spiritus Jehovae* et 1 Sam. XVIII, 10. ותצלח רוח אלהים רעה אל שאול *incubuit Saulo spiritus dei malus. Incubare* spiritus dicitur, ubi in aliquem descendit, inque eo quiescit. Sic quidem omnibus his locis Chaldaeus vertit, שְׁרַת עֲלוֹהִי *habitavit super ipso.* Syrus ubique harmonice ܐܨܠܚܬ ܥܠܘܗܝ quod quid sit ex Arabe discimus, Jud. XIV, 6. 19. XV, 14. 1 Sam. X, 10. XVI, 14. حَلَّتْ عليه *quievit super ipso*, vertente, 1 Sam. XI, 6. نزلت عليه *descendit super ipsum robur a spiritu dei*, et 1 Sam. XVIII, 10. أخذ *corripuit eum.* Ergo et Syris ܐܨܠܚ eadem significatione usitatum, qua Hebraeis צלח. *Insiliit in illum spiritus Jehovae*, cum fere ubique vertunt LXX et aliquoties Vulg. fortiore verbo usi sunt, re idem dicunt. — Lexica quod habent, *invasit*, vel, *pertransiit illum spiritus*, conjecturale.

3) *Erosit*, idem quod سلخ unde صُلُوخ *exitiale malum.* Sic et video idem quod سلخ *excoriare*, *detrahere pellem*, significare, 2 Paral. XXXV, 12. (11.) ubi Hebraicum ויפשיטו redditur, يَصْلَخُونَ. Est ergo Arabibus aliquando idem, quod سلخ Hebr. שלח *nudare*, quo de verbo vide infra dicenda. Quod verbum cum Hebraeis frequenter de igne ponatur, שלח באש *nudavit igne*, i. e. ad solum usque nudatum omnia exussit, hac significatione sumendum videtur in loco obscuriusculo hucusque, Amos. V, 6. פן יצלח כאש בית יוסף *ne nudet, i. e. exurat ut ignis domum Josephi.* Unus adeo codex, Kennicotti 93, consveta verbi שלח constructione cum ב habet, פן יצלח באש *ne igne exurat domum Josephi*: quam lectionem, si plures haberent codices, adcuratius hic inspiciendi, praeferrem.

III) Praeterea Syris ܨܠܚ est, *fidit*, *secuit*, sicque et ab Arabe 1 Sam. VI, 14. et Ps. LXXIV, 6. (Antiocheno hic Arabe) redditur. Huc referendum esset, quod lexica habent, צלח *transire*, *pertransire*, si certo exemplo confirmari possit: sed hoc adhuc destituimur, ergo, *transire*, *pertransire* melius delebitur.

2151. צַלַּחַת olla.

Paropsidem vertere solent, ego malim, *ollam*, et vero proprie *illam, in qua carnes coquuntur*, licet non negem latius deinde usum vocabuli patere, atque ollas mensis impositas complecti, ut Proverb. XIX, 24. Insignis locus 2 Paral. XXXV, 13. ubi post דודים *ollas despumatorias* (p. 410.) ponuntur צלחות, ut esse videantur *ollae, in quibus caro coquitur* (casserolle) seu *paratur*, a צלח *parare*, p. 2091. Veteres ibi satis unanimiter, LXX. ἐν λέβησι, Vulg. *in ollis*, Syrus ܨܐܢܐ, Ar. صَرَاجِل, Chald. מלוסיא. — — Aliter Simonis, ipse evolvendus.

2152. צָלַל.

Verbum pro diversitate significationis ad diversas radices referendum esse, jam alii monuerunt, ut, Simonis: dicam tamen paulo copiosius, et in quibusdam ab eo dissentiens.

1) *Tegendi, obumbrandi* notione referendum ad ظِلّ *umbra*, ظَلَّلَ *obumbravit*. Habent et per ט scriptum, Chaldaei, Syri, (ܛܠܠܐ *umbra*, ܛܠܠ *texit*,) et Samaritani. Exod. XL, 3.

2) *sonuit, tinnivit*, habent Arabes in صَلّ *sonuit cum tinnitu ferrum*, صَلْصَلَ *fragorem edidit tonitru*, ac Syri inde ܨܠܨܠܐ *tinnitus aurium*.

3) ضَلّ *erravit, periit, latuit, abditus fuit*, forte a prima tegendi, umbrae, et tenebrarum, notione. Sur. XXXII, 9. أئِذَا ضَلَلْنَا فِي الأَرْض *cum latemus seu tecti sumus in terra*, i. e. sepulti. Huc quidem optime retuleris, ubi de submersione in aqua ponitur, Exod. XV, 10. צָלְלוּ *submersi sunt ut plumbum in aquis potentibus*, Samaritanus ibi harmonice טליליו. — — Errandi significatione nuspiam in Hebraicis occurrit, ad eam tamen LXX quodammodo retulerunt Proverb. II, 16. לְהַצִּילְךָ vertentes, τοῦ μακρὰν σε ποιῆσαι, ضَلّ enim *erravit*, etiam, *aberravit, abiit, abfuit*.

2153. צֵל *tectum, hospitium.*

De hospitio, et vero nocturno, ponitur, Genes. XIX, 8. Ps. XCI, 1. ubi nolim, ut multi faciunt, *umbram* interpretari, hanc enim quis noctu quaerat? sed *tectum, tegmen,* באו בצל קורתי *ingressi sunt sub tectum trabis meae,* בצל שדי יתלונן *sub tecto dei pernoctat.* Sic Syri ܛܠܠ ponunt, ut, Matth. VIII, 8. ܕܬܥܘܠ ܬܚܝܬ ܡܛܠܠܝ *ut ingrediaris sub tectum meum. Hospitii* et *tegminis* seu *tutelae* significatione et accipitur Jerem. XLVIII, 45. בצל חשבון עמדו, *in hospitio Hesbonae tuti stabant olim fugientes.* — — Arabibus أظلّ generatim, *habitavit*, proprie, *sub tecto fuit,* ut, chrestom. Ar. p. 126. lin. 7. يُظِلّون شتّى في البلدان *habitant disjuncti regionibus.*

2154. צְלָצַל Deut. XXVIII, 42. *gryllus talpiformis?*

Ἅπαξ λεγόμενον nomen insecti arbores et segetes vastantis, quod Syrus ܨܪܨܪܐ vertit, LXX ἐρισύβη, quibus de vocabulis p. 863. 864. alia occasione actum, visumque verisimile, *gryllum* significare. Sic erit *gryllus talparum pedibus, gryllus talpiformis,* quo de insecto et ibi dictum. Nec etymo destituimur, gryllus a stridulo et acuto sono nomen acceperit.

Ἐρισύβην *cimicem Aegyptium* interpretatus est Oedmannus in *Sammlungen aus der Naturkunde* Heft II. p. 142. 143. Vide biblioth. nov. Or. T. V. p. 34–36.

Locustam, quam habet Bochartus, vix intellexerim, hanc enim consveto ac noto nomine ארבה Moses dicturus fuisset. Praeivit tamen eam Arabs Erpenii, الجراد.

צנהצלה Samaritanus vertit, quod quid significet, ignoratur: in Polyglottis *aerugo* redditur, in Castelli heptaglotto p. 3208. *locusta*, utrumque ex consveta illo tempore nominis Hebraici interpretatione translatum. Videtur nomen esse harmonicum, ipsum quoque a stridulo insecti sono ductum, nam et Aethiopes sub צנצ stridorem et tinnitum habent.

Saadias فرس vertit. Et hoc quid sit, ignoratur: *aeruginem* vertunt, sed ex solita vocabuli Hebraici interpretatione, nullo Arabicae linguae usu. Scripseritne, قُرْس *frigus?* Frigus nocturnum ضريب di-

dictum tritico et hordeo nonnunquam infestum esse audiit Niebuhrius, cujus vide praefationem itinerario praemissam pag. XLVI.

Puncta cur subjecerint masorethae, non צַלְצַל, sed inusitatae Hebraeis formae, vicesimae quartae pluralis fracti Arabum, quae in quadriliteris frequens, צְלָצַל صَلَاصِل, interrogo, non expedio.

2155. צלצל כנפים Jes. XVIII, 1.

Quid sit, ארץ צלצל כנפים, de eo valde dissenserunt interpretes, in uno tamen consentientibus plerisque, ut Aegypti nomen vel descriptionem censeant.

1) Ad צל *umbram* referens, *terram umbrae* alarum vertit Syrus, quod ipsum explicatione opus habet, nec quas alas intellexerit, facile dixeris. Ephraemus, a quo forte aliquid lucis speres, in commentario non attigit.

2) *Alas navigiorum*, i. e. *vela*, intellexerunt LXX. οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες, Chaldaeus, *terra ad quam veniunt navigiis ex terra remota, dum vela eorum expansa sunt, ut aquila, quae alis suis volat.* His ergo צלצל *navigia*, nescio unde, linguis Orientalibus nec navigii nec navigationis nomen sub his literis habentibus.

3) Ergo huic dubio consulturi, *obumbrationis* significatum nomini relinquunt, intelliguntque, *terram velis obumbratam*, i. e. *Aegyptum, in qua exundante Nilo navigetur*, recentiorum haud pauci. Figurae magnitudo et audacia displicuit Vitringae: hanc equidem ferrem, verum vel exundante Nilo, quantum ex itinerariis colligere mihi licet, in solo tamen Nilo navigatur, non in agris Aegypti, quibus innatans aqua non satis portandis navigiis profunda. Vide *Memoires des Missions de la Compagnie de Jesus* T. II. p. 133.

4) *Terram cymbalum alarum*, vertit Vulgata, quod de sistro Aegyptio intellexerunt Bochartus et Huetius, non ipse versionis auctor, Hieronymus, qui in commentario, *potest*, inquit, *Aegyptus cymbalum alarum dici, propter frugum velocitatem: velox quippe atque concitus avium volatus reddit cymbali sonum.* Coacta haec, et parum probabilia. Nec de cymbalo seu sistro Aegyptiorum cogitaverim, habent enim et Hebraei suis in sacris צלצלים *cymbala*, ut vix Aegyptus, cui illa non propria, nomen inde acceperit.

5) Stephanus le Moyne (de quo videatur Vitringa ad h. l.) *terram* intelligebat *obumbratam a Cnupho*, deo Aegypti, quem Graeco nomine *demiurgum* dicimus. Cnuphum vult ab alis nomen accepisse. Displicet, quod Aegyptium nomen ad Hebraicam originem retulit, et Cnuphum fine certo teste alatum fecit. Hanc derivationem, has alas deme, nec duale כנפים videbitur Cnuphi nomen esse, singulariter potius scribendum. Ne alludi quidem ad *Cnuphi* nomen putem, exterae plane linguae, ac vix Hebraeis notum.

6) Vitringa, ipse quoque ad צל *umbram* referens, Aegyptum intellexit, *obumbratam a duplici serie montium*, quos inter longo tractu ab Austro ad Septentrionem exporrecta est. Non placet: primo, quod de montibus vates vocem non misit, deinde quod hi montes mediocris altitudinis, nec ubumbrant Aegyptum, torrido solis aestu ustam.

Tertiae, quartae quintae et sextae interpretationi et hoc obstat, quod terra צלצל כנפים vix esse Aegyptus potest, sita enim dicitur *trans flumina Aethiopiae*, בעבר לנהרי כוש: nec probabilia adferunt, qui et hoc ad Aegyptum detorquent, vertentes, *circa flumina Aethiopiae*, i. e. circa Nilum, ab utroque latere Nili. Saxoniae inferioris circulum, quem medium secat Albis, aut ducatum Magdeburgicum, quis vocaverit, *terram circa flumina Bohemicae*. Ergo intelligenda videtur terra valde remota, sive australis, ultra Habessiniam fontesque Nili, sive occidentalis, ultra flumina Aethiopiae Occidentalis. Hoc sequutus

7) in bibliis Germanicis a stridoris vel tinnitus notione verti, *terram tinnitus alarum*, i. e. *terram solis orbitae subjectam*, *quae stridorem alarum solis audire fingitur*. Nempe soli et Aurorae non currum dant Orientales, sed alas: Ps. CXXXIX, 9. Malach. III, 20. Talis fabula, sed poetico cothurno non indecora, ut, cum Tacitus c. 45. Germaniae, *sonum*, ait, *emergentis solis trans Suionas audiri*, aut Juvenalis canit, *Audiet Herculeo stridentem gurgite solem*.

8) Nec tamen hanc unicam veram ac certam dixerim interpretationem, sed verisimilem, sunt enim et aliae verisimiles, sed quas inter ignorata interioris Africae geographia vix datur arbitrari. Exemplo ut utar, צְלָצַל esse possit idem quod praecedens צְלָצַל *gryllus*, possisque adeo easdem utrique vocales substernere. Sic erit *terra grylli alati*, i. e. terra gryllis obsita eorumque tanquam patria. Grylli, et vero nocentissimi, australium regionum indigenae, ex quibus ad nos venerunt. Fateor, alis non multum valere, volant tamen, ipso volatu molesti et candelas exstinguen-

guentes. Sed possis eodem nomine et aliud, saepe cum gryllis confusum insectum stridulum, locustas, complecti, atque omnia adeo insecta stridula et tinnientia. Sic habebis, *terram ultra flumina Aethiopiae, gryllorum et locustarum patriam, in quibus locustae volant, grylli alis se attollunt.* Possis et de muscis cogitare, quorum aliquod genus, Habessiniae maxime infestum, descripsit Brucius. N. L.

2156. צַלְמָוֶת.

Puncta qui subdiderunt, ex צֵל et מָוֶת compositum voluerunt, ut sit *umbra mortis*, sicque fere et veteres et recentiores reddiderunt, nisi quod pro umbra, *imaginem mortis* Hieronymus in Vulgata et commentario posuit, Jerem. II, 6. Sic quidem צַלְּמָוֶת scribendum fuisset, sed excidit Dages ex litera schvata: interrogari tamen codices velim, si cui ad illos aditus.

His quidem accedo qui ad צלם radicem referunt, quos nominat Simonis, nec vero צַלְמוּת aut צַלְמוֹת, ut ille habet, scribendum, sed ex analogia grammatica צֻלֻמוֹת, idem quod Arabicum ظُلُمَات *tenebrae* a singulari ظُلْمَة caligo: sonum Arabicum imitari si lubeat, per Chateph komets, צֳלֻמוֹת scribes. Saepe nominibus femininis pluralibus tertiae radicalis מ accidit, ut ab interpretibus ad מָוֶת referantur, ut, שְׁדֵמוֹת quod non pauci *agros mortis* vertunt.

Arabica deserta cum vocantur ארץ ציה וצלמות *terra siticulosa et tenebrarum,* Jerem. II, 6. suntne intelligendae, *horrendae caligine valles, altos inter montes?* (quamquam illas raro habet) an, *nebula accenso arenarum aequori incubans*, quae Hebraeis alio nomine שָׁרָב? an, *terra injusta, nihil frugum efferens*, a ظَلَمَ *injustus fuit?* an denique *albicans, albentibus arenis saxisque nitens*, nam et Arabes, plane contraria caligini significatione, habent ظَلْمٌ *nitorem, albedinem, nivem.* Primum in versione germanica sequutus sum, sed dubitanda et expendenda propono.

2157. צלמון Ps. LXVIII, 15.

צלמון, mons in vicinia Sichemi, Jud. IX, 48. forte inde nomen habens, quod densa silva umbrosus esset: sed hic nihil ad Ps. LXVIII, 15. ubi

ubi de victoriis ab Ogo reportata et divisa Israelitis Basanitide sermo esse videtur: *cum dissiparet*, (in fugam conjiceret) *altissimus reges*, aut, si שַׁדַּי efferas, *cum dividerent agros regum*, *ningebat in Salmone*. Videtur mons esse, sive Basanitidis, sive Basanitidi vicinus, nive illo tempore tectus, quo Basanitide potiti sunt Israelitae: lege scripta in notis ad hunc locum p. 153. 154. editionis secundae. Nihil de eo certi habemus, illa enim loca nostrorum quis adiit? Ex derivatione *tenebrosum montem* significaret: suntne nigri montes, a Pharanitide ad Judaeam tendentes, de quibus Ptolemaeus p. 141. διατείνει δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τὰ καλούμενα μέλανα ὄρη ἀπὸ τοῦ κατὰ Φαρὰν μύχου ὡς ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν? hinc ad Basanitidem usque procurrebant? incertum! Habet idem p. 140. ipsius Trachonitidis montem *Alsadamum*, καὶ ταύτης ὑπὸ τὸ Ἀλσάδαμον ὄρος οἱ Τραχωνῖται Ἄραβες: ubi, si pro ΑΛΣΑΔΑΜΟΝ rescribere liceret, ΑΛΣΑΛΑΜΟΝ, teneremus Salmonem: non audeo sine codicibus lectionem mutare, interrogare tamen eos liceat, quibus ad codices mscr. aditus. Ergo ignoremus montem, donec Batanaeam adire iter facientibus nostris contigerit, quorum forte aliquis aliquando meliora dabit.

Aliis adpellativum nomen visum est, ejusdem cum praecedente צַלְמוֹת significationis: displicet, obscura enim sententia, *ninget in tenebris*. Gehennam interpretatur Chaldaeus, quae ob prostratos reges facta sit ut nix: hoc cui probetur? Lutherus, *wird es helle, wo es vorhin dunkel gewesen war*, sed nulli linguarum Orientalium שָׁלַג, *ningere*, ita ponitur, ac licet nix alba, obscuratur tamen aer ubi fortius ningit. Sumsit forte ex Kimchio, qui in commentario, תתלבן כשלג העדה שהיתה בחשך *albescet ut nix ecclesia, quae fuerat in caligine*.

2158. צלע cum derivatis.

Duo verba, adpellatione et significatione diversa, puncto diacritico distinguunt Arabes.

I) ضِلْعٌ *latus*, *costa*, indeque ضَلَعَ *inclinavit* (proprie, in unum latus) *claudicavit*. Huc referendum ex consveta significatione צֵלָע vel צֶלַע *latus*, *costa*, et צָלַע claudicavit. Non habent sub prima radicali צ Aramaei, sed ea in ע mutata Chaldaei in עִלְעָא, Syri, ע in א mutantes, sub ܐܠܥܐ.

II) صلع

II) ضلع *calvus fuit*, ضَلَع *calvities*, أَضْلَع *calvus*. Hoc in verſione germanica transtuli ad Job. XVIII, 12. ואיד נכון לצלעו, *infortunium paratum eſt calvae ejus ſenectae*. Nempe displicebat, ut minus apte compoſita imago, *infortunium* (proprie, *procella*) *paratum eſt lateri ejus, claudicationi ejus*. Video tamen, lateri locum eſſe poſſe, ſi לרגליו verſus 11 ad duodecimum relato, vertas: *ad pedes ejus jacet filius ejus famelicus, lateri ejus paratum infortunium*, ita ut pedibus latus opponatur.

Vulgata hic, *inedia invadet coſtas ejus*, egregia ſententia, ſed איד nuspiam, inedia. — — Syrus: *fractio deſtinata eſt* ܠܡܘܠܟܢܗ *ſoboli ejus*. Spectaſſe videtur uſum rariorem Chaldaici עלעא, *coſta*, pro *filio, proſapia* poſiti, ut in Thargum Hieroſol. Geneſ. XLIV, 19. אלולי דהוא עלע מן בית אבא *niſi eſſet coſta ex domo patris mei, non potuiſſet hoc facere*. Vix tamen auſim, ſignificationem Judaeo-Chaldaicam, non niſi recentis aetatis exemplo firmatam, antiquiſſimo inferre Jobi libro.

2159. צָמַד.

Ligandi, alligandi ſignificatio, quam lexica habent, indubia: ضمد *ligavit, obligavit vulnus, emplaſtro impoſito*, Chald. צמד Syr. ܨܡܕ idem, ܨܡܕܐ *vinculum*. At quid eſt, ter in ſacris literis, et vero de Baalis Fegori cultu ſacrisque occurrens, נצמד לבעל פעור Num. XXV, 3. 5. Pſ. CVI, 28? Solus in vertendo Samaritanus retinuit, אצטמידו. Generaliter aliqui verterunt, *adhaeſerunt Baali*, ut in Numeris Chaldaeus, אתחבר, Arabs Pol. إلتزم, Erpenianus إلتصق, in Pſalmo CVI Chald. אדביקו, Syr. ܐܬܢܨܡܕܘ, Coccejusque in lexico, *copulati ſunt*. Displicet: hac enim lata ſignificatione ſi ſumendum, mirum de unius Fegori cultu et vero ter, poni. Fuerunt ergo, qui de copula Venerea, ſcortatione in Fegori feſto acciperent: veriſimilius, nec tamen uſu linguarum Orientalium firmatum, quod enim Arabum lexica habent, ضَمَدَت *cum mulier duos capeſſit procos aut amicos*, ad ſolam hanc duorum procorum conjunctionem pertinet, non ad deflorationem virginis in dei honorem.

Ergo me arbitro melius, qui ad ritum aliquem retulerunt, quo huic numini, cujus inceſta feſta agebant, initiabantur: LXX utrobique, ἐτελέσθησαν, Vulg. utrobique, *initiatus eſt*, inque Numeris Syrus ܐܬܦܠܚܘ — Nem-

Nempe est, *sacras Deo vittas sumere, illisque revincire caput:* sic Arabibus, ضبد *vitta seu taenia religavit caput*, et nomen ضبان *vitta.*

2160. צָמִיד Num. XIX, 15. *operculum* vel, *obturaculum?*

Verisimillima habet Simonis, conferens Arabicum صبان, *corium, quo operitur os ampullae:* nisi quod forte in lege Mosaica non de ampullis sermo, sed de aliis vasis, cistis, viscisque in quibus lanea et lintea adservantur, tegumentum ex corio habentibus. Vide jus Mosaicum §. 215. p. 302. Tomi IV. Unde dictum, et quae prima verbi صبد vis fuerit, non liquet.

Simpliciter *operimentum*, غطا, vertit Arabs Erpenii, *clausuram*, צנוק, Samaritanus. — — De ampullis cogitans Saadias, صبام *obturamentum ampullae, epistomium*, vertit, quod a صبان distinguere Arabes ex Golio p. 1380. disces. De *luto, quo ampulla obturatur*, acceperunt Chaldaeus et Syrus: in quo tamen filum superfluum.

Caeterum non צָמִיד in statu absoluto, sed in constructo, צְמִיד פָּתִיל efferendum videtur, *operculum fili*, i. e. *filo alligatum.* Alia ratio textus Samaritani, quem et LXX exprimunt, צמיד ופתיל *operculum et filum.*

2161. צֶמֶד בָּקָר *junctura*, i. e. *par boum.*

Jungi solebant in arando duo boves, *bos mas adultus*, qui sequebatur, *bos adolescens femina*, quae praeibat: haec nondum compari apta, pro boum feminarum natura eum fugit, citiusque it, taurus insequitur, itque eo citius, unde plus arando finitur. Vide Eckermannum in librum Jobi, p. 1.

2162. צָמַח *ortus est, progerminavit.*

Non habent hac, notissima Hebraeis, significatione Arabes, at cognata, *splendendi*, Syri: nempe verba *oriendi* et de vegetabilibus poni solent, et de stellis, unde fulgor dictus. Vide lex. Syr.

2163. צַמָּה *velum, peplum.* Jes. XLVII, 2. Cant. IV, 1. 3. VI, 7.

Comam recentiorum plerique vertere solent, *caesariem* (fluentem) Coccejus, *comam plexam, cirrum*, addita et derivatione, Simonis. Verum co-

coma vel crines vix apti loco Cant. IV, 1. ubi oculi pulcrae puellae esse dicuntur *post* צַמָּה. Propendulis in faciem atque ante oculos crinibus vel cirris vix puterm feminas elegantiores incessisse.

Mihi quidem, quibusdam veterum jam praeeuntibus, *velum* seu *peplum muliebre* est Asiae, a صَمَّ *constrinxit*, *contraxit*. Est et Aethiopibus צמם *ligare*, et Chaldaeis *velare*. Ex hac significatione lucebit Cant. IV, 1. עיניך מבעד לצמתך *oculi tui post velum*, per veli enim muliebris duas partes prospiciunt oculi, ipse adeo vultus pulchritudo conspicitur, aucta nonnunquam velo (*), ubi transparens velum est, c. IV, 3. VI, 7. *ut segmentum mali punici sunt genae tuae post velum*, transparens nempe. Κάλυμμα hic jam Symmachus. Jesaiae XLVII, 2. Babyloni, molli et eleganti virgini, ad servilem statum detrudendae dicitur, גלי צמתך *retege velum tuum*: velum enim ingenuarum est, non servarum. Vide chrestomathiam Arab. p. 93. (verba in notis ad biblia germanica excerpsi). Κατακάλυμμα LXX, ܙܢܒܝܬܐ (velum) Syrus, hic praeiverunt.

S. R. Velthusenius ad Canticum Canticorum *redimiculum* seu *taeniam frontis*, a constringendo ita dictum, interpretatus est: sed obstat Jes. XLVII, 2. ubi צמה *retegi* dicitur, nec oculi post taeniam fronti circumligatam, sed sub illa.

Cant. IV, 1. &c. *silentium* verterunt LXX Vulg. Syrus. Hanc significationem vocabulo non abjudicaverim: صَمَّ est, *obsurduit*; surdum, et mutum saepe eodem nomine linguae complectuntur, quod sunt vitia cognata, omnis enim a natura surdus, et mutus est. Sed, ut taceam, Cantici locis aptius esse velum, quam silentium, (et vero perquam loquacis in toto cantico puellae) plane obstat Jes. XLVII, 2.

Ibidem Vulgata habet, *revela turpitudinem tuam*, cujus versionis ipse auctor Hieronymus, hanc in commentario rationem reddit: "*denuda turpitudinem tuam*] pro quo LXX transtulerunt, *revela operimentum*; Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit SAMTHECH, Aquila SEMMATHECH, Symmachus τὸ σιωπηλόν σου, quod nos exprimere possumus, „*taciturnitatem tuam*, *quod taceri debebat prae verecundia*: quod quidem „et in cantico canticorum legimus, ubi sponsae pulcritudo describitur, ad „extremum infert, *absque taciturnitate tua*, nolentibus, qui interpretati „sunt, transferre nomen, quod in sancta scriptura sonaret, *turpitudinem*. „Recte-

(*) — *wo hohes Jugendenroth*
Durch schwartze Gage bricht.

„Recteque contra Babylonem inverecundis utitur vocabulis, humani cor„poris membrum vocans nomine suo". — — Haec quis probet? Cantici quidem loca supra omnem modum turpia, si palam pudenda sponsae laudentur.

2164. צַמִּים Job. V, 5. XVIII, 9. *surdus, mutus, laqueus.*

Multi ex veteribus *sitientes* interpretantur, ut cap. 5. (*) Syrus, Aquila, Symmachus, Vulgata, et c. 19. LXX. Vulg. atque, ut nunc legitur, Syrus, sed interpolatus forte ex Graecis, Arabs enim, ejus in Jobo interpres, مخانق, *laqueos*, habet. Suspicabar olim, ante Kennicottianam collectionem, eos צמאים legisse: id vero cum in nullo codice Kennicottus de Rossiusque invenerint, suspicari desino; צַמִּים, ignotum vocabulum, *sitientes* ex conjectura interpretati sunt, putantes א excidisse. Ne constructioni quidem utriusque loci צמאים, plurale, aptum, componitur enim cum verbo singularis numeri, וְשָׁאַף צַמִּים חֵילָם, et, יַחֲזֵק עָלָיו צַמִּים. Est ergo potius nomen singularis numeri, a rad. צמם.

Recentiorum sententias non colligo, occupavit enim plerasque Simonis. Meam dicere liceat, ita tamen, ut dividam.

Ergo primum de Job. V, 5. Arabibus صَمَّ est, ut jam supra dictum, *surdus fuit, obsurduit*, proprie, *obturatis fuit auribus*, prima enim vis verbi in obturando, صَمَم *surditas*, أَصَمّ *surdus*: forte et, *mutus fuit*, quorum corporis vitiorum nomina nonnunquam permutari supra monitum: sic quidem veterum multos accepisse diximus, Aethiopibusque et is צמם, *qui tacet, non respondet, non audivisse se simulans.* Hoc verbum ad effusum sanguinem transferunt Arabes, صَمَّت حصاة بدم *obsurduerunt silices sanguine, i. e. tanta vis sanguinis effusa fuit ut incidentes in eum silices non excitarent sonum*, quamquam suspicor, phrasin sine exemplo in lexicis positam, potius explicandam, sive, *surdi fuerunt lapides*, i. e. clamorem sanguinis non audiverunt, sive, *muti fuerunt*, i. e. non clamarunt, vindictam sanguinis poscentes.

Hoc jam ad Jobi locum transferens, et חַיִל, robur, *vires vitales* sanguinem intelligens, interpretatus sum, *lapis surdus* (non audiens, vindictam non poscens, vel etiam, *mutus*) *anhelat sanguinem ejus:* idque in

(*) Non hic LXX, qui neglecto plane צמים vertunt, *καὶ ἐκσιφωνισθείη αὐτῶν ἡ ἰσχὺς, exhauriatur robur ipsorum.*

in verſionem germanicam recepi. Non diſſimulo, quid obverti poſſit, ſignificationem חיל *ſanguis*, nullo alio exemplo firmari. Ergo hoc ſi teneri nequit, proximus Schultenſio צמים *adverſam fortunam ac duram* interpretor, ex Arabico, صَمَام، صِمَّة، صماء, idem ſignificante. Proximus inquam Schultenſio, non per omnia idem: ille enim adverſam fortunam à ſimilitudine retis dici autumat, vertitque, *abſorpſit everriculum opulentiam eorum*, quam figurarum compoſitionem meis adprobare auribus nequeo. Mihi adverſa fortuna (fatum irrevocabile) nomen habere videtur, ſive a صمّ *obturavit*, quod omnes exitus obturat,

(Saeva neceſſitas
Clavos trabales, et cuneos manu
Geſtans ahena, nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum.
Horat. libr. I. Od. 35.)

ſive a ſurditate, quod preces nullas audit. Verterim: *ſurdum et irrevocabile fatum opes ejus anhelat.* — — Alii quod habent, *comatus*, *hiſpidus*, *latro*, a צַמָּה coma, ſua ſponte concidit, ſi צַמָּה non eſt coma.

2) Job. XVIII, 5. *laqueum*, *tendiculam* interpretor, a ضمّ *ligavit*, ſicque olim praeiviſſe Syrum arbitror, ex quo Arabs متحانق, *laqueos*, habet. Interrogentur, velim, codices manuſcripti Syriaci. Verto, *prehendet illum tendicula.* Commendat verſionem praecedens membrum: *prehendet calcaneum ejus laqueus.* Bis idem, pro more poetarum Hebraicorum dictum.

2165. צָמַר.

Verbum in codice ſacro non occurrit, niſi ex varietate lectionis unius codicis, (76 Kennicottiani) Job. XVII, 7. ויצמר כצל כלם quod vertendum videtur, *extenuata ſunt*, *umbraeque facta ſimilia*, *haec omnia*, *totum corpus meum*, ex ضمر *gracilis*, *macie extenuatus fuit*. Latius etiam patet Arabibus, Jac. I, 11. poſitum pro, *marceſcere*, (μαρανθήσεται) atque etiam de unionibus *colore langueſcentibus*, in Teiſaſch Ravii p. 54. Nec tamen placet unius codicis lectio, cum aliqua numeri anomalia conjuncta, pluraliter enim ſcribendum fuiſſet, ויצמרו, quamquam huic dubio conſuli poſſit, ſi vertas, *emaciata eſt univerſitas horum*, conſtructione non prorſus inſolita.

2166. צמרי Genes. X, 18.

Colonia Phoenicum, cujus nomen superest in *Simyra*, urbe haud procul ab Eleuthero fluvio. Ruinae ejus sub nomine *Sumra* supersunt. Eadem videtur, quam Arabes vocant صمر جبيل *Simyram prope Byblum*, vel, Simyram ad montem. Vide plura in Spicilegio geogr. T. II. p. 49–52.

2167. צמת *siluit*, transitive, *silere fecit*, *mori fecit.*

Verbum, quod *exscindere* vertunt lexicographi, ex propria vi est, *silere.* صمت *siluit*, صُمُوت et صميت *tacitus*, *taciturnus*, صُمْتَة *silentium*, Syr. ܐܨܛܡܕ *conticuit*, forte a ligando, claudendo, quod verbum Chaldaeis significat, unde et ܨ̈ܡܕܐ *vincula.* Hinc הצמית, *ad silentium mortis redegit*, *mori fecit.* Vidit, atque praeivit Syrus, ܫܬܩ, *silere fecit*, vertere solitus, ut Ps. XVIII, 41. LIV, 7. LXXXVIII, 17. XCV, 23. &c.

In prima et propria silendi significatione occurrit Job. VI, 17. ubi de torrentibus, magno antea strepitu per saxa volutatis ac furentibus, cum aestu exsiccantur, dicitur, נצמתו, *silent*, strepere ac murmurare desinunt. Sic et accipio Ps. CI, 5. *obtrectantem in occulto socium suum* אותו אצמית *illum silere jubeo*, (exscindere, non bono et justo rege, sed saevo tyranno dignum:) versuque 8, *matutino tempore* (quo judicia habebantur) אצמית כל רשעי ארץ *ad silentium redigo injustos.* Sic et Syrus ܐܫܬܩ, et Symmachus, ἀφώνους ἐποίουν.

Est et ubi veteres *liquescere*, *liquefacere* vertunt, ut Job. VI, 17. de rivis positum Syrus, parum probabili sententia, *tempore quo sol oritur super illos* ܨܡܪܝܢ *liquescunt*, (nisi potius voluit, *coquuntur*, *exuruntur*) et Ps. CXIX, 139. LXX. ἐξέτηξέ με ὁ ζῆλος σου, Vulg. *tabescere me fecit zelus meus.* Hoc unde? nec enim hunc significatum in linguis orientalibus reperi.

A silendo dicitur,

2168. צְמִיתֻת.

silentium. Hinc, *vendi ad silentium* Levit. XXV, 23. est, ita vendi, ut venditori silendum in posterum sit, nec possit anno jubileo reposcere: et

et domus vendita *perſtat emtori ad ſilentium* v. 30. ſtatim explicatur, *non exit* i. e. redit ad priſcum dominum *anno jubileo.* Aliqui, ſed pauci codices Judaici plene צמיתות ſcribunt, Samaritani defective habent, niſi quod v. 23. ex uno citatur צמיתית.

2169. צֹנֶא Num. XXXII, 24. צֹנֶה Pſ. VIII, 8. *oves.*

Sic locis citatis pro צאן ſcribitur, ſuffragante etiam Arabum uſu: his enim cum ضاين *ovis* ſit, indeque أضان *ovibus abundavit*, uſitatum tamen et أضنأ *multa habuit pecora*, cumque ovis a foecunditate nomen habere exiſtimetur, ضنأ atque ضني foecundus fuit, quorum illud tertiae radicali א, hoc ה reſpondet.

Eſt quidem utrobique lectionis aliqua varietas, Num. 32. textu Samaritano, ad analogiam ut ſolet correcto, et XL Kennicotti de Roſſiique codicibus לצאנכם habentibus, inque pſalmo, XVII codicibus, צאנה. At cum inſolentior ſcriptio uſu firmetur linguae Arabicae, non ſphalma librariorum, ſed verior eſſe videtur.

Vide et de צַאֲנָן Mich. I, 11. bibliothecam orientalem priorem T. XX. p. 169.

2170. צנח Joſ. XV, 18. Jud. I, 14. IV, 21. *manſit, exſpectavit.*

Obſcuriuſculum verbum. Joſ. XV, 18. et Jud. I, 14. de Calebi filia hac conſtructione ponitur, ותצנח מעל החמר. Varie veteres et recentiores.

1) LXX in Joſua, ἐβόησεν ἐκ τοῦ ὄνου, in Judicibus, ἐγόγγυζεν ἐπάνω τοῦ ὑποζυγίου καὶ ἔκραξεν ἀπὸ τοῦ ὑποζυγίου. Suſpicatus olim ſum, eos legiſſe, ותצוח, ſed nullus ita codex. Proxima illis Vulgata, *ſuſpiravit.* Nihil ejusmodi habentibus linguis Orientalibus, non niſi conjectura de verbo ignoto eſſe videtur, hic quidem ſatis probabilis, ſed tertio loco Jud. IV, 21. parum apta.

2) *Inclinavit ſe*, vel, *caput ſuum*, utrobique Syrus, Arabs, Chaldaeus. Et haec conjectura, nullo linguarum uſu firmata.

3) Recentiores fere, Kimchium alioſque ſequuti, *deſcendit ex aſino*, iterum conjectura, nullo linguarum uſu firmata, ſed parum felice. Ipſi qui haec habent alius ex alio, ut intelligant, quid velint, verba Kimchii adſcribo. Sumit ille, צנח eſſe, *infigere*, quod dari forte poſſit, pergitque: *tanta vi projecit ſe ex aſino in terram, ac ſi eſſet defixa in terra.* Quam-

Quamquam alii volunt, descensum ab inclinatione dici. Sic Reuchlinus. Sed utcunque conjicias, parum apta conjectura filo orationis. Sponsa ad aedes mariti pervenerat, ex asino descendebat, hoc cum faceret, qui interrogare pater poterat: *quid tibi est filia?* Hic quis non veteres conjectores amet? recentiores illis postponat? Sed haec in lexica recepta sunt.

Deserentibus nos dialectis Aramaeorum, quae verbum non habent, et Arabica sub صنخ alia omnia offerente, suppetias fert Aethiopica, cui צנח est 1) *mansit, permansit,* 2) *exspectavit:* qua ex significatione lucet historia. *Sponsa, Calebi filia, maritum solicitaverat, ut a Calebo agrum peteret* ותצנח מעל החמור *atque exspectabat sedens in asino,* (non descendebat) *illa non descendente juxta aedes mariti interrogabat pater, quid tibi est filia* &c. Mirandum, hunc tam facilem sensum fugisse oculos interpretum.

2) Judic. IV, 21. Debora per tempora alte sopiti Sisserae paxillum adigit, וַתִּצְנַח בָּאָרֶץ ubi in summa rei consentiunt omnes, paxillum in terra defixum fuisse, cum veteres, tum recentiores. Res ipsa clamat, sed quomodo verba id significare queant, de eo ambigitur. Possis quidem et hoc expedire ex Aethiopica, quam attuli, significatione, *et mansit in terra,* firmiter nempe illi infixus. Sed recentiores, Rabbinos sequuti, ex hoc loco *infigendi* notionem ipsi verbo צנח dederunt: neque hoc repudiandum, modo paulo instituatur sapientius ac verecundius, quam sequacibus Rabbinorum placuit, nec solis indulgeatur conjecturis. Verbum صنخ lexicographi Arabum omnino non habent, sed monent (Golius in adpendice p. 2852., alii suo loco) صِنْخ idem esse quod سِنْخ *radix dentium.* Manifesta literarum س et ص permutatione, interrogemus eos, سنخ quid significet? Respondent, licet nullo exemplo addito, *stabilis solidusque fuit, construi cum* فى *atque de eo etiam poni, qui in scientia stabilis solidusque sit.* Ad ipsa Arabum lexica manuscripta quibus aditus patet, mihi negatus, ab illis peto, ut, si quid illa plus habeant, nobis impertiantur. Sic quidem videtur et صنخ significasse, *stabilis, infixus fuit,* ex quo optime locum interpreteris, *et infixus est clavus in terra.*

Sic quidem haec significationum series: 1) *infixit,* atque intransitive, *infixus, firmus fuit* 2) *mansit, permansit in loco* 3) *exspectavit,* plane ut, *manere,* utrumque significat.

2171.

2171. צְנֻמוֹת Genef. XLI, 23.

vel, ut Samaritani fcribunt, צנימות, ut aliqui codices Judaici, צנומות.
Varie vocabulum femel obvium explicant. Ad fententiam fatis apte haud
pauci, ariftas *aridas:* parum tamen ufu firmatur linguarum Orientalium,
fola enim Thalmudica צנום habet pro, *arido*, forte ex hujus ipfius lo-
ci folita interpretatione a Rabbinis recepta. Ex linguis vernaculis nil ta-
le adfertur, fed

1) ܨܘܢܡܐ *lapis*, *faxum* eft Syris, Job. XLI, 15. de *lapide molari*
pofitum. Samaritanus interpres צנמא, *faxum duriffimum*, pro חלמיש
ponit Deut. VIII, 15. XXXII, 13. Thalmudicis צונמא *lapis*. (Vide Bux-
torfium p. 1927.) Sic et Arabicus interpres Job. XLI, 15. صُنَام po-
fuiffe videtur, *durus*, مثل الصنام *ut lapis*, vel, *faxum*.

Hinc mihi quidem *ariftae* צנמות funt, *quales in lapidofo folo*, *aut*
petra rara humo tecta, *nafci folent.* Hoc in verfione germanica fequutus
fum, fuitque tempus, quo primus mihi fententiam, novitatis excufatione
opus habituram, dixiffe videbar: fed ex Kimchii lexico didici, occupa-
tam jam a Rabbinis anonymis effe. Sic ille: ויש מפרשים מלשון צונמא
בדברי רבותינו שהוא הסלע והשבלים הגדלות בסלעים יש בהן
יובש עד שהן דקות, *funt qui interpretantur ex Thalmudico* צונמא, *pe-*
tram fignificante. Spicae in petris crefcentes ariditatem habent, ut fint mi-
nutae. — — Alii tamen Rabbinorum eadem derivatione aliter ufi, ut
Rafchius, qui vult *ficcas*, *inftar petrae aut ligni.* Nempe Thalmudicum,
id vero eft Rabbinicum ac recens צנום *ficcus*, nihil ad veterem Hebrais-
mum faciens, menti Rabbinorum oberrabat. Molles funt virentes fpicae
deinde durefcunt et ficcae fiunt, fed hoc nec vitii eft, fed maturitatis at-
que utilitatis, nec ficcae, aut, ut volunt alii, durae fiunt, ut lapis.

2) A lapide dicitur, *lapidea dei imago*, *idolum lapideum*, صَنَم,
quod vocabulum, ejusque derivata, cum vix attigerit Golius, confule Ca-
ftelli lexicon Arabicum, habebisque exemplorum, quantum cupias. Ex
etymo quidem foret, *idolum lapideum*, fed et, ut monent lexica, ad li-
gnea transfertur, totum genus idolorum complexum.

Hoc quidem noli, cum quibusdam Arabicae linguae imperitis, ad
Hebraicum צנמות transferre, ut fint, *fpicae non folidae*, *fed imagines um-*
braeque fpicarum. Non de umbra, nec de qualibet imagine صنم poni-
tur, fed de idolo lapideo, vel ligneo.

 3) *Mi-*

3) *Minutas* ſpicas interpretabatur Kimchius, ex Thalmudico פת צנומה, quod interpretabatur, *fruſtum minutum*, *in plura fruſta comminutum.* Male: ut enim taceam, dubiam vocabuli Thalmudici ſignificationem eſſe, aliis, *fruſtum ſiccum et aridum intelligentibus*, lingua Thalmudica recentioris eſt et magiſtralis Hebraismi, Moſaicis vocabulis illuſtrandis non ſufficiens.

Aliorum ſomnia et adliterationes, צמא *ſiticuloſus*, צום *jejunium*, conferentium, enarrare non juvat.

2172. צִנָּה.

Verbi צנן, in codice Hebraico non occurrentis, quae prima vis fuerit, inquirere non vacat, plura et diverſa offerentibus linguis Orientalibus. Arabibus أَصَنَّ eſt *foetuit*, *ſuperbivit*, *ira aeſtuavit*, *averſatus fuit*, iisdem ضَنَّ *tenaciter adhaeſit*, unde et proprietates dicunt, et avarum, et *tenacem propoſiti virum*: Syri ſub hac radice et *foetorem axillarum*, ܨܢܢܬܐ, habent, et *nidorem ollae*, ܨܢܢܐ, Chaldaei ac Samaritani, *frigus*, *gelu*. Haec tam diverſa, ut vix unius verbi eſſe videantur. Id unum adnoto, *acuendi*, *acuti*, *aculei*, *ſpinarum*, notionem, quam hic non ſolum ut veram, ſed prope ut primariam ſumunt lexica Hebraeorum, nullam linguarum orientalium agnoſcere.

Sed jam, miſſa radice, de nomine צִנָּה quaeramus.

1) صَنّ Arabibus eſt, *corbis*, *fiſcella plicatilis*, ut addunt exempli gratia lexicographi, *in qua reponitur panis*; ſed multo latius patet. De *ſporta*, in qua Paulus ex muro demiſſus, ponitur Act. IX, 25. pro *σπυρίς*, 2 Cor. XI, 33. pro *σαργάνη*: quin et ad vaſa aenea transfertur. Ollae aeneae, in quibus cinis altaris adſervabatur, Arabi Polyglottorum Exod. XXVII, 3. ſunt صِنَان لِرَمَاد. Hinc jam intelliges Prov. XXV, 13. צִנַּת שֶׁלֶג *fiſcellam nive plenam*, aeſtatis tempore ex montibus, ex Libano, ad refrigerandum potum deportatam. (Alii hic vertunt, *refrigerium*, vel *frigus nivis*, ex Chaldaica notione: at cum in fiſcellis nix ſoleat ex Libano in humiliora et calidiora loca deportari, hanc ſignificationem praeferendam cenſuerim.) Amos IV, 2. vaccis dicitur: *portabunt vos*, i. e. *carnes veſtras ac fruſta*, בְּצִנּוֹת *in ſportis*, *finisque veſter erit in ollis ferventibus*: quamquam et locum habere صَنّ *olla* poſſit, ut ſit ſynonymum

mum sequentis סירות, *portabunt vos in ollas.* (Displicent hic aliae versiones. Ἐν θυρεοῖς Aquila, sicque et Chaldaeus, *in clypeis:* at vaccas quis in clypeis portet? Excusaturus quidem Hieronymus scribit: *significat, quod capiantur in proelio, et portentur atque auferantur jure victoriae,* sed ut taceam, vaccarum imagini hoc parum aptum, ne de militibus quidem in bello captis sermo, sed de matronis potentibus. *In armis* Syrus vertit, ἐν δόρασι, *in hastis* Symmachus, ex quo Hieronymus, *in contis:* videri possint arma vel hastae ab acumine ita dici, sed hanc acuendi notionem reliquas orientis linguas ignorare supra monitum, certe צִנָּה nuspiam alibi *hasta*, licet צנינים veri non dissimiliter *aculeos* interpretentur: sed aliud est, aculeus, aliud, hasta.) De Job. V, 5. vide num. 2173. sub מצן dicenda.

2) צִנָּה *clypeum* esse, constat: sed quomodo a מגן diversus? a quo distinguitur 1 Reg. X, 16. 17. Ps. XXXV, 2. Jerem. XLVI, 3. itemque a סוחר Ps. XCI, 4? Volunt aliqui, magnitudine, his צִנָּה *scutum majus,* illis, *minus*, facientibus: mihi si conjicere liceat, צנה *scuta* erunt *ex viminibus contexta*, qualia describit Tacitus, Annal. II, 14. Tabulis ligneis, vel viminum textui inducebatur corium, corio metallum, (nec enim tota ex metallo scuta) jam et intelliges, quomodo scutis a Salomone aurum inducatur, licet subtus viminea essent.

3) Dubius locus Prov. XXII, 5. ubi *in via perversi esse* dicuntur, צנים . . . . *et laquei.* Τρίβολοι LXX, quo nomine non dumeta intellexerim, sed *tribulos ferreos, murices:* egregia sententia, unde et in versione germanica sequutus sum. Sic quidem permutatione literarum צ et ש seu س, ad שכן, سن, referendum nomen, ut infra צנינים. — — *Arma* vertit Vulgata, parum probabili sententia. ܢܫܒܐ *retia*, Syrus, ex eoque Chaldaeus, bona sententia, sed unde retia צנים dici potuerint, vix adparet.

Solus codex Cassellanus ציכים habet, quod si צִיָּנִים efferas, egregia prodibit sententia: *indices viae in via perversi laquei sunt.* Ex hoc tamen uno codice nolim lectionem vel elegantissimam textui inferre.

2173. מצן *corbis, canistrum.* Job. V, 5.

Huc quoque refero, sed mutatis vocalibus, (in quo num aliqui mihi codices adsentiantur, interrogaverim quibus ad illos aditus, maxime de

de Rossium) *cujus messem comedit famelicus*, ואל מצנים יקחהו *et in canistra colligit illam*. Sufficiant antea de صن dicta: addiderim tamen, enotante in *animadversionibus* ad hunc locum Eckermanno (p. 36.) مُصْن esse, *corbem plenam et aestuantem*, *praecipue vindemiatorum;* unde habeat, ignoro, auctoritatem enim ac testem non addidit, sed verum si est, مِصَنّ videtur scribendum, nostro vocabulo idem.

Spinas qui hic habent, reliquo Orienti sub hac radice ignotas, parum adferunt probabilia. *Messem ejus vel ex spinis auferet*, dicendum fuisset, ומצנים יקחהו, neutiquam ואל מצנים יקחהו: nec solet messis esse inter spinas, spinae enim officiunt nascenti segeti: ne septa quidem ex spinis agris conveniunt.

2174. צנינים Num. XXXIII, 55. Jos. XXIII, 13.

צנינים, vel, ut Samaritani codices ex analogia fictitia corrigentes scribunt, צנים, quin sint aculei, non dubito, consentientibus in rei summa omnibus. Residui in Palaestina Chananaei Israelitis fiunt צנינים *aculei in lateribus* Num. XXXIII, 55. *in oculis* Jos. XXIII, 13. Hic nec clypeo, nec canistro locus. Ergo sumendum permutatione literarum צנן idem aliquando fuisse quod, שנן, سنّ, *acuit*. Syrus quidem cum in Josua ܙܡܐ verteret, Arabs harmonice Hebraico أسنّة *cuspides*, reddidit.

חכים (aculeos) Samaritanus reddidit, Vulgata in Josua *sudes*, Saadias مسال *acus grossiores*, Maurus أشواكا *spinas*. Hi satis bene, at quod in numeris habent LXX *βολίδες*, et Vulgata, *lanceae*, displicet: lanceae non in latera diriguntur, nec in oculos.

2175. צנע Mich. VI, 8. Prov. XI, 2.

Quod habent lexica, *modestus*, *humilis fuit*, nullo linguarum Orientalium usu firmatum, verisimillimae quidem, sed tamen conjecturae est, ex Prov. XI, 2. ubi צנועים et זדון *superbia*, sibi opponuntur. Praeiverunt ibi LXX. ταπεινοὶ, Syr. Vulg. Sed utcunque apta illi loco significatio, non tamen ideo certa, aut unice apta. Linguas eam Orientales ignorare omnes dixi, nec Thalmudicam excipio, cujus צניעותא *modestia* citatur: modestiae enim nomine, ut quisque intelliget Buxtorfii lexicon p. 1928.

1928. 1929. evolvens, non intelligitur, quam vocabulo ecclesiae *humilitatem animi (Demuth)* dicimus, sed, *pudor, verecundia*.

Arabibus صنع est, generatim quidem, *fecit*, sed ita ut peculiariter *de adcurato studio, elaborando in re aliqua*, ponatur, ut اصنع *ad artem se adplicuit*, لسان صنع *lingua artifex*, صَنْعَة *industria*, صَانِع *artifex* (*). Syris ܨܢܥ cum derivatis et de *astutia* ponitur in bonam partem, et de *dolo, insidiis*, ut Act. VII, 18. ܐܨܛܢܥ pro Graeco κατασοφισάμενος.

Jam hinc erit Mich. VI, 8: הַצְנֵעַ לֶכֶת עִם אֱלֹהֶיךָ *elaborare eundo cum deo*, id est, *solicite et caute coram deo ire, omnia ejus praecepta summo studio observare*, ἐυσεβῶς *Deum colere*. De veteribus si referendum, hi quidem utcumque conjecisse videntur, verbum rarius non intelligentes. Hieronymus in commentario: *ESNE, quod LXX transtulerunt, paratum esse, et nos diximus, solicitum ambulare* (hoc quidem ex omnibus optimum, licet philologicam versionis rationem vix reddere potuisset, reliquarum linguarum Orientis non peritus Hieronymus) *Theodotio significantius expressit* καὶ ἀσφαλίζου (**) τοῦ πορέυεσθαι μετὰ ἐλωαὶχ. *Quinta editio reddidit*, κὸὶ φροντίζειν. — — LXX, vertentibus, ἕτοιμον ἐἶναι, accedit et Syrus, ܕܬܗܘܐ ܡܛܝܒ *ut sis paratus*: possit quidem verbum hoc significare, a *facere, perficere, exercere, informare*, quod صنع in octava conjugatione significat.

Prov. XI, 2. צְנוּעִים esse videntur, *astuti, cauti in negotio tractando*, qui ipsi superbis recte opponi possunt: *venit superbia, venit contumelia: sed apud cautos est sapientia*.

2176. צִנְצֶנֶת Exod. XVI, 33. *vas, urna, ollula*.

Quadriliterum, sive a صنّ, צִנָּה *olla*, num. 2172. sive a صون *adservare, reponere, recondere*. Aliorum cogitata disces ex Relandi dissertatione

(*) Quod Schultensius ad Prov. XI, 2. habet, صنع esse *asciavit*, Schultensii est, non Arabum. *Facere*, potest omnino et de *asciando* poni, sed hanc vim propriam verbo nullo exemplo adstruxit Schultensius. *Elaborare* melius posuisset.

(**) Liceat hic monere, suppetias aliquas ferre linguam Aethiopicam, sub ጸንዐ צנע ejusque derivatis, *firmitatis* notionem habentem.

sertatione secunda de nummis Samaritanis p. 22. seq. Evolve etiam paginas in indice libri sub, *amphora*, citatas.

2177. צינק *carcer* Jerem. XXIX, 26.

Ἅπαξ λεγόμενον plerique veterum *carcerem* vertunt, verisimillime et linguis Orientalibus consentanee, est enim ut jam alii monuerunt, a Samaritano צנק *clausit*, Exod. XIV, 3. pro Hebraico סגר posito, ex quo nomina plura faciunt Samaritani, *clausuram*, *operculum*, *claustrum* designantia. Simonis quod confert, *compedem* verti jubens, زناق *compes*, ipsi soli relinquendum: non solum non eaedem sunt literae, sed nec زناق *compes* est, quo hominis pedes ligantur. Lexica Arabum, ex quibus solis vocabulum noverat, explicant, *annulus corio impositus, qui subditur mento equino, et quidquid ori vel naso imponitur, ut pro arbitrio tractari possit equus, — — compedes quibus quaterni religantur pedes.* — Lingua Arabica habet potius sub ضنك *angustus fuit*, et ضَنْك *angustus* (Sur. XX, 123. معيشة ضنكا *locus angustus*, i. e. *vita infelix*) et *angustia*, Prov. I, 27.

Sic quidem et Hebraicum vocabulum per כ scriptum, צינך legisse videtur Aquila, Graece Σινωχ scribens. Nulla tamen ejusmodi varietas in codicibus Hebraicis, qui nobis supersunt, inventa; nec de Aquila certum, Hieronymus enim in commentario scribit, *eum ipsum verbum Hebraicum posuisse*, SINAC.

Carcerem plerosque veterum vertisse dixi. Sic Vulgata, Syrus (ܒܝܬ ܚܒܘܫܝܐ) etiam Syrus in Hexaplis citatus εἱρκτή, Arabs adeo, licet ex LXX nunc aliter habentibus vertens, سجن. Ipsum, quod Symmachus habet, μοχλός, *vectis*, carcerem designare videtur, cujus porta vecte firmata, neutiquam, ut Bielius alios sequutus, nec ipse ultimam manum operi admovens, in lexico habet, *vincula*, haec enim quis vectem dixerit?

Erit ergo *carcer*, et vero *angustus*, forte in quo erectus sedere nequeas, neutiquam, ut volunt lexicographorum aliqui, *compedes*, *vincula*, *cippus*, *nervus*. Nervum obtortum praecedens מהפכת significat, de quo num. 581. actum, ergo hic non iterum quaerendus.

Mirum, LXX καταρράκτην vertisse. Hic quidem suspicor, sive 1) eos צנור legisse, quod alibi ita reddere solent (*), in nullo tamen hic

(*) Sic forent, *cloacae subterraneae*, pessimum carceris genus, quales habuisse Hierosolymam reor. Tacitus hist. V, 12. *cavati sub terra montes*.

hic hucusque inventum codice Hebraico. 2) ſive ſcripſiſſe, *κατάερκτην*, ab *εἵργω coerceo*, *concludo*, eoque nomine, lexicis Graecis ignoto, *anguſtum carcerem* intellexiſſe.

2178. צִנּוֹר *fuſum*, *fons*, *vel potius catarrhacta naturalis*.

Non niſi bis occurrit vocabulum perquam hucusque dubium, 2 Sam. V, 8, Pſ. XLII, 8. nulla, niſi in literis quieſcentibus, varietate lectionis: in quo explicando a certioribus, id eſt ab uſu reliquarum Orientis linguarum ordiamur.

Verbum ipſum non habemus, ſed videtur, ſi ex nominibus derivatis conjectura facienda, ſignificaſſe, *acutus fuit*. Sed hoc utcunque ſit,

1) Syris ܨܢܪܐ eſt, *acutum* quid, poſitum Joſ. XXIII, 13. pro *aculeo*, (צְנִינִים) et Jeſ. XIX, 8. pro *hamo* (חַכָּה).

Sic et Arabicum صِنَّارَةٌ ponitur, Jeſ. XIX, 8. Matth. XVII, 27. pro quo et exigua permutatione literarum سِنَّارٌ legitur Ezech. XXXII, 3.

2) Hinc Arabibus صِنَّارٌ *caput fuſi muliebris*, inde dictum quod in acutum deſinit, plane ut nos ab acumine dicimus, *Spindel*. Sic et Chaldaicum צנורא. *Fuſus* quis ſit ab opificibus lanae diſcendum, vel potius, ut ſequentia rectius intelligamus, oculis uſurpandus.

3) Iisdem Chaldaeis צִנּוֹרָא et *foramen cardinis eſt*, *in quo cardo januae volvitur*, a ſimilitudine, ut puto, fuſi muliebris, cujus interior ſtilus ferreus rotundus exteriori ligno coniformi excavato, quod circa eum volvitur, inſeritur.

4) Iisdem idem צנורא et *fiſtula*, *canalis*, eſt, qui ſignificatus ex praecedentibus fluxit: ipſum fuſi verticillum, totum pervium, non eadem quidem latitudine, ſed in coni modum, inque capite minutum foramen habens, canalem per quem aqua fluit, referre poſſit.

5) Denique, quod ad antiquos bibliorum interpretes recte intelligendos facit, صِنَّارَةٌ Arabibus eſt, *anſa clipei*, credo, proprie, *foramen anſae cui brachium inſeritur*.

Jam haec ad duo loca textus Hebraici transferam, ſed ita, ut primo meam ſententiam dicam, deinde et aliter ſentientes veteres, quantum ejus fieri poteſt, explicem, iisque ſine ullo partium ſtudio opem feram.

Prima *fusi muliebris* significatio locum habere posse mihi visa est 2 Sam. V, 8. si mutatis punctis efferas, וְיָגֵעַ צִנּוֹר *qui percusserit Jebusaeum, et laborantem in fuso*, id est, hominem imbellem, fuso tractando quam armis aptiorem. Vide versionem germanicam et bibliothecam Orientalem, *adpendicem Tomi XIII. p. 220.* Nec poenitet me satis verisimiliter dictorum: jam tamen cum videam, eandem significationem, qua vocabulum in psalmo XLII accipiendum, Samuelis etiam loco eximie aptam, eam, quae deinde sequetur interpretationem praeferre incipio.

Quartam, *fistulae* vel *canalis* significationem plerique, cum veteres tum recentiores, loco utrique dederunt, sed ita, ut prudentiores canales intelligerent naturae, id est, fontes erumpentes, non artefactos. Raschi quidem Ps. XLII, *canales* interpretatur, ibidemque Abenezra, צנורים *memorari*, ait, *quibus aqua ex montibus descendat.* — — Ex veteribus, Hieronymus 2 Sam. V. *domatum fistulas* interpretatur, i. e. tectorum fistulas, per quas aqua in inferiora aedium immittitur, *doma* enim illi *tectum orientalium:* vide Gesneri thesaurum.

Jam propius alii ad rem catarrhactas intelligunt, nec quidem illas artefactas, sed ex fastigiis montium erumpentes. Manifeste ita LXX in psalmo XLII, *ἐις φωνὴν τῶν καταῤῥακτῶν*, Vulgata, et Hieronymus in sua versione, *catarrhactarum tuarum*, Syrus, ܡ̈ܝܐ ܕܢܨܒ̈ܝܟ *(aqua effusionum tuarum:)* eodemque referendos putem, quod 2 Sam. V. habet Aquila, *κρονισμὸς* vel *κρουνισμὸς*, inque Psalmo XLII, Symmachus, *τῶν κρουνῶν σου.* Est nempe *κρουνὸς*, *scatebra saliens*, sed, ut monere solent ex Eustathio, inde dicta, quod ex montibus *μετὰ κρούσεως cum strepitu* defluat.

Hanc quidem explicationem reliquis praefero omnibus, eam maxime ob caussam, quod et 2 Sam. V, et in psalmo XLII, de loco sermo, non scaturigines modo, sed et nobiles a natura catarrhactas habente. In psalmo de terra Jordanis et Hermonis sermo, i. e. ubi Jordanes sub Hermonis radicibus ex Phiala oritur, lacu in medii montis profundo hiatu, altis et praeruptis undique ripis, ex quibus non possunt non fontes et catarrhactae in lacum erumpere, eumque alere: in Samuelis libro, de arce Hierosolymae, Sione, capta, ad cujus radices fons Siloa erumpit, his ab Hieronymo verbis in commentario ad Jes. VIII, 4. descriptus. *Siloae autem fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, et per terrarum concava et antra saxi durissimi*

magno

magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos praesertim, qui in hac habitamus provincia. Siloae fontem, ex hac Sionis montis catarrhacta erumpentem, si quis ceperit, ei magnum praemium promittebat David, quod ex illis fatum urbis obsessae penderet; hac enim sola aqua tota utebatur vicinia. — — Quamquam in loco 2 Sam. V, interpretando inter fusum et catarrhactam adhuc ambigo: quaestio non lexicographica, sed tota, quanta quanta critica, ex lectione textus pendens, utrum integra? an Paralipomenorum ope supplenda? Id unum, de aquaeductibus arte factis, Hiskiae opere, qui cogitant in historia Davidis, immemores chronologiae sunt.

Fusi nomen ad catarrhactas transferri, non mirabitur, qui utrumque vidit. Catarrhactae ex praecipiti jugo montis, aut magna praesectae ripae altitudine erumpentes, et per aëra ruentes, figura quoque fusum simulant, coni forma in perpetuo et celerrimo motu. Initio enim atque ubi primo erumpit, coarctata aqua, ut altius descendit plus spatii occupat, coni aut si vis fusi figuram imitans. Nostra Germania borealior, ut altis abruptisque montibus, ita et hoc spectaculo naturae caret: sed habet ea Helvetia, quae si quis velit imaginibus aeneis depicta videre, inveniet in *Merkwürdige Prospecte aus den Schweitzer-Gebürgen*, num. 1. 2. 3. 4. 5. 8. sub. *Staubbach*, *Breitlauwinen*, *Lauterbrunn* &c.

Sed et ratio reddenda quarundam versionum antiquarum, quas quidem veras minime habeo, nec tamen ita aut absurdas, aut miras, ut linguarum Orientalium parum peritis videri possint. Nempe 2 Sam. V, 8.

1) LXX verterunt *παραξιφίδα*, *pugionem*, (quo contra Jebusaeos utendum sit.) Nempe hoc ex prima *acuti* et *acuminis* significatione sumtum: (pag. 2113.)

2) Josephus eandem historiam narrans, *ἄκραν* interpretatur, (*διὰ τῶν ὑποκειμένων φαράγγων ἐπὶ τὴν ἄκραν ἀναβάντι, qui per subjectas valles in cacumen montis evasisset* Ant. VII, 3, 1.) Nempe ab acumine culmen dici poterat, maxime cum fusi acumen summum sit. Eodem redire videtur, quod Chaldaeus כְּרַכָּא *arcem*, Symmachus *ἔπαλξιν*, Raschi, rationem forte aegre redditurus, sed traditionis tenax *summum turris fastigium*, in quo idola fuisse fingit, verterunt.

3) Syrus ܣܟܪܐ *clipeum* vertit. Nempe ansam clipei pro clipeo ipso poni putavit, aut a cuspide, i. e. umbone, clipeum dici.

2179. צנתרה *epistomium.*

Ea si vera sunt, quae de צנור scripsimus, licetque cum plerisque צנתרה ad radicem צנר referre, forte et huic obscurissimo vocabulo aliqua lux adfulgebit, eritque *epistomium* torcularis, ex quo oleum effunditur, *(Hahn an der Kelter oder dem Kelterfass).*

Non nisi semel occurrit, Zachar. IV, 12. pluraliter צַנְתְּרוֹת. Vertunt ibi LXX. μυξωτῆρας i. e. *nares, per quas mucus* (μύξα) *effluit.* Sic certe vocabulum interpretantur lexicographi Graeci indigenae, Svid. T. II. p. 587. *μυξα est quod ex capite effluit, unde et μυξωτὴρ, quod corporis membrum est, nomen accepit:* et Julius Pollux, partes nasi enumerans, l. II. c. 79. Eodem modo et Arabs intellexit, Graecum vocabulum reddens, مَنْخَرَيْنِ. Sic erunt sine dubio *effusoria* seu *epistomia* vasis alicujus, ex quo liquor effluit, hic quidem epistomia lacus torcularis, oleum calcatum effundentia.

Eodem redit, quod Vulgata habet, ipsiusque Hieronymi versio, *rostra*, quod nomen Latini de canum quoque et suum rostris, i. e. naribus usurpant. Sic certe rostra intellexit optimus suae versionis interpres Hieronymus in commentario: *duo rami sunt in manu duarum narium, sive super duo rostra aurea, quae Hebraice SINTHOROTH, Graece μυξωτῆρες adpellantur.*

Denique et Syrus, (et vero vocabulo cognato cum illo, quod Arabem pro Graeco μυξωτῆρες posuisse dixi) *nares* vertit, ܢܚܝܪ̈ܝܢ.

Magnus antiquorum in *nares* consensus. Jam dixi, quid hic nares esse videantur, *epistomia lacus torcularis ex quibus oleum effluit*, Germanice, *der Hahn.* Sic et Arabes machinas, quae agros rigant, *sternutare* dicunt, id est, magna copia aquam evomere, ut p. 117. chrestomathiae, *Mutalammas* poeta,

وَعَادَتْ إِلَيْهَا ٱلْمَنْجَنُونُ تُكَدِّسُ

in orbem volvuntur ibi machinae quae sternutant.

Magnopere favet explicationi, quod sequitur, המריקים *quae effundunt:* atque jam et etymon habemus, si a צנור illud petere communi fere consensu licet; epistomia, sternutantia et evomentia aquam, vinum, alia, ipsa quoque eam fusi similitudinem habent, quam catarrhactae naturales, coni, qui in perpetuo motu est gyraturque, ita ut plus spatio occupet quo altius descendit. Ne tamen verisimilia pro certis ponam, aut quidquam diffi-

dissimulem, quod etymo meo opponi possit, fateor literae ה nullam me adhuc rationem reddere posse. Formantur ex triliteris quadrilitera aliquando addita alia litera, sed ה formando quadrilitero in medio vocis adjecti exemplum mihi non succurrit (*).

De Coccejo adhuc et Luthero dicendum. Ille quidem in lexico, „LXX *μυξωτῆρες*, non *κοιλώματα ῥινός*, ut Pollux explicat, sed emun„ctoria, h. e. instrumenta comprimentia oleas et oleum exprimentia." Nempe Abarbanelem sequebatur, quem et citat, sed infeliciter ut mihi videtur. Graecum vocabulum *μυξωτῆρες* instrumentum significare, quo oleum exprimitur, nullo exemplo allato credere, fidemque Coccejo habere, negare Graecis, qui lexica scripserunt, difficile; nec video, quomodo Hebraico vocabulo haec significatio aptari, nisi ex sola conjectura possit: nihil enim ejusmodi, ac ne etymon quidem, habent linguae orientales.

Multo elegantior Lutheri conjectura, ut erat vir felicissimi ingenii, *emunctorium lampadis* intelligentis: *zwo güldene Schneutzen des güldenen Leuchters.* Nempe Graecos, nisi fallor, sequutus ita vertit, sed aliter eos interpretatus: *μύξα* non mucus solum est, sed et idem quod *μύκης*, *fungus ellychnii*, qualem Virgilius describit Georg. I, 392. quasi diceres, *mucus* ellychnii: jam putabat emunctorium, quo ellychnium purgatur, *μυξωτῆρα* dici. Elegantem stupeo errorem, et ita felicem, ut vel ex variis lectionibus Kennicottianis verisimilior reddi possit, pro הַמּוֹרִיקִים enim duo codices הַמּרקִים habent, quod si his vocalibus efferatur, אשר ביד שני צנתרות הזהב הַמְּרְקִים מעלהים verti posset, *juxta duo emunctoria aurea, quae detergunt* vel decerpunt ab illis *fungos.* Error quidem, ut dixi, est, nec enim de candelabri emunctorio sed de naribus Graecos cogitasse pene certum, nec ratio reddi ulla potest, quo modo, aut quo ex etymo צנתרה emunctorium significet. Mallem tamen hunc errorem errasse, quam vera nonnulla dixisse.

2180. צעה Jes. LI, 14. LXIII, 1. Jerem, II, 20. XLVIII, 12.

Quinquies occurrens verbum plura et diversa linguis Orientalibus significat quorum nullo uti, sed suis potius conjecturis indulgentes vertere solent lexicographi, Kimchius, *migrare ex loco in locum*, (quod in plura lexica

(*) Possis forte, cum צ et ע saepe permutentur, Arabicum عنتر conferre, de *susurro muscarum* poni solitum, ut a sono ac strepitu epistomium nomen habeat: sed non ausim conjecturam meam facere,

lexica receptum) Reuchlinus (licet meliora illum citata ab ipso Vulgata docere potuisset) *discurrere*, *vagari*, recentiores, *properare*, *magnis passibus ambulare*. Hae quidem conjecturae nullo indicio philologico arreptae, insigni sunt exemplo, quam sit periculi plenum de verborum significationibus conjicere, usu linguarum certiora offerente ac pene obtrudente. Nec quidem Kimchium hic, aut Reuchlinum, linguae Arabicae non peritos, adcusare velim, sed recentiores, qui cum ejus non imperiti haberi vellent, ac jam Schultensii facem praetulissent, illis non usi sunt, quae scire poterant, conjecturasque tralatitias veterum, ne nominatis quidem conjectoribus, descripserunt.

Habent linguae Orientales, 1) Samaritana צעה *sitire*, quod possit utcunque aptari loco Jeremiae II, 20. ut *sitiat* meretrix amplexum venereum: sed est mere Samaritanum, צחה et צעה more gentis, nec ע efferre nec ח valentis, confusis. 2) صعا pro صعو *exilis fuit*, quod nihil ad Hebraica. 3) صغا pro صغو *inclinatus fuit*, inque transitiva conjugatione quarta, *inclinavit* e. g. *vas*, aut *aurem*. 4) ضغا pro ضغو *perfide egit*, *vociferatus est*, e. g. *felis*, *vulpes*, *miser*.

Ex his quidem tertium صغو, اصغى *inclinavit*, omnibus prope locis satisfacit, modo memineris, vas ubi effunditur, inclinari: nec tamen reliqua negligenda. A manifestis ordiar.

Jerem. XLVIII, 12. de Moabo, vino comparato, quod antea in suo vase semper manserat, nunquam in aliud transfusum, *jam mittam illi* צֹעִים וְצֵעֻהוּ *inclinantes*, *qui inclinent illum*, *evacuentque omnia vasa ejus*. Sic jam LXX, *ἀποστελῶ αὐτῷ κλίνοντας, καὶ κλινοῦσιν αὐτόν* (*). Praeivit jam ad hunc locum Raschi, מריקים *evacuatores* interpretatus: clarius etiam dixerat sententiam Schultensius in Originum libro I. p. 108. monens, صغا esse, *inclinare vas ad effundendum liquorem*, ex quo non profecisse qui post eum lexica scribere adgressi sunt, (Schultzium excipio, qui Coccejano lexico addidit) mirum. — — Aliquid verae significationis superest, sed aliter intellectae, in Vulgata: *mittam ei ordinatores et stratores laguncularum, et sternent eum, et vasa ejus exhaurient.* Sumsit Hieronymus ex Aquila, cui in Hexaplis Syriacis tribuitur, *stratores et sternent illum.*

Jerem.

(*) *κρίνοντας, καὶ κρινοῦσιν αὐτὸν*, male legit Arabs, *mittam illi judicantes, et judicabunt*, vertens.

Jerem. II, 20. *sub omni arbore viridi* את צעה זנה *tu inclinas te ut meretrix*. Sic quidem Vulgata, *prosternebaris meretrix*, Aquila et Theodotion in Hexaplis Syriacis, ܐܟܚܕܐ ܗܘܝܬ ܒܡܗܠܟܐ *unâ eras in strato*. LXX altera *effundendi* significatione sumta, ἐκεῖ διαχυθήσομαι ἐν τῇ πορνείᾳ μου. (Pro את צעה, in Hithpael legerunt אֶתְצַעָה, non rigidi grammatici, esse enim debuisset אֶצְטַעָה). Ipse adeo Raschius, *sternis lectum*, *significat cubile et stratum*. Ex his certe proficere lexicographi debuissent, sed conjicere malebant, quam discere.

Jes. LI, 14. מהר צעה להפתח ex eadem notione interpretor, *festinat incurvatus*, *(in vinculis curvus) solvi*. *Krummgeschlossen* germanice dicimus. Nemo hic veterum, quem novimus, ac ne Raschius quidem, alias in צעה mihi consentire solitus, praeivit; unus, sed alio loco, Jerem. 48, Symmachus, צעה vertit, *catenis ligare*: (σειρώσουσιν αὐτόν) (*). Haec tamen explicatio si displiceat, possis *clamantem*, *vociferantem*, ex ضغا interpretari: *vociferans*, *clamans miser cito solvetur*, *nec morietur in fovea*.

Jes. LXIII, 1. צעה ברב כחו interpretor, sive, *inclinans se totis viribus suis*, inclinationem corporis eam, quae pugnantium est, intelligens, sive ex ضغا, *vociferans*, *clamans*, *totis viribus suis*. Clamor in linguis orientalibus et pugnantium est, et opem ferentium, vide infra צרח.

Sunt et aliqua veterum notanda, non quod probem, sed quod ignorari nolim a lectoribus. Ergo

1) Hieronymus in Jesaia utrobique, *gradiens*, vertit, ut צעה idem sit, quod צעד, nec legisse eum sic puto, nullo certe in codice צעד inventum, sed conjecisse. Forte et aliquod *gradiendi*, vel *incedendi* verbum Jes. LXIII, 1. habuisse LXX videntur, ubi enim nunc in illis legitur, βίᾳ μετὰ ἰσχύει, Arabs graeca vertit, يجوز بقوة كثيرة *transit* (forte, βαίνει) *magnis viribus*.

2) Syriaco Jesaiae interpreti, צעה utrobique est, ܚܣܝܢܐ fortis,

3) ejus-

(*) Non ignoro, alios eum aliter interpretari, (vide Bielii lexicon) cum tamen et Jes. 51. *carcerem* infernalem, intellexerit, vertens, *cito infernus aperietur*, verisimile, et ejus σειρόω ad σεῖρα, *catena*, referendum.

3) ejusdemque prophetae interpreti Chaldaico utrobique, פורענא *retributio vindicta, poena.*

4) Syro et Chaldaeo Jerem. 48. eſt, *diripere*, (בזז).

5) Syrus Jerem. II, 20. reddit, ܛܥܝܐ *errans*, vel, *ſcortans.* Putabatne, idem verbum eſſe, pro צ Syriaca lingua ܛ habente? an modo παραφράζει?

Id quidem manifeſtum, Syros nullibi verbum intellexiſſe, ſed ubique, et vero aliter in Jeſaia, aliter in Jeremia conjeciſſe: nec mirum verbum צעה non habente lingua Aramaea.

2181. צען Jeſ. XXXIII, 20.

Transferendi, movendi notionem verbo ἅπαξ λεγομένῳ dare ſolent lexica, egregie loco aptam, praeiveruntque veteres, LXX σκηναὶ αἳ οὐ μὴ σειϑῶσιν, Chald. לא מתפרק *non evellitur*, Syr. ܠܐ ܙܐܥ *non movetur*, Vulg. *nunquam transferri poterit.* Sic et in libro radicum Kimchius. Veriſimillime in animadverſionum libro Arabicum ظعن *migravit, iter fecit*, confert Schultenſius, acceditque, ipſam literam צ habens, Aethiopicum צען et צאן, *vehi, equo, aſino* &c. collatum jam ante a Ludovico de Dieu. Sequutus hoc ſum in verſione germanica, ut filo orationis perquam aptum, ſuoque lexico, *migrare*, intulit Simonis.

Sunt aliqua adhuc de verbo et Arabico et Aethiopico dicenda. Eſt illud proprie, *equo, aſino, camelo vehi*, ſive, *illi ſeſſorem imponere.* De Aethiopico illud manifeſtum: vide, ſive Ludolfi lexicon, ſive Caſtelli p. 3110. Arabes ſuum non ſolum ita ponunt, ſed et ex eo faciunt, ظَعَان *funis, quo pilentum adſtringitur in camelo*, ظَعُون *camelus onus geſtans*, ظَعِينَة *pilentum camelinum, quaeque ejusmodi pilento vehitur mulier.* Sic ergo בל יִצְעַן foret, *tentorium, quod nunquam* e terra vulſum *dorſo camelorum imponet* dominus *aliorſum deportandum*, tentórium, non qualia Nomadum eſſe ſolent, nec quale Moſis tempore, ac diu poſt ipſum, ad Davidem usque, fuit tabernaculum conventus. Vide Num. VII, 1-9. 2 Sam. VI, 7. Paral. XXIII, 25. 26. Pſ. CXXXII, 3-7. 13. 14. — — Addo jam verbum per צ ab Hebraeis, et Aethiopibus, ظ ab Arabibus ſcriptum, idem videri cum טען *onus imponere*, jumentum onerare, vel ſeſſorem ei imponere.

Poſ-

Possit quidem et aliud verbum Arabicum conferri, ضغن *odit*, unde ضغن plural. أضغان *odium* (Sur. XLVII, 31.) *tentorium, quod nunquam aversabitur deus.* Sed prius praeplacet.

2182. צֹעַן *Tanis*, Num. XIII, 23. Jes. XIX, 11. 13. XXX, 4. Ezech. XXX, 14. Ps. LXXVIII, 12. 43.

Urbs Aegypti antiqua, Mose teste septimo post Hebronam anno condita, Num. XIII, 23. ejus tempore metropolis et regia Aegypti, Psalm. LXXVIII, 12. 43. talisque et Jeremiae Ezechielisque tempore, Jes. XIX, 11. 13. XXX, 4. Ezech. XXX, 14. ita tamen ut altera metropolis sedesque regia מף, Memphis esset, aliquoties cum צען composita.

Est sine dubio Τάνις, sic enim ubique a LXX, optimis Aegypti cognitoribus redditur, exque illis, solo loco Ezech. XXX, 14. excepto, a Vulgata. Nec vero hoc nomine intelligenda *Tennis* تنّيس, (Τεννεσις) insula nunc vasta in lacu cognomine, quae nunquam potuit metropolis esse Aegypti, cum Tani a viris etiam eruditissimis confusa, (vide notam 265 ad Abulfedae Aegyptum) sed urbs ad ostium Nili Taniticum, de qua Strabo l. XVII. p. 1154. (al. 802.) εἶτα τὸ Τανιτικὸν στόμα, ὅ τινες Σαϊτικὸν λέγουσι, καὶ ὁ Τανίτης νόμος, καὶ πόλις ἐν αὐτῇ μεγάλη Τάνις. D'Anvillio haec Tanis visa طناح Arabum, ut dubius retuli in nota 261. ad Abulfedam. Nec vero ea celebritate apud Graecos scriptores est, qua apud Hebraeos: illi enim Aegyptum norunt, qualis erat Ptolemaeorum tempore, hi qualis sub Pharaonum dominatione.

Soli mihi sententiae auctores sufficiebant, addam tamen et de reliquis. Samaritanus interpres טנס habet, sicque et in Pentateucho Onkelos, in reliquis libris טאנס vel טאנים, Syrus ubique, servatis literis Hebraicis, ܨܥܢ. Uterque Pentateuchi interpres Arabicus, صنبر مصر, *suggestus, cathedra, ecclesia vel moschea cathedralis*, a qua et metropoles illa aetate dictae videntur, erit ergo, *metropolis Aegypti.* In prophetis pro Graeco Τάνις Arabes ubique per צ habent, sed reliquis literis varie scriptis صآن, صان, صعان, صغان. Josephus, ea referens, quae Moses Num. XIII, 23. scripsit, in libro IV de bello Jud. c. 9. §. 7. male Memphin intellexit, (Χεβρὼν, – – τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Μέμφεως ἀρχαιωτέραν) sed postea Ant. I, 8, 3. melius Τάνιν vocat, LXX sequutus, quos

quos hunc librum scribens saepe in subsidium vocavit. Ezech. XXX, 14. Vulgata, *Taphnis*, habet, nec sestinatione, in commentario enm p. 915. Hieronymus adscribit: *ignis vastabit in Taphnis*, *sive ut LXX transtulerunt*, *Tanis*. Aliterne hic legit.

Etymologias Hebraicas Simonis, in nomine antiquissimae urbis Aegyptiae, miras, non excerpo, legat illas, si quis velit in ejus Onomastico p. 197.

2183. צָעִיף *peplum, velum muliebre*.

Vocabulum notissimum, de quo non dicerem, nisi viderem, in ejus etymologia, perquam obvia, laborari et adhaereri, ac vero etiam ab eruditis. Ejusmodi laborum exempla capies ex Simonis lexico.

ضعف proprie *duplex* indicat, ut in conjugatione 2, 3, 4 *duplicavit*, *duplum accepit*, in sexta *duplus evasit*, ضِعْف *alterum tantum*, مُضَعَّف *duplicata vestis* &c. Hinc peplum dictum, quod, totum corpus muliebre adspectui curioso erepturum, duabus ex partibus constat, 1) *antica*, *ab oculis per pectus usque ad pedes propendente*, 2) *postica* ab oculis retrorsum *frontem et caput tegente*, *perque tergum descendente*, utraque parte circa oculos ita aut annulis aut alio modo connexa, ut videre posset mulier, non videri. Vide ejus imaginem aere expressam, in Chardinii itinerario T. IV. n. 22. nec ad intelligendum etymon quidquam desiderabis. Obfuit aliis, illud quaerentibus, quod in lexicis Arabicis sub ضعف primo loco debilitatis notionem invenirent, quae est nec sola nec primaria, sed a *conduplicatione incurvi corporis* ducta; forte etiam quod quale esset peplum muliebre ignorarent. Plura de eo in collegio germanico antiquitatis Hebraicae, commentatione ad latinum compendium, quod brevi edam.

2184. צעצעים 1 Paral. III, 10.

Ἅπαξ λεγόμενον, in quo valde dissenserunt. Mihi, *opus est artificiosum aurifabri*, ita quidem ut, quod sequitur, *obduxit eos auro*, rationem reddat quomodo Cherubi, ipsi intus lignei (1 Reg. VI, 23.) opus aurifabri fuerint. Quadriliterum est a صوغ, *finxit*, *conflavit*, *artem aurifabri exercuit*, ut Exod. XXV, 12. صُغْ لَهُ *funde ei quatuor annulos*, XXXVII, 3. وصاغ لَهُ *et fudit illi*, unde صَوَّاغ *aurifaber*, صِيَاغَة

ars

ars aurifabri. Praeivisse jam Reuchlinum sententiae summam video, qui
in suo lexico habet: *artifex metallarius*, *ductor aeris*, *statuarius*: sed
postea ita in desvetudinem abiit, ut mihi, donec eum consulerem, novum
videretur εὕρημα.

Hac dicta sententia, vera, ut mihi videtur et loco apta, forte ha-
riolationes praetermittere possem, dabo tamen, quod gratas lectoribus,
ac scitu necessarium inquirenti arbitror, quid veteres hic senserint, ma-
xime cum aliquid aliquando in lexica, quae quotidiana manu evolvimus,
sine auctore etiam receptum sit. Ergo

1) LXX ἔργον ἐκ ξύλου, *opus ex ligno* habent, hactenus illi vere,
quod lignei fuere Cherubi, sed צעצעים ita verti non poterat, nisi audax
conjector transposito literarum ordine, ad עץ referret, עצעצים, aut
מעצים legendum censeret. Nihil tale in codicibus Hebraicis hucusque
repertum.

2) Hos sequuta Vulgata, sed melius, ut solet Hieronymus, rem
exprimens, *opere statuario.* Recepit in lexicon Reuchlinus. Possis hoc
ad datam a me explicationem referre, sed veri dissimile, Hieronymum,
linguae Arabicae ignarum, idem in animo habuisse. Ex Vulgata, ut sae-
pe, Lutherus: *nach der Bilder-Kunst.* Aliqui ex Rabbinis, ut monuit
Kimchius, explicabant per Arabicum صنعة الخراط, *opus tornatile.*

Quidquid hi spectarint, reprehendere eos non possim, per errorem
ad proximum vero delatos. Ipsum adeo verbum Arabicum صوع etiam
de ligno fingendo usurpari potuisse suspicor, licet adhuc exemplo destituar.
Hoc si haberem, in Vulgatae et Lutheri partes concederem.

3) Syrus, ܒܥܒܕܐ ܫܪܝܪܐ *opere firmo.* Hoc unde hauserit, non
liquet: conjecturale esse videtur.

Plures, permutationis literarum beneficio usi, צעצעים idem esse
volunt, quod צאצאים. a radice יצא: sic,

4) nisi fallor, Chaldaeus, *lilia* vertens. *Germina agri* intellexisse
videtur, quae antonomastice pro *liliis* ponantur. Quid autem sit, *Che-
rubos facere opus florum*, vel, *liliorum* dictu difficile.

5) Thalmudici, ipsi quoque ad צאצאים referentes, *puellos* intelle-
xerunt, id est, *Cherubos juvenili, vel potius puellari adspectu.* Hoc in
librum radicum recepit Kimchius, explicatque: *ad latus vertisse facies suas,
ut discipulus faciat dimissus a magistro.* Figmenta, Thalmudicorum inge-
nio digna: de mutatione literarum pro lubitu, nullo usu, nulla neces-
sitate

ſitate ut taceam, צאצאים, *poſteri* quidem, *ſoboles* ſunt, ſed non ideo parvuli.

6) Alii, de quibus vide ſuffragantem illis Beckium in notis ad Thargum chronicorum, *figuras mobiles*, *αὐτόματα*, interpretati ſunt, a צעה cui *ingrediendi* dant ſignificationem. Id vero צעה non ſignificat: melius contuliſſent صاع pro صوع *movere, agitare*.

7) In commentatione de Cherubis (*) ex צעה *inclinare*, interpretari primus tentaveram, *opus inclinatum*, i. e. *ſemipronâ figurâ, reverentia et horrore numinis vultum oculosque projicientes*. In lexicon Coccejanum recepit Schultzius. Videtur quidem et nunc mihi reliquis veriſimilior ſententia, ſed ea quam ſub initium dedi, *artificium aurifabri*, palmam ei ſine dubio praeripit, atque adeo, modo exemplis firmari poſſet, صوغ de ligno fingendo et fabricando poni, ſecunda, quam ſub Vulgatae nomine dedi. Forte has ſecundas cogitationes legens idem mecum ſentiet S. R. Schultzius.

2185. צער, *parvus, contemtus, vilis fuit.* (מצעיר Dan. VIII, 9.)

צער *parvus fuit*, צָעִיר *parvus*, nota, habentque Arabes ſub صغر: notandum vero, et hoc ipſum Arabum verbum ſaepe in dedecus verti, ac de *vili* et *contemtibili* poni. Syris haec ſignificatio longe uſitatiſſima, ܨܥܪ *probro, ignominia adfecit, blasphemavit* ܨܘܥܪܐ *ignominia* &c. Vide Caſtelli et Schaafii lexica, habebisque exemplorum quantum ſatis eſt. Verbum quidem ſecundum puncta maſorethica in codice ſacro hac ſignificatione non occurrit: at Dan. VIII, 9. mutatis punctis מצעירה *cornu blasphemum, blasphemias loquens*, egregie locum tuebitur, ſicque ex uſu linguae Syriacae in verſione germanica reddidi.

Puncta maſorethica מִצְּעִירָה ſi ſequaris, illis adſentior, qui *praeparvum* (מן צעיר) interpretantur, formae מִבֵּאל num. 313.

Modicum vertit Vulgata, quod Hieronymo idem eſſe ſolet ac Graecum, *μικρὸν*, (vide ejus commentarium ad Jeſ. LXIII, 18. ubi Graecam verſionem latine reddit.) Theodotion, *ἰσχυρὸν*, niſi fallor, ex antiphraſi, prorſus ut Rabbini ab Herode conſulti Matth. II, 6. צעיר Michaeae interpretari auſi ſunt, *οὐδαμῶς ἐλαχίστη*. Valde veteribus, LXX, Chaldaeis, aliis, placebat antiphraſis, qua ſaepe utuntur.

(*) In *commentationibus Societatis ſcientiarum Goettingenſis* T. I. p. 173.

2186. מִצְעָר *contemtus*, *opprobrium* Jes. LXIII, 18.

Mutata interstinctione versuum masorethica, למצער, ad praecedentia refero, et ex Syriaca צער significatione, שבטי נחלתך למצער verto; *tribus hereditatis tuae contemtui sunt*. Hoc sequutus sum in versione germanica, cujus rationem reddendam mihi video. Displicebat, quod plerique habent, *prope hereditarunt* (in potestatem suam redegerunt) *populum sanctum tuum*, ex serie enim orationis videntur totum et integrum in potestatem redegisse. Veterum aliqui de *exiguo tempore* intellexisse videntur, quo sub hostium potestate fuerit populus sanctus, forte sic LXX et Syrus: sed nec hoc reliquae orationi aptum, ex qua diu et per secula durasse haec alienorum imperia videntur. Nec querentis aut lamentantis est, dicere, *exiguo tempore nos sub jugum miserunt*, nec liberationem petentis, jugo enim si adhuc subest, ignorat, quousque sub eo futurus sit. Mutata interstinctione, et adhibita Syriaca significatione, omnia lucent, languida alias et obscura.

2187. צער Jes. LIII, 7. ex LXX.

מִעֹצֶר LXX reddunt, ἐν τῇ ταπεινώσει, sive, ut Act. VIII, 33. citantur, ἐν τῇ παπεινώσει αὐτοῦ: videntur legisse בצער, vel בצערו, idque ex Syriaco vocis usu intellexisse, *cum contumelia adficeretur*. Vide biblioth. Or. priorem. T. XIV. Adpend. p. 170. 171.

2188. צפה.

Speculandi, ex *alto longe prospiciendi* notionem, Hebraeis usitatissimam, habent et Samaritani: ignorant Arabes ac Syri. Estne illa denominativa a صفا *mons*, *petra*? an a *claro*, et *puro*, orta?

Arabibus صَفَا *clarus*, *purus*, *sincerus fuit*, in transitivis conjugationibus, *depuravit, clarum reddidit*, unde et Syri *mundationem* ܡܨܦܝܢܘܬܐ dicunt. Hinc et صَفِيّ *purus*, *clarus*, *selectus*, صَفْوَة *purior et selectior pars rei*, *selectus deo inter homines*, verbumque in conj. 4. أصفى multoque frequentius octava, اصطفى *elegit*, cuius participium مُصْطَفَى *electus*, in nomen proprium perquam frequens abiit. Possit tamen haec *eligendi* significatio et ab Hebraica, *speculandi*, *explorandi* esse.

Ps.

Pſ. V, 4. בקר אערך לך ואצפה *ſpeculandi* ſignificatio parum apta, mane enim, preces coram deo fundens aut in tentorio ſacrificio matutino adſiſtens, quid ſpeculatur? alta quid ex ſpecula proſpicit? Hic ergo mutatis punctis explicare poſſis, ſive 1) אערך לך ואצפה *comparebo coram te, et purus ero*, i. e. puro corde, puris manibus, me tibi ſiſtam, ac ſacris adero: ſive 2) אערך לך ואצפה *mane aeſtimabor a te, et explorabor.* Poſterius in verſione germanica praetuli. Vide biblioth. Or. priorem T. XI. p. 196. 197.

2189. מצפה.

מצפה ſpeculam eſſe, non nego, plerumque tamen non de ſpecula artificiali, turri alta, ponitur, ſed de monte, ex quo late in utramque partem proſpectus patet. Sic quidem idem prope eſſe videtur, quod Arabum صَفَاة *petra*, pluraliter, صَفَا (quamquam et hoc ſingulariter ponitur) frequentiſſimum longe Arabibus nomen, (aliqua exempla dedit Caſtellus) a quo illis Petrus, nomine proprio Arabice verſo, eſt صَفَا ut Joh. VI, 8. سمعون الصفا. Sic ſaepe in N. T. Arabico, Erpeniano etiam. Mihi quidem, Arabica legenti, hoc petrae nomen a *claro*, *puro*, ortum videtur; ut proprie ſit, *nuda petra*, *nullis ſilvis obſita*: ſed de derivatione utcunque ſit, poſſit enim et a claro proſpectu dicta eſſe.

Eſt ubi המצפה cum He articuli, *montem κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum*, ſignificare videtur, i. e. montem Silo, nonnullis altiſſimum Palaeſtinae viſum, atque diu tabernaculo conventus ſacratum. Sic quidem Joſephus Judic. XX, 1. accepiſſe videtur, ubi *omnis Iſrael ad Jehovam congregatus dicitur*, המצפה, pro quo ille, eandem hiſtoriam Ant. V, 2, 9. narrans, habet, *εἰς τὴν Σιλοῦν συλλεγέντες, καὶ πρὸ τῆς σκηνῆς ἀθροισθέντες*: recte quidem, ut mihi videtur, de bello enim cum Benjaminitis deliberaturi quid in ultima trans Jordanem Mitspa congregarentur. Vide plura in biblioth. Or. priore T. V. p. 241–243. Eodem modo et nomen accipiendum exiſtimo 1 Sam. VII, 5. 6. 11. 12. 16. Habemus quidem et Mitspam cisjordanenſem tribus Benjamin, ſed eo tempore adhuc ignobilem, ſub regibus enim demum emerſit munita ab Aſa, nec Deo ſacram. His ergo locis in verſione germanica reddidi, adjecto articulo, *der hohe Berg.* Sed eſt et de

2190. מצפה Jerem. XL. XLI.

dicendum. Eſt haec poſt vaſtatam a Nabochodonoſare Hieroſolymam per exiguum tempus metropolis Judaeae, Gedalia ibi provinciae praeſide relicto. Videtur illa Mitzpa eſſe, quae tribui Benjaminiticae attribuitur Joſuae XVIII, 26. munita ab Aſa, fortalitium jam limitaneum contra Iſraelitas, 1 Reg. XV, 22. Jerem. XLI, 9. poſtea, hanc ipſam ob cauſſam, quod munita eſſet, ſedes praeſulis facta. Satis diſtincte de hac retulit *Bachiene* in *geographia Palaeſtinae* §. 299. 300. a quo, et Relando, in hoc ſolo diſcedo, quod illam jam diu antea nobiliſſimam, et conventibus totius populi Iſraelitici illuſtrem faciunt, ubi mihi המצפה Silo eſſe videbatur.

2190. צפיחת.

Difficilius ἅπαξ λεγόμενον, Exod. XVI, 31. quod varie vertunt veteres, linguae orientales, ut nomen non habent, ſed modo etymon ſuppeditant.

1) LXX ἐγκρὶς, Svida interprete, *libum ex oleo, melle, et aqua confectum*, quo de vocabulo graeco plura dabit Bielius. Proxime his accedere videtur Maurus, اسفنجة habens, quod Golius ita interpretatur: *Graece σπόγγος, ſpongia, item, a ſimilitudine ſpongioſae ſubſtantiae edulii genus, quod ex farina ſimilacea paratur cum aqua ad lentorem agitata, et in rotundiorem maſſam coactum cum oleo coquitur.* Arabs Polygl. قطايف quod Golius explicat, *placentae exiguae, ob mollitiem ita dictae, vel, ut in Logat exponitur, paſtilli dulciarii, ex polline, melle et oleo ſeſamino, quaſi per filamenta compoſiti.*

Proximi his, qui paulo generalius placentam interpretantur, ut Aquila et Symmachus, ἄμυλος, de quo vide Bielium. Heſychio eſt, βρῶμα ἐκ πυροῦ, *cibus ex tritico*, etymologicumque magnum dicit, nomen inde habere, quod non fuerit ſub mola. (τὸ μὴ πεπτωκὸς ὑπὸ μύλων) Hoc ipſum quale ſit, num triticum reſectum, *Weitzengraupen*, (*Weitzengraupen mit Honig*) nondum ſatis expedio.

Similam habet Vulgata, puto, placentam ex ſimila intelligens.

Latius etiam Syrus ܓܪܨܐ *orbis panis ſeu placentae.*

Obſcuriuſcule Onkelos, אִסְקְרִיטָוָן quod quid ſignificet, non argumentis, ſed pro lubitu edixit Buxtorfius. Pſeudojonathan אשישין, ſed quid ipſe hoc nomine intelligat, quod in Hebraicis obvium varie accipitur, quis dixerit?

Samaritanus מעפי, i. e. *obductum* (q. d. tectum) melle. Hic certe, si solum spectes etymon, reliquis verisimilius. Sic et Thargum Hierosolymitanum שפוין, quod est a שָׁפָה *terere.*

Linguae Orientales vix quidquam habent, praeter derivationem. Verbi Arabici صفح prima vis est in, *latitudine*, (vide chrestomathiam Arabicam p. 41.) Hinc dici posset, sive latum panis frustum (*eine dünne Scheibe Brodt*) sive, *dilatatum* in pane, mel, oleum, butyrum, similia. Posterius praeplacet: *illitum melle.*

2191. צפונים *adyta.*

צפונים, *abscondita* (Dei) *adyta* esse videntur Ps. LXXXIII, 4. *consilia capiunt* על צפוניך *contra adyta tua*, et Ezech. VII, 22. *avertam faciem meam*, וחללו את צפוני *et profanabunt* (pessimi terrae) *adyta mea.* Praeivit ibi Vulgata, *arcanum meum*, quod in commentario explicat Hieronymus, *arcanum meum, quod significat sanctum sanctorum.* — — Idem Hieronymus et in psalmo, discedens a Vulgata, *arcanum tuum* vertit. Occupasse video in egregio lexico, Castellum; sed postea in desvetudinem abiit: ut omnino renovandum, ac restituendum videatur.

In Ezechiele LXX ἐπισκοπήν μου Syrusque ܚܘܣ̈ raddiderunt, (num ad צפה speculari referentes?) inque Psalmo LXX Vulg. Syr. *sanctos.* Recentiorum explicationes non conquiro.

Caeterum צפן *occultandi* significatione est peculium quodammodo linguae Hebraicae: non Arabes habent, non Syri, non Samaritani.

2192. צפון *septentrio, Boreas.*

Cum sola Chaldaico Judaica commune habet nomen lingua Hebraica: ignorant reliquae dialecti. Derivatio incerta, referunt plerumque, sed varie rationem reddentes, ad צָפַן *occultavit*: sic mihi quidem videretur plaga septentrionalis inde dici, quod erat illo tempore, ut geographi loqui solent, *terra incognita.* Possis tamen et a צפה *speculatus est*, derivare, (formae יָוָן) ut proprie sit *speculator coelestis*, *stella polaris*, *ex alta specula omnia prospiciens.*

2193. צְפֻנֶיהָ Prov. XXVII, 16.

Versus difficillimus, quem ad puncta masorethica, צֹפְנֶיהָ צָפַן רוּחַ וְשֶׁמֶן יְמִינוֹ יִקְרָא interpretari solent, *qui occultat eam* (rixosam uxorem)

occul-

occultat ventum, et oleum manus ejus (mariti) *clamat.* Displicet ſententia, nec ſatis favet grammatica, ſine Jod enim ſingulariter dicendum fuiſſet, צֹפְנָהּ.

LXX βοῤῥέας, σκληρὸς ἄνεμος, hosque ſequuti Syrus et Chaldaeus, *ventus ſeptentrionalis durus*, legentes, ut videtur, et adpellantes, צָפְנָה רוּחַ צָפוֹן. Ventus durus, impetuoſus, proprie, *quaſſator*, potuerit a ضغن *percuſſit, quaſſavit*, dici. Sequutus ſum in verſione germanica ſequentia, וְשֶׁמֶן יְמִין יִקְרָא legens, et explicans, *et is qui a dextera ſtat occurrit*. Vide plura in bibliotheca Orientali nova T. VII. p. 210–212.

2194. צפנת פענח Geneſ. XLI, 45.

Nomen Aegyptium, Joſepho a Pharaone inditum. Ex Hebraica lingua aut cognatis qui ejus rationem reddere ſtuduerunt, linguam Aegyptiam Hebraeae cognatam putarunt aut ſororiam, in quo magnopere falluntur, nulla enim, ne remotiſſima quidem cognatione Hebraicae linguae Aegyptia tenetur, ut omnes ejus periti decernunt, oculisque ſuis credet, ſi quis vel Copticum lexicon la Crozii, aut Scholtzii grammaticam legere poſſit. Aegyptia origo quaerenda, non Hebraica, non Aſiatica.

Aliorum ſententias enarrare longum, mihi ex omnibus veriſimillima viſa Jablonskii, quam ipſius verbis ex literis ad me datis propoſui in bibliotb. Orient. priore T. IX. p. 206. Septuaginta ψονθομ φανεχ habent, idque Aegyptiace exponitur, *ſalvator mundi*, Coptice ſcribendum ΠCΩT ΜΦΕΝΕΖ. Ergo Hebraicis literis ſcribendum vocabulum fuerit, פסתמפענח, a librariis, ut ſaepe fit in vocibus exoticis, et quas non intelligunt, depravatum.

2195. צפע Jeſ. XIV, 29. צפעני Jeſ. XI, 8. LIX, 5. Jerem. VIII, 17. Proverb. XXIII, 23. *regulus*, *ceraſtes aliquis veterum.*

Copioſe de hoc ſerpente egit Bochartus, Hierozoici P. II. lib. III. cap. 10. 11. cui, ut et plerisque lexicis, plane adſentior, *regulum*, *baſiliscum* eſſe, multa veterum auctoritate. Videtur autem regulus, (non ille fictitius anilium fabularum, ſed verus,) *ceraſtes* eſſe *veterum*, ſine dubio venenatiſſimi generis: cui, ſi qui venenum negarunt, inde fit, quod *Linnei ceraſtes* veneno, dentibusque mortiferis illud emittentibus caret.

 Atqui

Atqui aliter his nominibus veteres utuntur, aliter Linneus (*): nostri, ex quorum itinerariis serpentes cognitos habemus, et exteri sunt illis in regionibus quae patria serpentum lethiferorum, illasque in transcursu modo viderunt, nec intima desertorum, sed culta loca in quibus noxii serpentes prope exstirpati adierunt: plus ergo his si Graeci, Latini, Arabes de serpentibus venenatis habent, illis propterea fides non deneganda, quod nostri Shawii, Hasselquisti, Niebuhrii, de illis non tradiderunt (**). Ipsos Indiae serpentes quis satis noscet ex solis itinerariis? multa illis addunt et explorata, qui Indiae diuturna habitatione indiginae prope facti sunt, missionarii Lutherani Danorum et Anglorum, sed quorum in naturae historia eximios commentarios pauci legunt, ignorantque adeo non pauci naturae historiam professi. Caeterum cuperem, de ceraste veterum, ejusque variis forte generibus, plura et exploratiora discere: sed, ut dixi, nostrorum pauci patria eorum deserta adeunt, nec cum vitae periculo cupiunt serpentes nosse.

De etymologia a Bocharto dissentio. Illi quidem צפע ὀνοματοποιητικον videtur, regulique a sibilo lethifero, quem edunt, nomen, accepisse. Veri dissimile. צפע cum ע tert. rad. nulla in lingua Orientali est sibilare, estque hoc totum conjecturale. Citat سفع *flatu adurere*, vel potius generatim, *adurere*, et سَوَافِع *adurentes adflatus torridi venti*: verum, nec טפע est, צפע, nec *flare*, seu potius *adurere*, idem quod *sibilare*. Mihi potius a صَوْقَعَة *cidari, apice, pileo rotundo* (צפיע Hebraeorum, quod infra vide) nomen videtur accepisse (***): nempe aliquid in capite

(*) Liceat mihi hac occasione errorem corrigere, pagina 52. num. 52. commissum. Citabam ibi Hasselquistum: sed is de *angue ceraste Linnei* loquitur, unde ejus testimonio uti non debuissem. Reliqua recte se habent.

(**) Haec postquam scripsi incido in locum insignem Joannis Beckmanni p. 353. *Aristotelis de mirabilibus* ab eo editi: *non diffiteor deesse auctorem recentiorem, sed parum omnino est, quod de serpentium generatione edocuerunt nostrates, ita ut facile conjicere possimus, multa de his animalibus veteres, quorum in patria ista frequentiora erant, tradidisse quae nondum explorata atque comprobata sunt a recentioribus.* — — Gaudeo auctoritate optimi cognitoris.

(***) *Pileatum* illum Indiae *serpentem* ira venenoque praesentissimo maxime terribilem, quem Indi *Naja*, Lusitani *Cobras de Cabelo* dicunt, si non dicam Palaestina, sed vel interior Africa haberet, ad eum me etymologia deduceret: sed nihil de illo nisi ex India compertum habeo. Vide ejus imaginem, omnia illustraturam, et descriptionem in *Kämpferi amoenitatibus exoticis* pag. 565. 566.

te gerebat, quod cornua vocantes, *κεράστην* eum dixerunt graeci, alii coronae aut diademati comparantes, *regulum*, *βασιλισκον*, regem quasi et potentissimum serpentum agnoscentes. Sic et Hebraeis alio nomine שרף, *nobilis*, quod vide infra.

Jes. XI, 8. *regulum* vertit Vulg. חורמן Chald. ܚܘܪܡܢ Syrus, i. e. basiliscum. Valde favent מאורה ei tributa, de quibus vide num. 52. dicta, (demta tamen Hasselquisti auctoritate.)

Jes. XIV, 29. iterum Hieronymo regulus est, et cum שרף מעופף, *ceraste aucupe*, in synonymi morem, componitur. Vide sub num. 1854. de עופף dicta. Ponitur ibi basiliscus in laudem, ut imago nobilis et victoriosi regis. Vide simile quid in chrestom. Ar. p. 72. ubi vir fortissimus est, *insidiosus*, *qui sudat venenum*, *sicut insidiatur vipera spirans venenum*, *basiliscus*.

Jes. LIX, 5. ova illi tribuuntur, quod mirum videri possit, cum cerastem viperis i. e. viviparis adnumerare soleant, nullo tamen certo auctore, ut ad de generatione enim serpentum parum explorati habent recentiores, ut ad caput 179 *mirabilium Aristotelis* monuit *Joannes Beckmannus*. Nonnulla animalia et vivipara et ovipara: testisque fide dignus terribilem Americae septentrionalis serpentem, *crotalum* (*Klapperschlange*, *Rattelsnake*) et vivipari generis esse et ovipari, retulit; qui ipse diu in America versatus adcuratius inquisierat. *Ovis reguli qui vescitur*, Jesaiae *moritur*: hoc forte ex fabula sumtum, cum basilisci omnia habeantur lethifera, nec enim vel ex fabula sumtam imaginem poesis dedignatur, nec tamen negaverim aliquid aliquando veri subesse posse: alites et quadrupedes, ovis vescentes, si quando ovum reguli deglutiant, in quo jam embryones, possint forte morsu serpentis ex ovo erumpentis mori. Alias ova serpentum non noxia, sed in deliciis etiam habentur.

Jerem. VIII, 17 in *βασιλισκον*, *regulum*, consentiunt, Syrus, Chaldaeus, Aquila, Vulgata: adnotat tamen Hieronymus, Aquilam in secunda editione sententiam mutasse. *Aquila*, inquit, *transtulit regulos, qui appellantur Hebraice SAPHPHONIM: pro quo quid sibi voluerit secunda ejus editio, ut speculatores diceret, non intelligo, nisi forte ob verbi similitudinem.* Non speculatores intellexisse videtur, sed *serpentes insidiatores*, forte sine ע legens, צפונין, et ad צפה referens. Ipse cerastes Graecis *insidiator* dici solet. Utramque ejus versionem in unam compegerunt Hexapla Syriaca, ܚܪܡܢܐ ?? ܕܒܩܝܢ *basiliscos qui insidiantur*.

De Proverb. XXIII, 32. vide scripta num. 2080. sub פרש.

 2196.

2196. צפעה plur. צפעות vel צפיעות Jes. XXII, 24. *pilei ornatiores.*

Ἅπαξ λεγόμενον, in plerisque editis צפעות sine Jod scriptum, in XL Kennicottianis plene צפיעות, in quo, quid luserint interpretes mirere, recentiores tamen, et nostros lexicographos, deteriora etiam veterum commentis addere, quis non indignetur? *Filias*, *nepotes*, vertunt, sed hos quis ex paxillo folii suspendat? Vide tamen erroris genealogiam: הצאצאים והצפעות:

1) LXX prorsus omittunt, satis illi prudenter, quid significarent vocabula ignorantes. Hieronymus tamen, eorum versionem in commentario latine reddens, in eis invenit, *a minimo usque ad maximum*, sicque in nonnullis editionibus legitur ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, quod quomodo ex Hebraicis verbis effici possit, aegre dixeris: conjectura esse videtur, nec tamen infelix, *vasa* enim *parva et magna*, quae ex paxillo suspendi possunt, intellexerunt.

2) His proximus Syrus, ܝܩܝܪܐ ܘܡܫܒܚܐ *pretiosum et laudatum*, atque

3) Vulgata, *vasorum diversa genera.*

His quidem nihil obverti potest, nisi versiones conjecturales esse, nullo linguarum orientalium usu confirmatas: nec tamen absurdi quidquam aut indigni conjecerunt. Non homines vivos ornatus caussa ex folio suspendunt. Sed jam ad haec etiam lectu prope indigna deveniendum. Ergo

4) *filios et nepotes* habet Chaldaeus.

5) Symmachus, citante Hieronymo, (Graeca enim non habemus) *nepotes atque commixtos.* Commixtorum nomine exteros intellexisse videtur, qui ad prosapiam viri non pertinebant, sed illi se admiscuerant.

6) Kimchius primus interpretari ausus, *filios et filias*, addens, idem esse, ac si Jesaias scripsisset, הצאצאים והצאצאות.

7) Jam ulterius progressus Reuchlinus, Judaeis ille credens, reliquarum linguarum Orientalium seculi infelicitate nondum peritus, in lexico: צפוע צפיע *stercus*, *fimus*, *excrementum*, *foeditas*, Ezech. IIII. — — *et per paragogen He feminini generis significat progeniem atque liberos*, *filios sive nepotes.*

8) Haec infanda idemtidem ut certa repetentes, recentiores, צפיעי בקר *fimum boum* Ezech. IV, 15. conferunt, voluntque inde filias nepotesve

ve dici. Dubio caret, צפיע Ezechieli *fimum* esse, ut ضفع Arabicum, (vide Golium p. 2856.) sed *fimum, excrementa*, quis filias, aut nepotes dixerit? Succurrunt, omnia ausuri lexicographi recentiores, comminiscuntur, צפע idem significare, quod יָצָא *egredi*, ab egrediendo ex lumbis patris filios vel nepotes dici: sed haec mera commenta, quorum nihil habet usus linguarum Orientalium.

Mihi quidem, nisi plane desperare velimus vocabulum rarius, צפיעת *pilei* sunt elegantiores, collato صوقعة *apex, cidaris, pileus rotundus, superior pars tiarae orientalis*. Vide et n. 2106. de צאצאים scripta. Diademata et pilei elegantiores ex paxillo solii suspenduntur.

2197. צַפְצָפָה Ezech. XVII, 5. *salicis genus erectius, salicetum?* an, *planities?*

Varie vocabulum semel lectum interpretantur: mihi praeferenda ea videtur interpretatio, quam prima habent lexica Kimchii et Reuchlini, ut sit, *salicis genus*, et collective, *salicetum*. Sententiae argumenta collecturo otium fecit, licet ipse dissentiens, Celsius in hierobotanico T. II. p. 107—111. ut ad illum ablegare possim. Nempe,

1) Thalmudicis צפצפה *salicis* est *species*, quam describunt Rabbini ab eo citati, ut, *caudice albo, folio rotundo, sed dentato instar falcis messoriae*: quibus quidem solis non crederem, nisi linguae Arabicae auctoritatem adferrent.

2) Arabibus صفصاف non lexicis solum, sed et Abulfadli auctore, species est salicis: Arabs Graecum, ἰτέα, salix Ps. CXXXVI, (Hebr. CXXXVII.) 2. et Jes. XLIV, 4. صفصاف interpretatur, sicque et in psalmo Arabs Antiochenus Syriacum ܚܪܒܐ. Nehem. VIII, 16. ubi nihil est in Hebraico, sed in Syro ܚܪܒܐ ܘܩܨܐ, Arabs اغصان الصفصاف, sine dubio, *ramos salicum*, hos enim Levit. XXIII, 40. tuguriis faciendis praescripserat Moses. Idem magis etiam confirmatur commentariis itinerum recentiorum. *Joannes le Maire*, αὐτόπτης, cujus ipsa verba excerpsit *Paulus Lucas*, in *Voyage fait dans la Grece, l'Asie mineure, la Macedoine et l'Afrique*, T. II. chap. 11. refert, in Cyrenaica Arabice salicem *Saffaf* dici, hinc *campum Saffaf*, locumque aliquem, quem describit, *Saffaf* vocari a septem salicibus insolitae pulchritudinis et magnitu-

gnitudinis. (*sept Saules, d'une beauté et d'une grandeur extraordinaire:* p. 91.) Rauwolfius quoque, cujus integra verba Celsius dedit, Aleppi Syriae salices vidit, ac descripsit, ab Arabibus *Saffaf* vocatas. (Monet Celsius, eum aliqua Rhazis et Avicennae non recte intellexisse: hoc utcunque sit, quae Aleppi vidit audivitque, eorum testis ipse solus sufficit.) (*)

Vix ergo dubito, quin צפצפה Hebraicum sit aliqua procerior salicis species: video autem non solum recentiores plerosque dissentire, sed et duos illos, quos ex omnibus in his supplementis memoratis, maximi facio. Paulo asperius Castellus: *salix, satis inepte R. David* (Kimchi) *et moderni omnes*, ne addita quidem ratione, cur ineptum existimet, nisi hac sola, quae et Celsio (p. 121.) rem perficere visa est, *quid salici cum vite:* Atqui multum illi cum vite, maxime, Ezechielis, sed quod non animadverterunt viri eruditissimi, extra patriam vitium nati, et quorum alter, insignis botanicus, multarumque regionum australium peragrator, vitem quidem ut botanicus adcuratissime, non ut vinitor aut oeconomus cognitam habebat. Duplex se aut triplex offerebat explicatio.

1) Ex meliore salicum genere fulcimenta, seu ut Plinius vocat, *juga*, vitibus per illa adscensuris parantur. Plinius hist. nat. l. XVI. §. 68. *Salicum plura genera. Namque et in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas.* Hinc possis, ex praecedente על subintellecto, vertere, *ad aquas multas, perticasque salicum* (per quas ascenderet) *posuit eam.*

2) Verum a plantante non id spectatur, ut alte se efferat, sed ut modica maneat atque humilis illa, de qua Ezechiel loquitur, vitis. Ergo plantat illam, non in felice apricorum montium ac sicco solo, sed in humido, quod vitibus minus convenit: *ad aquam multam, et salicetum.* Salices humida loca amare, quis ignorat?

3) Accedit quod, ad salices plantata, sine fulcimentis jugorumque perticibus, per ipsas adscendet salices, (*maritari* arbori dicunt latini, quae sic ei innixa adscendit) (**) verum non alte, quod aliis comparata arboribus, ut, ulmis, salix humilis.

Verbum et de aliorum explicationibus, maxime veterum, dicendum.

1) Ad

(*) Nomen forte a צוף *fluendo* salices acceperunt, aliquo enim anni tempore, apud nos Junio maxime et Julio, ex illis, largo rivorum humore nutritis, guttae decidere et stillare solent, (diversae a sputo, quod ex salicibus decidit, estque vermiculorum salivantium.)

(**) Vide jus Mosaicum T. IV. §. 219. p. 340. 341.

1) Ad צָפָה referentes, *spectabilem* vitem intellexerunt, LXX. ἐπιβλεπομένην (ܡܬܚܙܝܢܝܬܐ verterunt Hexapla Syriaca) forte et Syrus, ܡܫܒܚܬܐ. Male, et contra scopum Ezechielis, aut plantatoris, qui vult, humilem manere vitem. Vide versionem Germanicam.

2) Vulgata, *in superficie posuit eam.*

3) Chaldaeus, quem nonnulli sequuti, צפצפה *vitem* interpretatur, perquam audaci conjectura, nulloque linguarum Orientalium usu.

4) Castellus, Celsium habiturus adseclam, ex Arabico صَفْصَف *locum planum, planitiem*, vertit. Hoc quidem ex reliquis omnibus verisimillimum, ac solum cum salicibus contendendum. صفصف *locum aequalem ac planum* ex Geuhari vertit Golius p. 1362. sed nullo addito exemplo, hoc ergo subjunxerim, et vero insigne ex Corano Sur. XX, 106. *interrogabunt te de montibus*, (quid nempe eventurum illis sit die judicii?) *Dic: flatu abiget* (vel, *ventilabit*) *illos dominus meus, et relinquet* قَاعًا صَفْصَفًا *planitiem aequabilem, in qua nihil videas curvi, elati et depressi.* Quadriliterum esse videtur, a صفي *purus fuit.* — — Apta filo orationis Ezechielicae significatio: vitis, quam non vult nimis fieri altam plantator, non in montibus, solo felici, plantatur, sed *ad aquas multas in planitie.*

2197. צפר, صفر, ضفر.

De verbo צפר, non nisi semel Jud. VII, 3. obvio, ob derivata inde nomina sciendum, duo illud, significatione diversa complecti verba, quae Arabes adpellatione et scriptione distinguunt.

1) صفر *sibilavit, sibiloso sono cecinit avis*, verbum ex naturali sono ortum, ex quo et *aves* צִפּוֹר dici reor. Hinc denominative Jud. VII, 3. צָפַר est, *avolare.* — — Mirum, neminem veterum ita vertisse, licet in rei summa, *discessu*, consentiant: LXX ἐκχωρείτω, Vulg. *recesserunt*, Syr. ܢܗܦܘܟ *revertatur*, Kimchius in lexico, ad Chaldaicum צְפַר, *matutinum tempus, aurora*, referens, ישכים בבקר *mane abeat*, quod et in aliqua lexica receptum. Solus ibi plane aliter Chaldaeus, ויתבחר *exploretur*, legensne, יִצָּרֵף?

In nona et undecima conjugatione *flavum, intense flavum* colorem, etiam qualis auri et croci est, nomen inde *Safran* habentis, denotat. Huc refe-

(12) Q

referendum צפירה, *aurora*, Ezech. VII, 7. 10. idem quod Chaldaicum צְפַר.

2) ضفر generatim quidem forte aliquando, *ligavit*, sed speciatim, *plexuit*, e. g. *coronam*, Matth. XXVII, 29. Marc. XV, 17. Joh. XIX, 2. *comam mulieris*, *funem*, *catenulam*. Hinc nomina, ضَفْر *cirrus*, *plexus capillorum*, 1 Petr. III, 3. (ضَفْر من الشعر, graece ἐμπλοκὴ τριχῶν) item *funis* quo camelus alligatur, (a contorquendo) ضَفِيرَة, *cirrus*, 1 Tim. II, 9. (بالضفاير, ἐν πλέγμασιν) *catenula opus funiculatum*, Exod. XXVIII, 25. Similia habet lingua Aethiopica, quae in ipsis lexicis legi velim. Hac ab radice

2199. צפירה Jes. XXVIII, 5.

est, *corona*, etiam ex floribus nexa, *diadema*. Sic sine dubio ponitur, (ita tamen ut dubitare possis, sitne corona ex floribus, an diadema ex gemmis) Jes. XXVIII, 5. quodque in priore membro עטרת צבי in secundo dicitur צפירת תפארה. Satis hic unanimes veteres, LXX, paulo nimis etymologice ὁ πλακεὶς τῆς δόξης, *plexus* sc. στέφανος, i. e. *plexa corona gloriae*. (Legit ibi Arabs, nonnullis verbis omissis, ὁ στέφανος ὁ πλακεὶς; idque harmonice vertit, الاكليل المظفور *corona* plexa, licet enim pro ضفر et ظفر scribere. Gramm. Arab. §. 2. n. 8.) Aquila et Theodotion, πλέγμα, Symmachus κίδαρις, Vulg. *sertum*, Syr. ܟܠܝܠܐ, Chald. כְּתַר *corona*.

At צפירה Ezech. VII, 7. 10. aurora ad اضفر referendum jam pagina praecedente diximus.

2200. צִפֹּרֶן *unguis* Deut. XXI, 12. Jerem. XVII, 1.

Mirum, in derivatione nominis, cujus significatio certissima, errari potuisse, cum eam ultro offerant linguae Orientales. Referendum ad Arabicum ظُفْر *unguis*, *ungula*, per ظ scripto pro צ, secundum grammaticam §. 2. n. 8.: Syri, Chaldaei, Samaritani, טְפַר, טִפְרָא scribunt. Mihi quidem videtur, ut plura membrorum corporis nomina, primitivum

vum esse, nec a ظفر *unguibus laceravit, vicit,* ortum, sed hoc verbum denominativum, a nomine.

Parum verisimiliter a צִפּוֹר *avis* derivant plerique, quasi vero avium, solarum essent ungues, non et hominum, et quadrupedum. Pejus etiam Simonis ex gratis sumto (*) Chaldaico צפר *circumdare*, et Hebraico צפן *occultare*, ungues componit, plane immemor, Arabibus, Syris, Chaldaeis, Samaritanis per ט et sine Nun scribi.

Puncta literis substrata, צִפָּרְן mihi suspecta: mihi certe nullius nominis indubii ejusdem formae in mentem venit, mallem, lectio literarum si certa, ad analogiam aliorum nominum צִפֹּרֶן, in plurali צִפָּרְנִים efferre. Habent quidem in Jeremia multi codices Kennicottiani plene, צפורן, vix tamen eos sufficere putem monstro formae probando. Librariorum pauci literas ו et י addunt de suo, sicque et Deut. 21. codicum Kennicottianorum unus, ציפורניה, alter ציפרניה, tertius צפורניה scripsit, omnes sine dubio vitiose, reliquis codicibus omnibus, et textu Samaritano in צפרניה consentientibus.

2201. צִפּוֹר Genes. VII, 14.

צִפּוֹר *avem* esse certum, at ex hac significatione languet Genes. VII, 14. כֹּל הָעוֹף לְמִינֵהוּ כֹּל צִפּוֹר כָּל כָּנָף *omnis avis secundum speciem suam, omnis volucris, omnis ales.* Quae inanis synonymorum repetitio! At si צִפּוֹר hic idem sit, quod praecedens צפרן, Arabicumque ظفر, *unguis*, lucent omnia: *omnis volucris, omnis unguis et omnis alae*, i. e. omnes volucres unguibus et alis diversae. Solent in hunc usque diem historiae naturalis periti avium genera secundum alas et ungues dispescere, aliamque illis simillimam, veram, aeternum duraturam quadrupedum divisionem Moses praeivit, ut veri non sit dissimile, eum et aves eodem, quo nos modo, dispescuisse. Vide *Einleitung in die göttlichen Schriften des alten Bundes* T. I. §. 49. p. 239. 240.

2202. צֶפֶת 2 Paral. III, 15.

Ex re ipsa manifestum, agnitumque, idem esse, quod in loco parallelo 1 Reg. VII, 16. כתרת, *coronam* in capite columnarum, *epistylium:* at de deri-

(*) Vide Buxtorfii lex. Chald. p. 1937. intelligesque, non nisi quorundam esse interpretationem loci Jud. VII, 3. in linguam, non Chaldaicam, sed Rabbinicam receptam.

derivatione *ἅπαξ λεγομένου* nominis ambigitur. A צפה ductum volunt Raschi et Kimchi, ut sit, tanquam *speculans ab alto.* Ego mallem وصف *descripsit*, unde صِيغَة *forma*, Syriacumque ܨܝܦ *solicite et adcurate aliquid fecit*, conferre, ut hic columnarum ornatus dicatur, elaboratum *artificium*, aut, si literas permutandi detur audacia, ܨܒܬ ornavit.

Chaldaeus קרוניתא *coronam* vertit, LXX et Vulg. ut difficile nec intellectum omiserunt, Syrus ignotum ܢܫܬܐ reposuit, de quo vide lex. Syr. p. 331.

2203. צקלון 2 Reg. IV, 42.

In diversa abeunt interpretes, *folliculum* alii, quo grana adhuc continentur, *saccum* alii intelligentes. Mihi, neganti כרמל *spicam viridem* esse, ac potius *grana contusa* interpretanti, (num. 1219.) posterius non potest non videri verius. In rei summa, צקלון esse, in quo grana portabantur, consentiunt, LXX ex editione Complutensi, *ἐν τῇ πήρᾳ αὐτοῦ*, exque his Vulgata, *in pera*, Syrus ܒܣܘܕܪܐ *in sindone*, Chaldaeus et Arabs *in veste sua* (בלבושיה, بلباسه) i. e. *veste in sinum complicata*, in qua interdum et victus portabatur. Exod. XII, 34. — — Mire LXX in codice Alexandrino, *βακκελλὲθ*: hoc quid est? Legitne aliquis in margine interpretationem Rabbinicam בקלת, *in calatho*, idque, quid significaret ignorans, graecis literis scripsit?

Linguae quidem Orientales nihil huic significationi cognatum offerunt, praeter, صُقُل et صِقَال, *venter*, sed quod sine exemplo addito in lexicis ponitur. Sinus vestis, aut saccus, venter dici possit. Invenisse sibi visus est, Simonis literarum ע et צ permutatione in Chaldaico seu potius Thalmudico עקל *corbis*, *saccus ex funibus*: verum, si Buxtorfii lexicon inspicias, intelliges, hoc nomen esse a radice עקל *contorsit*, Hebraeis non minus quam Chaldaeis per ע scriptum, nunquam per צ. Forte referendum צקלון ad Arabicum, quod nobis periit, ضغل.

2204. צקן Jes. XXVI, 16.

Verisimillima mihi explicatio Joannis Henrici Michaelis, data in bibliis Halensibus, *custodia*, *securitas*, ab Aethiopico צקן *circumsepsit*, unde et *septum*, *murum* dicunt. Sic (mutatis vocalibus) צָקֻן לחש erit,

tuta-

tutamen a praestigiis, tanquam septum quod illas arcet, ne noceant. Vide notas ad versionem germanicam.

Pro nomine habuerunt et veteres, Chaldaeus, *angustiam*, Syrus *carcerem*, Vulgata, *tribulationem* reddentes: hi ad radicem צוק retulerunt. Constructioni cum לחש minus hoc aptum.

At recentiores, Kimchium plerumque sequuti, pro verbo habuerunt, צקון cum Nun paragogico pro צָקוּ posito, parum verisimiliter. Primo enim rem perquam suspectam reddit, quod Nun paragogicum terminationi praeteritorum non nisi rarissime, bis admodum in toto codice sacro, (Deut. VIII, 3. 16.) additur, de quo in grammatica, deinde sententia parum probabilis quam ex verbo exsculpunt, ut,

1) Kimchius et Raschi, *effundunt mussitationem*, *i. e. preces*, ut צקון sit pro יצקו. Nihil sane ineptius: Jod primae radicalis praeterito Kal nunquam perit, nec mussitatio preces: cui autem non displiceat phrasis, *mussitationem effundere?*

2) alii, *clamant mussitationem*, contradictorie, mussitationem enim non clamamus sed mussitamus. Sic tamen Simonis, Arabicum צקק, et זקק *clamavit*, conferens, quod vel in lexicis, ex quibus sua sumebat, frustra quaesieris. صعّق vertunt, *sonuit*, non, *clamavit*. Paulo concinnius Houbigantius lectionem mutans, צעקו בלחץ *clamabant in oppressione:* sed nullus conjecturae adblanditur codex, nec emendatione textus opus.

2205. צרב.

Verbum semel occurrit, Ezech. XX, 47. (al. XXI, 3.) cui loco *comburendi*, *incendendi* significatio, in plerisque lexicis sumta, non apta modo, sed et prope necessaria. Praeiverunt LXX κατακαυθήσεται, Vulg. *comburetur*, Syr. ܢܬܝܩܕܘܢ ܒܗ̇. In Hexaplis etiam ὁ Ἑβραῖος citatur, καυθήσεται. Sic et nomen צרבת Proverb. XVI, 27. intellexerunt Syr. (ܩܕܚܐ) Chaldaeus (*scintillans*) Vulg. (*ardescit.*) Unum molestum, quod ex cognatis linguis hac significatione non citatur. De his quidem sic habe. Arabia Hebraicum in duo verba dispescit,

1) صرب est, *indidit*, *collegit* (in vase lac, adfundens partem parti, ut acescat) *retinuit*. Hoc quidem nihil ad Hebraicum verbi usum, ideo tamen notandum, quod ejusmodi aliquem significatum spectasse videntur LXX אש צרבת Proverb. XVI, 27. vertentes, θησαυρίζει πῦρ,

solum nacti Arabem assectam, non, quos alias hoc in libro habere solent, Syrum Chaldaeumve.

2) ضرب *percussit*, usu vocis latissimo, ac frequentissimum Arabibus verbum. Hoc quidem et ita transferunt Arabes, ut passive (ضُرِبَ et ضَرُبَ) sit, *percussus fuit frigore*, et, *pruinam passa fuit terra*, unde et ضَرِيب *nix, glacies, pruina.* Ut ad frigus Arabes, ita ad aestum et ignem transtulerunt Hebraei, ut *percuti aestu vel igne* sit, *uri aestu, aduri igne.*

Caeterum in loco Ezechielis de nota inusta, qua frons signatur, Chaldaeus intellexit, ויתרשמון בה *omnes vultus signabuntur illo*, vertens. Hic quidem sequens צרבת contulit, aque eo verbum derivavit: nempe פנים proprie de *facie* accepit, mihi quidem est, *superficies* totius regionis.

2206. צָרֶבֶת Levit. XIII, 23. 28.

Nota, labes, macula in cute ex ulcere vel adustione residua: proprie, *percussio, plaga. Plagam* Vulgata v. 28. reddidit, in versu 23, *cicatricem*, أَثَر vestigium utrobique Arabs Pol. Chaldaeus, רושם *vestigium. Inflammationis* notio, quam aliqui recentiorum habent, neutri loco apta, de innoxio enim vestigio sanati ulceris &c. sermo.

2207. (rad. צרה) צֳרִי Genes. XXXVII, 25. XLIII, 11. Jerem. VIII, 22. XLVI, 11. LI, 8. Ezech. XXVII, 17. opobalsamum.

Mihi quidem verisimillimum, צרי quod in dotibus Palaestinae, maxime Gileaditidis laudatur, opobalsamum esse, quae consueta sententia: aliis aliter visum, ipsi adeo Celsio, cui est, *lentiscus, resina lentiscina, mastiche.* Vide illum in hierobotanici parte II. p. 180–185. In tres disputationem de hoc vocabulo partes dividamus.

I) Derivationem si spectes, est, sive a צָרָא, زرا *scidit, laceravit*, gutta ex scisso arboris cortice effluens (*), sive a ضَرَا pro ضرو *manavit*,

(*) Josephus de bello, Jud. I, 6. regio circa Hierichuntem βάλσαμον τρέφει. Τοῦτο λίθοις ὀξέσιν ἐπιτέμνοντες τὰ πρέμνα συλλέγουσι κατὰ τὰς τομὰς ἐκ δακρύων, *balsamum cujus truncis lapide acuto incisis, e lacrimis ex vulnere manantibus colligunt.*

vit, unde ضَرْوٌ *lacrima arboris Arabicae, quam Arabes* كنكام (*κάγκαμον*, *cancamum*) vocant, Castellusque in lexico Arabico vult, *lentiscum* esse. Hac tamen de interpretatione mihi nondum liquet: Plinius hist. nat. l. XII. §. 44. *ex confinio casiae cinnamique, et cancamum ac tarum invehitur, sed per Nabataeos Troglodytas.* Lentiscum esse, nullo verbo dicit Plinius, de qua alibi sub lentisci nomine loquitur. Ex etymo ergo צרי omnis arborum gutta seu resina nobilior ac medica dici potuerit: ac forte ipso Orientalium usu nomen late patuit, regione alia alius arboris guttae, sibi propriae nomen κατ' ἐξοχὴν dante. Hac latitudine sumtum vocabulum et veteres non eodem modo interpretantur:

1) LXX et Vulgata ubique generaliter ac latissime ῥητίνην, et, *resinam*. Notandum et, Hieronymum, Ezech. XXVII, 17. פנג ex conjectura *balsamum* vertentem, balsamum a resina, nescio qua, distinxisse: *balsamum, et mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis.* Dolendum, quod in commentario ad utrumque prophetam, Jeremiam et Ezechielem, de צרי silet Hieronymus, quo nemo melius certa nobis de resina Palaestinae referre poterat, modo inquisivisset.

2) Syrus vel Syri interpretes, varie vertunt, partim pro librorum, alios interpretes nactorum, diversitate.

In Genesi utrobique harmonice vertit ܨܘܐ, quo de nomine non plura quam de Hebraico novimus, licet aliqui perquam fidenter vertant. Vide de eo dubitata in lexico Syriaco p. 768. — — Jerem. 46. inque Ezechiele, ܪܗܛܝܢܐ (*resinam*) vertit, plane ut Graeci, (num ex illis interpolatus seculo octavo?) at in eodem Jeremia cap. LI, 8. ܣܡܡܢܐ *medicamina*, et cap. VIII, 22. ܫܥܘܐ proprie, *ceram*, sed quam hic pro resina medica seu emplastris poni manifestum. Sic et, *gummi*, *unguentum*, Persis *Mumie*, i. e. *ceram*, dici auctor est Chardinius, itinerum T. IV. p. 40.

3) Ex Chaldaeis Onkelos Genes. 43. קטף vertit, quod aromatum nomen est, a *secando* ductum, ac latius, alibi etiam pro נטף, *stacte*, positum: (vide Buxtorfii lexicon). Idem Genes. 37. שׁעף vel שׁעיף vertit, (sicque et a Jonathane Jer. 46. et 51. redditur,) sed in hujus versione Genes. 37, rectius forte, שׁעוא scribitur. *Ceram* proprie significat, idem Syriaco ܫܥܘܐ, sed deinde et eadem latitudine pro gummi ponitur. — Jonathani Genes. 43. est שׂרף, i. e. me arbitro, *unguen-*

guentum, ut Samaritanum סרף: Buxtorfius *gummi*, *resinam*, *succum*, *lacrimam*, *humorem arborum vel herbarum*, vertit. Raschius ad Genes. 37. שרף הנוטף מעצי הקטף *unguentum quod stillat ex arboribus stactes*, ac deinde כטף *stactem* explicat.

4) Samaritanus in Pentateucho utrobique שעבה vertit, quod nomen Chaldaico, Syriacoque שעוא, שעפא, ܫܥܘܐ idem esse videtur, literis ב, ו, et פ, permutatis.

5) Arabs uterque in Genesi *theriacam*. (ترياق vel طرياق) vertit, medicamentum arte factum intelligens: male, cum ut donum a natura Palaestinae et Gileaditidi concessum laudetur.

Vides, ex his nil certi elici posse, ac genericum a plerisque nomen poni. Mireris tamen, neminem eorum balsamum occupasse, sed hoc omnes reliquisse intactum recentioribus.

II) Genes. XXXVII, 25. XLIII, 11. Jerem. VIII, 22. XLVI, 11. LI, 8. Ezech. XXVII, 17. legenti, צרי esse videbitur, *medica aliqua resina, vulneribus praecipue curandis adhibita, donum a natura Palaestinae, ac maxime vero Gileaditidi datum*, *eique* ab antiquissimo inde Jacobi et Josephi tempore *peculiare*. Jam cum opobalsamum et inter praesentiora sit medicamina, et Palaestinae olim, cum coleretur et nosceretur, dos, quis non, צרי legens, de opobalsamo, seu ut nunc vocari solet, balsamo Meccano cogitet? Insignem describo Plinii locum, quod eo deinceps in disputatione opus habebimus, et aliqua parte corrigendus videtur, Hist. nat. l. XII. c. 25. vel §. 54. *omnibus odoribus praefertur balsamum, uni terrarum Judaeae concessum* (*) *quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum XX non amplius, altero pauciorum. Ostendere arbusculam hanc urbi imperatores Vespasiani, clarumque dictu, a Pompejo Magno in triumpho arbores quoque duximus.* Reliquos de balsametis circa Hierichuntem testes, Strabonem libr. XVI. p. 1107. summa (al. 765.) Diodorum Siculum l. II. c. 48. versus finem, Justinum l. XXXVI. c. 3. cito, non verba describo: in eodem fere cum Plinio versantur errore, nullibi alias terrarum balsamum nasci. Mirum simili errore Josephum de agro

(*) Quod *soli terrarum Judaeae concessum* dixit, in eo quidem errat, nisi subintelligas, *cognitarum Romanis terrarum*, de quibus sine dubio solis cogitavit. Habet certe Arabia, maxime Jemenensis Id ipsum, quod in duobus modo hortis colebatur, argumento est, non sponte provenire in Palaestina, atque esse aliam terram, in qua, nullo cultu, sola natura obstetricante, balsami frutex proveniat.

agro Hierichuntino Ant. XV, 4, 2. scripsisse, φέρει ἡ χώρα τὸ βάλσαμον, ὃ τιμιώτατον τῶν ἐκεῖ, καὶ παρὰ μόνοις φύεται, cum ipse libr. VIII, 6, 6. narrasset, surculos opobalsami ex Arabia Palaestinam accepisse: sed videtur ita secum conciliandus, ut de solo ubere proventu balsami in paradisis circa Hierichuntem loquatur, non arborem ipsam, sponte nascentem, aliis extra orbem Romanum terris neget.

Primarii qui de opobalsamo retulerunt auctores, et αὐτόπται, *Prosper Alpinus* sunt, et *Forskâlius*, seu qui ab eo scripta publici juris fecit et expolivit, *Linneus:* ille quidem, *Prosper Alpinus*, in *dialogo de balsamo* anno 1591 vulgato, qui jam novae editioni *libri de medicina Aegyptiorum (Lugduni Batavorum* 1745) adjectus est. Dedit idem et in libro primo de medicina Aegyptiorum, (ad paginam 120 dictae editionis) imaginem arboris aere expressam, non omnis quidem, ut monuit Linneus a Forskâlio edoctus, vitii expertem, sed qua tamen uti licebit donec meliorem nanciscamur.

Prosper quidem Alpinus, in horto Cahirae αὐτόπτης, monet *Balessan*, seu, ut Arabicis literis scribam بلسان, vocari. In Aegypto sponte non nascitur, quod ex eo certum p. 83–87. 92. forte nec in Palaestina cisjordanensi, quamvis de hac testis esse Alpinus nequeat, sed *prope Meccam et Medinam, in montibus, planis, cultis atque incultis locis innumerae balsami plantae nascuntur, plerumque etiam in arenosis sterilibusque locis: sed hae, sponte natae, licet multa semina ferant, parum tamen vel nihil balsami sudant.* (Pertinet hoc, ad intelligendos aut excusandos antea dictos veteres, qui soli Judaeae circa Hierichuntem concessum balsamum prodiderunt, nempe quod ibi in hortis cultum, gummi exuberat, alibi parum fundens, mercatoribus nec notum, nec quaesitum.) *Tales multas nasci* tradit *in monte arenoso apud Bedrunium, decimo quinto, Cahirâ Meccam proficiscentibus, die. Quia autem in sterilibus locis natae parum ferant opobalsami, ab incolis decerpi, ac pingui solo inseri. Mecca etiam in Aegyptum in hortum Bassae transportari, sed ibi saepe arescere balsami plantas, quod ubi accidat nova ex Meccana regione supplementa colligi ac deportari.*

Idem et pag. 95. balsami eliciendi artem describit, quod *Junio, Julio, Augusto, partim sponte, partim stipite ferro scarificato, distillat, in vitreaque vasa recipitur*, itemque quatuor ejus aetates. Primo enim est colore albo, sed qui per paucos dies durat: deinde fit viride in olei pene modum: post aliquod annos totum pellucidum ac liquidum, auri colo-

rem imitatur (*). Senefcens, poft decem pluresve annos turbidum fit, mellis fimile, viresque fenfim amittit. (p. 100–103.) Adulterationem balfami p. 105. defcribit, cui et alia admifcetur refina, atque pag. 113. femen.

Ad Forskâlium et Linneum veniamus. Multo copiofior ac laetior in auftrali Arabia, Jemen, balfami arbor nafcitur, ut Forskâlius potuerit fub umbra arboris, et vero florentis, die quarto Aprilis fedens, eam defcribere. Nec tamen Arabes videntur ex ea balfamum elicere, fed ligna dicuntur boni odoris cauffa urere. Nomen ibi arbori أَبُو شَام, *pater fragrantiae*. Vide Niebuhrii itinerarium Arabiae T. I. p. 351. 352. Ex Forskâlii literis defcripfit, ad genus botanicum retulit, et de auctoribus copiofe egit, *Linneus* in differtatione, cui titulus, *opobalfamum declaratum, Upfaliae 1764*, quam, cum neminem adcuratius de balfamo anquirentem ea carere poffe arbitrer, non excerpo.

Nec vero fubticendum, quid, qui negant צרי balfamum effe, balfamo opponant, aut omnino ei opponi poffit.

1) צרי *Jacobi jam tempore in dotibus Palaeftinae laudatur, fed Jofepho auctore arbor eft exotica, Salomonis demum tempore ex Arabia in Palaeftinam adventitia.* Sic ille de regina Sabaeae, Ant. VIII. 6, 6. λέγεται δὲ, ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν.

Parata duplex refponfio. Primo enim non certa tradit et hiftorica Jofephus, fed *rumorem*, λέγεται, *dicitur*. Deinde fieri omnino potuiffet, ut, habente jam antea arborem Palaeftina, atque adeo in hortis cultam et ex Gileaditide transplantatam, nobiliores tamen ftirpes regina Arabiae adferret, ejusque rei memoria fervaretur. Prior mihi ex his refponfionibus videtur praeferenda. Multae de balfamo fabulae, ut chriftianorum in Aegypto, tradita etiam in Arabico infantiae evangelio, Chriftum puerum Ainfchemes, in cujus vicinia hortus Cahirenfis, balfami frutice ditaffe. Non certius Jofephi, λέγεται.

2) Bochartus, P. I. hieroz. p. 628. 629. opponit: *conftare ex hiftoricis, balfamum cis Jordanem creviffe, prope Engadi et Hierichuntem,*

(*) Tale, a Burcana, nobili Arabe, emtum, ipfe non folum vidi, fed et eo, fvadente medico, ut medicamine interno per aliquor tempus ufus fum, efficaci, fed nimis calefaciente.

tem, non trans Jordanem in terra Gilead. — — Haec quidem nulla objectio: circa Hierichuntem in horto, seu, ut dicunt, paradiso, balsami arbor colitur; alibi eam sponte nasci necesse est, atque inde Hierichuntem transferri, plane ut hortus Cahirae suas balsami arbores ex Arabia Meccana habebat. De Engedi ne vocem quidem miserunt historiae, nomen ejus posuit Bochartus, quod Engedi prope Hierichuntem sita putaretur, vide num. 1885. disputata. Solum quidem Gileaditidis egregie arbori convenit; sed parum, fateor, nisi in hortis coleretur, balsami daturae. In Libani Orientalis adeo aliqua parte crescere tradit Prosper Alpinus, p. 88.

3) *Genes. 37. et 43. ut eximium donum in Aegyptum mitti, huic autem propriam esse balsami arborem.* — — Hic vero distinguenda tempora. Sponte in Aegypto non crescit, sed Arabum demum tempore ex Meccana regione in hortum Cahirensem transplantata. Copiose haec docet Prosper Alpinus. Ergo Jacobi tempore Aegyptus balsamum non habebat, nec habet nostro.

III) *Lentiscum* arborem, ejusque resinam *mastichen*, sunt qui intellexerunt viri ex eruditis primarii, *Castellus* et *Celsius*, sicque jam ante illos Lutherus. Veri dissimillima sententia.

In dotibus laudibusque Palaestinae mastichen memorari, sive a veteribus sive a recentioribus, haud memini, nec illi nos docuerunt. Nasci in Palaestina lentiscum Celsius adserit, testem citans Bellonium: hoc quid ad rem? pleraeque enim terrae, calidiori coelo subjectae, lentiscum habent vulgarem, Italia, Gallia, Hispania, Lusitania, sed parum masticheś aut raro dantem. Quinque lentisci genera sunt, ex quibus nobilissimum, egregie cultum, mastiches dives, Chios insula habet, longe a Palaestina: hujus mastiche jam Plinii tempore laudatissima, (Hist. nat. l. XII. §. 36.) estque nostro tempore una omnium nobilissima et notissima, ipsaque insula inde Arabibus, nomine proprio, بلد مصطكى regio mastiches dicitur. (Castelli lex. p. 2118.) Vide, si plura cupis, *Neumanni chemiam medicam* T. III. cap. 1. Ergo, donec testibus docear, mastichen in dotibus Palaestinae esse aut fuisse, haec sola mihi resina abdicanda videtur.

Quod dicunt, ضرو et lentiscum esse, et ejus resinam, ut jam supra p. 2143. monui, gratis sumtum. Arabes Graeco plerumque nomine arborem vocant, مصطكى, sicque et Chaldaei, מסטכא: habent tamen

tamen et aliud Arabicum, et arboris et resinae, علكي ipsum quoque, in Graeci nominis morem a masticando ductum (علك *masticavit*) de quo vide Golium p. 1638. et Niebuhrii itinerarium T. II. p. 330. In historia quidem Danielis et Susannae v. 54. pro Graeco, σχῖνος, nec Arabs ضرو habet, nec Syrus ܙܘܐ, sed Syrus prior ܐܝܠܢܐ ܕܒܛܡܐ *arborem* TEREBINTHI, posterior ܦܣܬܩܐ *arborem pistacii*, Hexapla Syriaca graeco nomine, ܣܟܝܢܘܣ, addita nota, *Schinos est arbor, quam producit insula Chios*, ܟܝܘܣ, manifesto indicio, mastichen in Syria non domi, nec satis notam fuisse praeter Chiam: Arabs Polygl. شناق, Romanae editionis, graecum nomen imitans, سقين. Vel has versiones legens, improprio aut extero nomine uti coactas, quis sibi persvadebit, mastychen laudatissimam Palaestinae, sive adeo omnino Syriae dotem esse? Ergo, abdicanda.

2208. צרח Jes. XLII, 13. Sophon. I, 14.

Pro verbo, non nisi bis in Hebraico codice obvio, tria, sono et significatu distincta habent Arabes.

I) صرح *purus, et sincerus fuit.* Ob nomen צריח notandum, ex aliquorum interpretatione ad hoc stemma pertinens. Spectavitne ejusmodi notionem Chaldaeus, qui Jes. 42. מתגלי *revelabitur*, vertisse videtur? ponunt enim et de *claro*, *manifesto*, Arabes.

II) صرخ cum derivatis suis, *valde exclamavit.* Habent et hac notione Aethiopes; ut Matth. XXVII, 46. pro ἀνεβόησε, Chaldaei de urso, Syri, ܙܘܪܚܐ de *crocitatione*, *voce pavonis* (*), *vulturis*, ponentes. Haec *clamandi*, seu, ut illorum verbo utar, *vociferandi* notio, recte in lexica recepta, estque Sophoniae loco una omnium aptissima, Jesaiae non inepta, licet in eo aliquid adhuc desideres. Praeiverunt in Jesaia LXX βοήσεται ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς, Arabes ex illis ipsissimum reddentes verbum Hebraicum, يصرخ, et Vulgata, *clamabit.* Mirum alios diffidere. In eo solo errarunt lexicographorum aliqui, quod Kimchii conjecturam

(*) Arabibus hinc صرّاخ *pavo.*

ram etymologicam sequuti, primam vim verbi esse volunt in *altitudine* et *elevatione*, inde dici הגבהת הקול בצעקה *elevationem vocis in clamore*. Filius, David Kimchi, Arabicae linguae imperitus, ipse fatetur, aliter sensisse patrem, Josephum, ejus a pueris peritum.

His Jesaiae יריע אף יצריח solam *clamandi* notionem non sufficere, dixi, plus enim ibi est, quam clamare: *clamabit atque etiam clamabit*, quis dixerit? Sciendum ergo a clamando Arabibus صرخ etiam esse in quarta, *opem tulit*. Habent lexica, enoto tamen exempli caussa ex Corano Sur. XIV, 27. ما انا بمصرخكم وما انتم بمصرخيّ *non vos juvabo, nec vos juvabitis me* XXXVI, 43. لا صريخ لهم *non erit opem ferens illis*. Insignis locus poetae Homami, (in chrestomathia nostra Arabica p. 105.) cui *opem praesentissimam ferens* est, صارخ غير أعجم, *clamator neutiquam mutus*. Sic et Graecis βοηθεῖν est, *opem ferre*, a βοάω, *clamo:* nempe quod clamanti succurrimus, vel etiam, opem laturi, adclamamus, cumque clamore adcurrimus. Ex hac jam significatione lucent verba Jesaiae, *clamabo atque etiam opem feram*. Graece optime imitari possis.

III) ضرح *fodit*, quod et ad equum *calcitrantem* motuque pedum fossulas in terra fodientem, transfertur, hinc ضَرُوح *sepulchrum, fissura et fossa in medio sepulturae*, ضَرْح *fovea*. *Repellendi* notionem, quae nihil ad verba Hebraica, non enoto.

Caeterum miremur, in verbo tam manifestae facilisque interpretationis, aberrari a veterum pluribus potuisse. In Sophonia ut nomen interpretantur, LXX σκληρὰ, et Syrus ܩܫܝܐ *durum*, ex conjectura? an צָרָה legentes? forte et Syro ad Graecos correcto. Ibidem Vulgata, *turbabitur fortis*. Est et, ubi occidendi verbum (קטל) ab interpretibus Orientalibus ponitur, ut in Jesaia a Syro, ܢܬܥܫܢ ܘܢܩܛܘܠ *praevalebit, et occidet hostes suos*, in Sophonia a Chaldaeo מתקטלין. Hinc צרח cum רצח confuderunt? aut ita legendum conjecerunt? in codicibus enim Hebraicis nulla lectionis varietas.

2209. צריח Jud. IX, 46. 49. 1 Sam. XIII, 6. *turris*, *palatium*, *templum*, *fanum*, *fovea*, *ſepulchrum*.

Turrim fere interpretari ſolent lexicographi, Rabbinos maximeque Kimchium ſequuti. Hic quidem, non ſatis Coccejo adcurate citatus, vult, turrim dici ab *altitudine*, (בנין גבוה) quam primam eſſe conjicit verbi צרח ſignificationem: ſed addit, patrem ſuum retuliſſe ad צרח *clamare*, *quod ex turri clamet ſpeculator*. Mihi quidem, ſi צריח turris ſit, referendum videretur ad n. 1. صرح *purus fuit*, unde et *clarum* ac *manifeſtum* dicunt, a manifeſto *altum*, ut صَرْح *excelſior ſtructura*. Sic proxime abſuerim a Kimchio filio. *Turrim* quidem صَرْح Arabibus ſignificat, ut Sur. XXVIII, 38. XL, 38. turrim Babylonicum, item 2 Reg. XVIII, 8. Ergo hanc ſignificationem nomini neutiquam abjudicaverim, ſed eam potius linguarum Orientalium conſenſu confirmo.

Nec tamen putem, in libro Judicum turrim intelligendam eſſe, a qua, eodem in capite מגדל dicta (v. 46. 51.) צריח diſtinguitur. Malim *ſacrarium*, ſive ſit nuda area, in medio templi, impluvium ſacrum, ſive ipſum templi palatium: a *puritate* ducto nomine? an ab altitudine conſpicua? صَرْح Arabibus *palatium*, ut Sur. XXVII, 44. palatium Salomonis: صَرْحَة jam, *terra elatior*, jam *intermedia domus area*. Aethiopibus quoque צרח, jam idem quod Arabibus, قَصْر *palatium*, *templum*, jam, *locus anguſtior et ſacratior domus*, *penetrale templi*. Fanum ſubdiale in medio templi mihi veriſimilius: tale habebat templum Dagonis in quo Simſon mortuus. In fanum templi confugerant, religione loci tuti futuri, ſed hanc religionem non curat victor. Talis ſcena, ut 1 Macc. V, 43. 44. — — De veteribus ut referam, LXX. συνέλευσιν verterunt, i. e. *locum ubi populus in templo convenit*, quae area erit ſubdialis, Vulgata v. 46. *fanum*, quae proprie eſt area templi, at v. 49. *praeſidium*, Chaldaeus צריח retinuit, Graecus alius ὀχύρωμα vertit, alius, minus filo orationis apte, ἄντρον: Syrus, non ſibi conſtans v. 46. צריח בריח conſtruens, vertit, *ad percutiendum foedus*, v. 49. ܩܪܝܬܐ *pagum*. Vides jam eos in vocabulo ſudaſſe, aliquos eorum mihi praeiviſſe ſententiam.

1 Sam. XIII, 6. turris aut palatii ſignificatio vix apta, de latibulis enim ſermo, in quibus *ſe abſcondunt* (ויתחבאו), qui militiam fugiunt. Hic

Hic ergo meliores veteres, LXX, Vulg. Syrus, Chaldaeus, *foveas*, *speluncas*, intelligentes, quae a ضرح *fodit* ita dici potuerint. Mihi quidem, cum a מערות distinguantur, ipsa potius esse videntur *sepulcra* (Arabibus ضريح) in petras incisa, in quae confugere potest qui latere cupit. Sic jam fugiunt, 1) in מערות speluncas subterraneas 2) צריחים *sepulcra* 3) ברות *cisternas*.

Ad hanc sepulcri notionem et

2210. צְרִיחָה.

refert Sebaldus Ravius, in *diss. de aedibus Hebr.* p. 4. suspicatus, qui Ps. LXVIII, 7. צחיחה *sepulcra* verterunt, LXX, Syr. Vulg. Arabes, צריחה legisse. Jam supra sub צחיחה dictum, elegantem esse conjecturam, sed codicem nullum suffragari.

2211. צָרַעַת *lepra*.

צָרַעַת, - - נֶגַע צָרַעַת, et antonomastice, הַנֶּגַע, plaga, quin vera sit lepra, sed cujus species diversae, dubium esse vix potest, descriptionem Mosaicam Levit. XIII. Hebraice legenti, et intelligenti: si qui dubitarunt, et vero medici etiam primarii, id inde, quod eam in versionibus legerent parum adcuratis, deque ipso morbo ex Rabbinorum placitis, et Philippi Ouseelii dissertatione de lepra judicarent, de qua vide, quae in bibliotheca Orientali priore T. XVII. n. 259. diximus. Unum quod opponi possit est silentium Mosis de *insensibilitate partium lepra adfectarum*: sed et hujus silentii rationem ibidem reddidi p. 19. 20. Legislatoris non est, publice prodere, qua ratione morbus agnoscendus sit, quem dissimulare solent eo infecti, sed id sacerdotum medicorumque, leprae suspectos explorantium, peritiae, ac disciplinae relinquendum.

Mirum, Judaeis Levitic. XIII interpretantibus, ex meris quidem conjecturis, rem tam cessisse infeliciter, cum morbus fuerit medio aevo in Europa notissimus, ut seculo XIII vel sola christiana Europa novendecim millia nosocomiorum leprosorum *(Lazarets)* habuerit: verum et praecipui Judaeorum scriptores quibus uti solemus, hoc seculo priores, et turpis labes, inter christianos potius, qui eam ex bello sacro reportaverant, grassata videtur, minus inter Judaeos, quos et sejunctio a christianis, et carnis suillae abstinentia, paulo praestabat tutiores.

Nos quae de morbo, ex medicis cum veteribus tum recentioribus, scripsimus, si quis legere cupiat, inveniet, *in notis germanicis ad Levit.*

XIII et reliqua codicis Hebraica loci de lepra agentia, *quaestionibus iter in Arabiam facturis propositis*, quaest. 11–28. *bibliotheca Orientali priore* T. XVII. n. 259. (plura loca dabit index ejusdem bibliothecae) atque in parte prima *introductionis ad vetus Testamentum (Einleitung in die göttlichen Schriften des alten Bundes)* §. 10. Medicinae imperitus sicubi errare medicis visus fuerit, faciles spero in ignoscendo, maxime, ubi medici errorem praeiverunt. De ipso morbo copiosius, distinctius, doctius nemo egit, *Philippo Gabriele Henslero*, illustri medico ac primario, in libro, cui titulus, *vom abendländischen Aussatz im Mittel-Alter, nebst einem Beitrage zur Kenntniss und Geschichte des Aussatzes.* Hamburgi 1790.

Nomen צרעת, ejusque derivata, צרוע, מצורע, sola cum Hebraica commune habet Samaritana, (צרעה et צריעה) in Castelli lexico heptaglotto omissum, atque, sed modo in sequioris aetatis Thargumim, Chaldaica. Vide Buxtorfii lex. Chald. p. 1943. Ignorant Syri, Arabes, Aethiopes. Ergo interpretes Orientales Pentateuchi reddere solent, Chaldaeus, סגיר *clausus* (nempe quod includi leprosi solerent,) et סְגִירוּתָא, *conclusio*, Syrus ܓܰܪܒܳܐ et ܓܰܪܒܽܘܬܳܐ (quod Hebraeis est alius morbi cutanei, a lepra distincti, nomen) Arabes بَرَصٌ, أَبْرَصُ et مبرص, Aethiops למץ, num ex Graeco *λοιμός*?

Suspicatus hinc est *Schillingius in commentationibus de lepra*, p. 127. audiens, de etymologia nominis Hebraica prope desperari, nomen esse Aegyptium, atque ex origine maculam notare *sensu carentem*, quod emortuus loci adfecti sensus certissimum sit morbi indicium. Verissime ille, ut medicus, verisimiliter, ut conjecturam tentans etymologicam, ipsum enim morbum ex Aegypto in Palaestinam reportarunt Israelitae: nec tamen, ut linguae Aegyptiae perito videri possit, vere. Nullum certe in la Crozii lexico nomen leprae legitur, Hebraico צרעת consonum, sed p. 30. (literis latinis utcunque scribo, cum Copticas non habeamus,) *kakseth*, leprosus, et p. 32. *kik nseht*, lepra.

Fuerunt, qui etymologiam domesticam tentarent, ex Arabico صرع *prostravit*, a quo et alius morbus, sed vere humi prosternens, epilepsia, nomen صَرْعٌ accepit, atque epilepticus مَصْرُوعٌ, *prostratus.* Hinc Stockius צרעת generatim esse vult, *quidquid corporis vires dejicit, et hominem a labore cessare facit, speciatim lepram.* Non ille historiae morbi

peri-

perite, qui minus quam alius corpus a labore cessare facit: omnes actiones naturales hoc in morbo rite procedunt, labores suscipere leprosi usque ad mortem possunt, exercitibus leprosi praefuerunt, ipse in sacris literis Naeman, dux victoriosus, novimus ex *medicis* observationibus (*medical observations by a Society of Physicians at London*) leprosum, qui brevi ante mortem cum uxore concubuit, salaces enim esse solent. *A depressione carnis sub cute*, quae leprae indicium sit Levit. XIII, 3. dictam vult Simonis: sed et hic contra historiam morbi, cujus tumores potius sunt, quam depressiones carnis. De Levit. XIII, 3. vide notas germanicas: מַרְאֵה עָמֹק מֵעוֹר בְּשָׂרוֹ est, *cum macula non in sola esse videtur superficie cutis sed altius descendere*. Etymologias hi tentarunt, nunquam viso leproso, (equidem semel vidi) nec consultis medicis qui viderant.

Mihi quidem aliud etymon eadem offerre radix صرع videtur. Nempe *prosternere* est et, *plagis excipiendis prosternere*, hinc صريع *scutica*: lepra *scutica dei* dicitur, נגע צרעת proprie, *plaga scuticae*. Non insolitum et alios morbos scuticis comparare: apud Homerum *scutica Jovis mala* percutiuntur Graeci. Vide et Marc. III, 10. V, 29. 34. ubi morbi *μάστιγες* dicuntur. Sed in lepra peculiare, quod *violaceae maculae* perfecte plagas scuticae colore referunt: ipse tales vidi, a medico, Vogelio, ad leprosi lectum adductus.

De lepra aedium Levitic. XIV, 33–57. in jure Mosaico §. 211. p. 269–281. copiosius dictum. Est *erosio murorum parietumque nitrosa*, non quidem cum lepra humani corporis cognata, sed ob similitudinem quorundam phaenomenorum lepra dicta, plane ut aliquem murorum morbum, (forte hunc ipsum) nonnullis in regionibus, Helvetia maxime, Germani *den Krebs*, *cancrum murorum*, vocant. Est haec exesio nitrosa valetudini et vitae in adfectis ea cameris habitantium, maxime vero, dormientium, perquam noxia, illis in regionibus, in quibus Moses leges tulit, multo etiam quam in nostris frequentior, et vero ejus tempore immensum nocentior, quod aedes non altae, plerumque unius contignationis erant. Nostrae aedes plerumque elevatae, atque aliquot gradibus humo altiores, nec necesse est in ima contignatione habitare aut dormire, sed possumus in secunda, vel infectarum hoc muro aedium, securi dormire.

Lepra *vestium* Levit. XIII, 47–59. est, ubi ex lana confectae, *defluvium pilorum panni cum exesione leprae simillima*, cujus caussa lana mortua-

tuarum ovium admixta bonae, qua fraude leges noſtrae ſevere interdicunt. Similis morbus et pelles morticinorum invadit. Vide et haec copioſius tractata in jure Moſaico §. 211. p. 263–268. Lintearum veſtium quae lepra ſit, ignorare me faſſus ſum. Reliqua ibi ſcripta literis ad me datis confirmans ICtus Dresdenſis peritiſſimus Clauerus, aliqua et de lini morbis docuit, ſed Moſaicae deſcriptioni morbi non ſatisfacientia, atque ipſe de lini lepra dubitavit. Jam ergo video פשתים Levit. XIII, 47. non eſſe linum noſtrum ex herba lino *(Leinewand)*, ſed *xylinum*, Palaeſtinae et Aegypto frequens ac domeſticum, de cujus morbis ſi quis me docere velit gratus audiam, grati et poſt me accipient lectores, de lepra veſtium curioſius anquirentes.

2212. צִרְעָה Exod. XXIII, 28. Deut. VII, 20. Joſ. XXIV, 1.

Nomen ſola cum Hebraica lingua commune habet, Samaritana, צרעה vel et צרעיתה, quae nomina in lexico omiſit Caſtellus: Chaldaei permutatione ע et צ habent ארעיתא, de quo deinceps. Crabrones fere intelligunt, cujus explicationis rationem copioſe reddidit, cauſſamque ut ita dicam peroravit, Bochartus in Hierozoici P. II. libr. IV. c. 13. Praeiverunt ex veteribus LXX σφηκίας, Vulgata *crabrones*, Syrus ܕܒܘܪ̈ܐ, Arabs Erpenii نحلة. Referunt huc et Chaldaeum, ubique ערעיתא vertentem, ſed ex reliquo linguae Chaldaicae uſu forte eſt, *caſus inopinatus adverſae fortunae.*

Mihi tres ob cauſſas crabrones valde ſuſpecti: 1) quod nulla lingua Orientalis ſub צרע nomen crabronum aut veſparum habet. 2) quod ne quidem derivatio nominis crabronum ſub his literis ſe offert. Transponere ergo literas neceſſe habuerunt qui crabrones intelligunt, Bochartus ab עצר, Simonis a רצע *perforare* dictos cenſentes. 3) quod crabronum vix eſt, populos magnos patriis ſedibus pellere, (Exod. 23. Joſ. 24.) aut magnas clades inferre. Mirere ſane Israelitas crabronibus victorias debere, et ſub Moſe a duobus Amoraeorum regibus trans Jordanem, et ſub Joſua a Chananaeis cis Jordanem reportatas.

Lingua Arabica triplicem explicationem offert,

1) ut idem ſit quod صريع *ſcutica*, deſignetque plagas divinas terris populisque hoſtilibus immiſſas. Sic forte intellexit Arabs Pol. عاهة, *perniciem*, *calamitatem* vertens. Hoc in verſione Germanica ſequutus ſum: (Landplagen.)

2) a

2) a صرع *proſtravit*, ut ſit, *proſtratio*, *clades*. Sed diſplicet, quia צרעה *ante* Israelitas mitti dicitur.

3) a ضرع *humilis fuit*, ut ſit, *humilitas*, *puſillanimitas*, *timor*. Sic Arabs Joſ. XXIV, 12. التخوف *timorem*: praeplacere incipiebat, ſed obſtare video Deuteron. VII, 20.

2213. צָרְפַת 1 Reg. XVII, 9. 10. Obad. I, 20. *Sarepta Sidoniorum.*

Urbis nomen accedente He paragogico cum Dages in ת ſcribitur 1 Reg. XVII, 9. 10. צָרְפַתָה: hoc inde, quod contractum eſt ex צָרְפַּת. Itineratores nomen urbis, nunc pagi, ab indigenis *Sarphan* et *Serphant* vocari audiverunt, Arabice, niſi memoria me fallit, loci enim non recordor, صَرْفَنْد ſcriptum legi. Non erat ergo, cur Simonis p. 606. onomaſtici ob terminationem ת_ nomen putaret Aegyptium, urbemque ab Aegyptiis, vel Philiſtaeis Aegypto oriundis conditam. Longe illa a finibus Philiſtaeorum, nec Philiſtaeorum vocatur, ſed Sidoniorum.

Eandem Sidoniorum Sareptam et Obad. 20. intelligo: ſed in hoc loco mira luſerunt et incredibilia Judaei, Galliam interpretati. Raſchi: *dicunt interpretes* צרפת *eſſe regnum, quod vocant, Francia,* פרנציא. Similia ad Obadiam habet Kimchius, addens, ex traditione כנענים qui Franciae a propheta jungantur, eſſe *Alemanniam* (Germanos): in lexico tamen referens dubitare videtur. Aliqui adeo transpoſitione literarum צרפת et פרנציא idem eſſe nomen volunt. Hoc Judaeorum commentum in radicum librum recepit Reuchlinus, צרפת, *Galliam*, a צרפתה Sidoniorum diſtinguens.

2214. צרר *conſtrinxit*, *noxa adfecit*, *invidit*. Jeſ. XI, 13. *micuit fulmen* Jeſ. V, 30.

Pro צרר, cui duas recte lexica Hebraica dant ſignificationes, *conſtringendi*, ac *laedendi*, *hoſtilis impetus*, Arabes duo verba habent, ſono ac puncto literae diacritico diſtincta:

1) صرّ *ligavit conſtrinxit*. Huc et LXX referunt Prov. XXVI, 8. כצרר אבן במרגמה vertentes, ὃς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, *qui lapidem funda conſtringit*, nempe eum ejaculaturus. Meliores viſos ſequutus ſum

sum in versione germanica. Idem verbum et naturalem sonum exprimens est *striduit, frenduit.* Utraque significatione et ܨܪ Syri ponunt. *Stridendi* significatio in lexicis Hebraicis omissa, nec unquam verbum ea in codice Hebraico occurrit, est tamen scitu necessaria ob nomina a צרר derivata.

II) ضرّ *noxa adfecit, laesit.* Huc referendum, quod lexica Hebraica habent, *hostis fuit, oppugnavit,* et צַר hostis. Aethiopibus quoque צרר, *hostis fuit, vel, factus est, bellum intulit.* De hoc posteriore verbo ضرّ sciendum, peculiariter illud de *zelotypia* et *aegro aemulatione animo* poni. In tertia ضارّ *zelotypus fuit,* أضرّ in 4ta, *uxorem uxori addidit, polygamus fuit,* proprie, zelotypam fecit uxorem aemula addita, ضِرّ *polygamia,* ضريّ *zelotypia,* ضرّة *uxor uxori addita,* proprie, *aemula.* Habent Syri permutatione literarum צ et ע sub ܥܪܬܐ *uxor uxori addita* p. 643. et ܥܪ̈ܬܐ *duae uxores uni marito junctae,* p. 671. lexici Syriaci. Hac significatione accipiendum et Hebraicum צרר reor Jes. XI, 13. ubi bis, quod in priore membro erat קנא *aemulari,* in altero est, צרר: *recedet* קנאת אפרים *zelotypia Ephraemi,* וצררי יהודה *et invidentes Judae exscindentur,* אפרים לא יקנא את יהודה ויהודה לא יצר את אפרים *Juda non aemulus erit Ephraimi, nec Ephraemus aemulus Judae.* Huc et referendum Levit. XVIII, 18. *sororem sorori non addes uxorem, illa adhuc vivente:* לִצְרֹר אותה *ut ejus sit aemula,* thori socia.

III) Possit forte et tertia radix Arabum conferri, ظرّ, quam ut verbum non habemus, sed cum ab ea silices dicantur ignem reddentes (vide sub צר dicenda) videtur significasse, *emicuit ignis.* Hinc explico Jes. V, 30. צַר וָאוֹר *emicat ignis* (i. e. *fulminat*) *et lux fit.*

2215. צַר *silex* Jes. V, 28.

Silicem recte interpretantur, cui dura equorum ungula comparetur, praeiveruntque in rei summa veteres LXX ὡς στερεὰ πέτρα, Vulg. *ut silex,* Syr. ܛܢܪܐ Chald. טִנְרָא. Idem volunt esse, quod צור, *petra,* quod acciperem, una cum radicum permutatione, nisi aliud suppeteret: sed melius ad marginem bibliorum suorum contulisse mihi videtur pater meus,

ظرّ

ظُرّ *lapis*, in ſpecie, acutus cultri inſtar, et مِظَرَّة *ſilex attritu ignem edens.* Forte et eodem referendum, quod hoc ipſo loco Syrum poſuiſſe dixi, ܙܢܝܢܐ.

2216. צָרָה 1 Sam. I, 6. *aemula, ſocia thori, conxor.*

Sic explicandum hoc loco צָרָתָהּ ex ſecunda verbi ſignificatione. Honeſtiſſime vocabulum a Syris de thori ſocia poni monitum in lexico Syr. p. 643. Praeivit hic, *aemulam* reddens, Vulgata, et verſionum graecarum aliqua, ἀντίζηλον αὐτῆς: eodemque adeo nomine Syr. ܥܪܬܗ, Arabs ضَرَّتُهَا.

2217. צַר et צָרָה Jeſ. LXIII, 9. *anguſtia, noxia.*

Ex lectione Chethib בכל־צרתם לא צר, oppoſita ſunt צר et צרה, ita quidem ut hoc, femininum, ſit quaevis anguſtia, θλῖψις, maſculinum ſumma *anguſtia, deſperatio,* στενοχωρία: tale dictum ut illud 2 Cor. IV, 8. θλιβόμενοι ἀλλ᾽ οὐ στενοχωρούμενοι.

2218. צְרֹר 2 Sam. XVII, 13. Proverb. XXVI, 8.

Sunt, qui lapidem interpretantur, ut idem ſit cum צֹר num. 2215. veri non diſſimiliter, modo faveat filum orationis et grammatica. Satis bene hoc aptum videtur 2 Sam. XVII, 13. *in urbem ſi ſe conjecerit,* funibus manibusque ferreis injectis *trahemus illam in torrentem, vel, vallem, donec non reperiatur ibi vel lapillus.* Sic LXX. Vulg. Syr. Arabs, hic quidem harmonice ظُرّ, et Chaldaeus. Sed intercedit grammatica, de urbe enim ſi ſermo, non maſculine ſcribendum fuiſſet, *trahemus* אתו *illum*, ſed אֹתָהּ illam. Hanc ſi audiamus וסחבנו אתו ad Davidem referendum videbitur, *trahemus illum* ex munita urbe *in vallem:* jam ergo quid his faciemus, *nec relinquetur ibi* גם צרור? Syrus aliquid offert, non ſane adſpernandum, ܨܨܐ *gryllum* vertens, ſicque et ex eo Arabs صُرْصُور, potueritque optime, ut Syris Arabibusque, ita et Hebraeis a ſtridulo quem edit ſono, ex altera verbi صَرّ ſignificatione צְרֹר dici. Totius commatis verſio ſic erit: *in urbem ſi conjecerit ſe, laqueos admovebimus urbi, eamque* אתו *cum ipſo detrahemus in vallem, ut ne gryllus quidem ſuperſit.* Se-

quutus tamen in versione germanica consvetam sum interpretationem; quod possit, sive עיר ob terminationem masculine construi, (qua in nominibus urbium licentia frequenter utuntur Arabes) sive אתר ad murum urbis subintellectum pertinere.

Prov. XXVI, 8. כצרור אבן במרגמה sunt qui *lapidem* intelligunt, sed varie. Vulgata, *sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem.* Nempe indices viarum in desertis congestu lapidum fiunt: his lapidem adjicere idololatria visa est Rabbinis, factumque turpe. Vide Buxtorfii lex. p. 1263. Superstitiosa est et Rabbinica interpretatio, quam a magistro aliquo Judaico audierat Hieronymus, Salomonis tempori non apta: bonum potius opus, acervo Mercurii lapides adjicere. — Alios taceo. Mihi hic צְרוֹר est verbum.

2219. קָאַת Levit. XI, 18. Deut. XIV, 17. Jes. XXXIV, 11. Sophon. II, 14. Ps. CII, 7. *pelecanus veterum, onocratalus noster.*

Etymologiae cupidi recentiores fere ad radicem קוא *vomere* referunt, exque ea de significatione nominis statuunt: veterum plerique ad קאת, tertiae radicalis ת, ut nomen sit formae דָּבָר. His quidem accedo, atque adeo certum habeo, ת non terminationem femininam esse, sed radicis; licet sic nihil de etymo dicere possim, verbum enim קאת Orienti periit. Rationes ita sentiendi sunt, 1) quod, puncta masorethica si sequaris, Kamets in statu constructo abjicitur Ps. 102; קְאַת מִדְבָּר. Haec si repudies accedit 2) quod terminatio feminine ת non nisi in nominibus locum habet, a verbis tertiae radicalis He ortis, qua de re plura in grammatica. Ergo a קוא fieri quidem קָאָה potuisset, non קָאַת. 3) Sed gravissimum, quod et linguae Aramaeae dialecti, his enim solis nomen cum Hebraica commune, ut tert. rad. ת habent flectuntque, Onkelos, קָתָא, prophetarum interpres Chaldaicus, pluraliter קָתִין, Samaritanus Pentateuchi קאתין.

De significatione copiose egit et docte Bochartus P. II. hieroz. l. II. c. 24. quem plerique deinde sequuti, *pelecanum* intelligens, sed recentiorum. Equidem ab illo dissentio, hisque accedo, qui *onocratalum* nostrum interpretantur, is vero est veterum pelecanus. Ergo et pro me cito, qui πελεκάνα verterunt, LXX in Pentateucho et psalmo 102, Aquilam in Sophonia, ipsum Ps. 102 Hieronymum, qui, si hic *pellicanum* alibi *onocrota-*

crotalum vertit, non sibi contradicere existimandus, est enim eadem avis. De pelecano veterum vide *Aldrovandum* p. 15. ornithologiae, seu l. XIX. P. III. c. 2. Solum addo nominis graeci etymon ex etymologico magno, a πελικα, *specie poculi lignei*, (de qua vide Julium Pollucem l. X. §. 78.): ejusmodi poculum sub rostro gestare videtur onocrotalus, in quo pisces, aliosque cibos, colligit. Aliis de versionibus, قبيق: قوق, ܩܩܐ, קָקָא quae nomina avem aliquam aquaticam denotant, et breviter dixi in *quaestione Arabiam adituris proposita* 100. copiosius Bochartus p. 292. In interpretatione Syriaci ܩܩܐ Ephraemus errasse videtur et *cornicem* intellexisse, quae et Arabibus قبيق vocatur, ad Levit. XI. scribens, *haec volucris devolat super reptilia in coeno viventia, illisque vescitur: estque deserti amans et sine intermissione vocem edens.*

Egregie apti onocrotali ad Sophon. II. 14. ubi de Nini vastitate sermo, urbis ad Tigrim exundantem ac restagnantem: at obstare avi aquaticae videtur Ps. CII, 6. ubi קאת deserti (מדבר) memoratur. Verum et in desertis Arabiae interioribus stagna, ut illud ipsum, in quo Damasci duo fluvii Chrysorrhoas et Bardines emoriuntur, atque alia plura.

2220. קֻבָּה Num. XXV, 8. *alcova.*

Mihi verisimillimum, cameram esse editiorem et intimam, in qua lectus: nos quoque Arabico vocabulo, ab Hispanis accepto, Alcovam (القبة) dicimus. Qualis in aedibus sit, descripsit Shawius p. 209. itinerarii, versionis germanicae p. 184. Act. XII, 20. κοιτὼν τοῦ βασιλέως vertitur, قبة الملك. — — Nec nego ipsum etiam tentorium intelligi posse, namque et hoc قبة Arabes dicunt: vide Castellum in lexico Arabico plura daturum, atque adde 1 Reg. VIII, 4. Jes. LIV, 2. Mihi tamen vel hanc ob caussam alcova praeplacet, quod, si de tentorio sermo, usitato vocabulo אהל illud dicturus fuisse Moses videtur. Coccejus quae dedit, ex ipso discenda, non compilo.

2221. קָבַע.

Ut saepe in verbis accidit ע habentibus, ita et hoc duplici plane diversa significatione linguis Orientalibus usitatum. Aramaeis universim, Syris, Chaldaeis, Samaritanis, קבע est, *fixit*, *infixit*, ut, clavos, tentorium, quod nihil ad Hebraismum biblicum. In versionem tamen vulga-

gatam recepit Hieronymus Mal. III, 8. 9. *si adfiget homo deum quia configitis me:* studio quidem aliquo partium, cupiens locum de Christo in crucem acto interpretari. Vide ejus commentarium, cujus haec sola excerpo: *HAIECBA lingua Syrorum et Chaldaeorum interpretatur, si affiget.* Arabibus قبع *texit*, peculiariter, *caput*, *abdidit caput*, *sub calyce tectos habuit flores:* quo et Hebraicum קוֹבַע *galea* referendum, Syriacum ܩܘܒܥܐ *pileus*, *cristata galea*, Aethiopicumque ቆብዕ *tiara*. Verbum Hebraicum hac significatione in Hebraicis non occurrit, fluxisse tamen inde videtur altera notior, *defraudandi*, *decipiendi*, fraude, ut jam monuerunt alii, ab occultando dicta.

Habent et lexica aliqua, ex Kimchiano et Reuchliniano acceptum, *rapuit*, *diripuit*, sed hujus significationis certum argumentum non reperi, Thalmudicum enim, quod adfertur, קבען *praedo*, cum Hebraismi sit recentioris ac Rabbinici, non sufficit. Spectasse tamen jam LXX hanc significationem videntur Prov. XXII, 23. וקבע את קבעיהם נפש antiphrastice accepto verbo vertentes, καὶ ῥύσει τὴν ἄσυλον ψυχήν.

LXX Malach. III, 8. 9. πτερνίζειν vertentes, in verbo rariore ipsisque ignoto transpositionem literarum tentarunt, conjeceruntque, idem significare, quod עקב, alibi ab ipsis πτερνίζειν redditum. Vide Trommii Concordant.

2222. קֻבַּעַת Jes. LI, 17. 22.

Tres sunt vocabuli rarioris interpretationes. I) Prima, ex Kimchii lexico tralatitia, *faeces*, nullo omnino linguarum orientalium usu, ex conjectura, et vero, parum felice, nec enim de amphora aut utre sermo est, faecem habere solitis, sed de poculo, in quo non nisi rarissime faeces. Etymologiam addunt, parum probabilem: Simonis a tegendo, quod faeces sint tectio fundi vasis, Raschi ad Jesaiam, ex Chaldaico verbi usu, *quod infixae sint imo vasis.* Infixae? clavisne? aut quomodo? Haec Judaica et conjecturalia, quae nemo praeivit antiquorum, ne Chaldaeus quidem, plane repudianda.

II) *Fundum* calicis habet Vulgata, inque lexicon recepit Reuchlinus. Non literalis quidem versio, sed tamen sententiae summa, linguae, illis ignotae, Arabicae, ope defendi possit, est enim قبع inter alia, *replicato intus orificio utrem admovit ori atque ita bibit*, forte, *a capite utri inserto.* Est tamen loco Jesaiae haud satis apta, non de utre agentis, sed de poculo, cui ita inserere caput, ut fundum bibamus, non possumus.

III) Er-

III) Ergo praeferendi, qui poculi aliquod genus intelligunt. Praeiverunt ex veteribus, Chald. פיילי, Syr. ܦܝܠܐ, Symmachus κρατῆρα, LXX, Perſico vocabulo uſi, κόνδυ, quo de vocabulo vide ex d' Anquetili itinerario enotata in bibliotheca Or. priore T. XI. p. 37. 38. Nomen accepiſſe calyx ex quo bibitur a ſimilitudine calycis florum, Arabice قُبَعَةٌ videtur. A כוס diſtinguitur, ut ſpecies a genere, קבעת כוס *condy poculi*, majoris, ut videtur, poculi nomen. Eſt et قباع *menſura magna et capax*, ſed, quantum ex lexicis novimus, frumentaria: nec niſi in lexicis me legere memini.

2223. קבץ Jeſ. LIV, 7.

Hoc loco, ubi קבץ et עזב *(relinquere)* ſibi opponuntur, eſſe videtur, non, colligere, ſed, *manu porrecta prehendere.* Sic قبض *cepit, adprehendit manu, manu injecta comprehendit hominem.* Exempla ſignificationis reperies in Caſtelli lexico Arabico. At,

2224. קִבּוּצִים Jeſ. LVII, 13.

a *colligendo* ductum nomen, idem eſſe videtur, quod per ص ſcriptum Arabibus قِبْص *numeroſa hominum multitudo.* Sitne, *multitudo deorum,* quos colebant, an *numeroſi exercitus*, non lexicographi eſt inquirere, ſed commentatoris: prius placuit Raſchio. — — Male LXX vertunt, ἐν τῇ θλίψει σου, legentesne, aut literis expallidis (tali enim in Jeſaia uſi codice videntur) conjicientes, במצוקך?

2225. קְבָרִים Job. XXI, 32.

קברים de unius ſepulcro pluraliter poſitum, magnificum videtur et auguſtius ſepulcrum ſignificare, pluribus in petram oecis camerisque excavatis, qualia erant veterum. Tali mauſoleo conditur injuſtus, ad mortem usque felix. — — Hanc notionem alteri loco Job. XVII, 1. non aptam eſſe video, ſed ibi malim mutatis vocalibus legere, קְבָרִים.

2226. קדד Jerem. XIV, 2. ex var. lect.

De verbo קדד *ſecuit*, קדקד *discriminatio capillorum, vertex,* indeque קדד *inclinavit* verticem, quae dicenda videbantur occupavit Simonis, cui haec modo addo. קדד *inclinavit verticem* ſolent Hebraei cum השתחוה componere, nempe hoc eſt, totum ſe humi proſternere: duabus

bus partibus adoratio absolvitur Asiatica, primo caput inclinant, ut et nos facimus, deinde toto corpore humi procumbunt. Ex varia lectione, quam Syrus expressit, Jerem. XIV, 2. et de portis dicitur, *portae ejus lugent* קדרו לארץ *incurvant se ad terram*, quod ille vertit ܢܦܠܘ, *concidunt*. Etymologia nominis

2227. קדקד, *vertex*

hic aliquando lucro est, ne in קדקד שׂער Ps. LXVIII, 22. emphases aut adeo mysteria quaeramus, ut multi. Est simpliciter, *locus discriminationis pilorum in medio capite*. Hoc non videns Clericus de Arabibus cogitabat, in vertice solo prolixos crines alentibus. Alia artificiosiora, apud ipsos legenda, patres habent, Hieronymus et Theodoretus. Solum קדקד ubi legitur, non addito שׂער, possit et ipsius cranii, ex duabus partibus compositi, discriminatio esse, initio in recens natis quodammodo hians, deinde concrescens.

2228. קרח.

Est quidem universim, *ignem accendere*, vel et, pro vocalium ut credo diversa ratione (קָדַח) *accendi*, *exardescere*. Ob nomina tamen derivata sciendum, primam vim verbi esse in *terendo et perforando*, ac proprie قدح *attritu lignorum March et Aphar* (مرخ et عفار) *ignem elicere*, ut Arabes facere solebant: quo de modo ignem eliciendi (*), verboque, copiose egit Schultensius in libro I. Originum c. 2. Deinde tamen et ad omnem ignis accensionem transfertur, unde قدّاح *silex igniarius*, مقدحة *igniarium*, *quo extunditur ignis*. Primae significationis vestigia supersunt in, قدح et قادح *erosio dentis arborisve*, *fissura*, قدّاح *qui scyphos paterasque conficit*, a terendo, dolando, excavando, Chaldaico קדח *perforare*, *terebrare*, Thalmudico מקדח *dolabra et terebra*, Syriaco ܡܩܕܚܐ *perforatus*, *pertusus*, ܡܩܕܚܐ *incisio*: suspicor adeo, Arabum lexicographi ubi طعن vertunt, non voluisse, ut nostri eos intellexerunt, Golius Giggeusque, *maledixit*, sed, *confodit hasta*: ipsa tamen Arabum lexica non habens, timide hoc et dubitanter dico: viderint alii, qui ea possident.

(*) Vide et me de igne eliciendo in *vermischten Schriften* T. I. p. 83.

2229. אֶקְדָּח Jeſ. LIV, 12.

Carbunculum fere lexica interpretantur, auctoritatem, ut putant Chaldaei, ſequuta, qui אבני גמר vertit, quod cognatum cum גּוּמְרָא, *pruna*. Sic quidem a *ſcintillando*, *ignem tanquam vomendo*, nomen acceperit. Raſchi ad Jeſaiam: *ſunt autem* אקדחים *et* גומרין *ſpecies gemmarum, quae ardent lampadum inſtar. Talis eſt carbunculus.* Poſſit tamen eodem jure et generatim gemmarum ſcintillantium ac radiantium nomen eſſe. *Cryſtallum* LXX habent, et Syrus. Mihi quidem portae ex gemmis non ſatis placent, licet illas habeat Hieroſolyma apocalyptica: mallem, ſi ad קדח *ignem elicere*, referendum, *duros* intelligere *ſilices ex quibus ignis extunditur.*

Alii, teſte Raſchio, ad קדח *terebrare, perforare*, retulerunt, ut porta quaevis ex uno ſit lapide magno perforato.

Equidem malim a *terendo, terebrando, ſculpendo*, ſic dici, *lapides ſculpturae* i. e. *ſculptos*. Sic praeiverunt, Aquila λίθους τρυπανισμοῦ, quod eſt, Hieronymo interprete, *gemmae* (mallem ſimpliciter, lapides) *foratae et caelatae*, Symmachus, λίθους γλύφους, Theod. γλυφῆς, *ſculpturae*, Vulgata, *lapides ſculptos*. Hoc, ut veriſimilius, in verſione germanica ſequutus ſum.

2230. קַדַּחַת Levit. XXVI, 16. Deut. XXVIII, 22.

Nomen morbi, quem Iſraelitis vindex deus minatur: cujus autem, id valde obſcurum, nec debebat in lexicis ut certum ſumi; prodeſt aliquando ſcire, aliquid nos neſcire. Valde diſſentiunt veteres. Plerique ex etymologia a קדח *accendere* aut explicant, aut conjecturam faciunt.

I) *Febrim*, vel *febrim ardentem*, lexica plerumque habent, praeeuntesque illis, LXX in Deuteronomio, πυρετὸν, utrobique Arabs Pol. حُمّى الحادّة *febrim acutam*, Erpenianusque حُمَّة. Febris in enumeratione plurium morborum nomen nimis generale: ergo, febrim ſi velis, cum praecedente שחפת, *tabes*, conjunctum, *febris* erit *hectica*.

II) Ἴκτερον in Levitico habent LXX, ſibi ipſi in conjectura de obſcuro vocabulo non conſtantes. Icterum ab igneo colore quem imitatur dictum putaſſe videntur.

III) Sunt qui ex ſolo etymo vertunt, Vulgata, *ardorem*, anonymus in Levitico Graecus, συμφρυγμὸν, *uſtulationem*: quibus nominibus quid intelligant obſcurum.

IV) Samaritanus עמימתה vertit, quod quid sit ignoramus: forte *tristitia*, *moeror*, *melancholia*, a غمّة *moeror*, *angens dolor vel aestus*.

V) Arabs Erpenianus in Levitico ذبل habet, i. e. flacciditatem, quo nomine generatim *morbos*, *infirmitates*, *μαλακίας* intellexerim.

VI) Syrus ܩܘܠܚܢܐ *defluvium pilorum*, *calvitiem*, *decorticationem*, quod nomen alias de leprae symptomate aut specie habet, Levit. XIII, 2. 39. Videtur per R קרחת legisse.

VII) Tot variis ex etymo tentatis explicationibus, licueritne mihi et a *terendo*, *terebrando*, tentare, *erosionem* seu *cariem ossium*? Sic قدح *erosio dentium*. Ossium caries terribilis morbus, multis ex caussis, terribiliorem non vidi, quam in ossibus corporis Americani ex lue Venerea. Non ausus sum, nemine veterum praeeunte, versioni germanicae inferre.

VIII) Kimchius in lexico vult esse, *morbum qui nimio aestu comburat*, additque, *et hic est*, *quem vocant* אש של עצמות *ignem ossium*. Hic vero ignis ossium quis est? Respondeant medici Judaei, Judaeorum lectores; christiano, a me interrogato, nil succurrebat praeter, *Knochenbrand*, quo nomine aliqui *cariem ossium* vocant, eandem, de qua cogitaveram.

2231. קָדִים *Eurus*.

Euri notionem lexicon quodvis habet. I) Est autem hic ventus in Palaestina ferventissimus, hinc et LXX persaepe, *καύσωνα* interpretantur, ac Jes. XXVII, 8. Theodotion, ibidemque Syrus ܝܘܡܐ ܕܫܘܒܐ et Vulgata *diem aestus*. Est autem duplex distinguendus Eurus aestuans

1) communis, qui si vel biduo veris aestatisque tempore flat, gramen, herbaeque altas radices non habentes, exarescunt, inque foenum convertuntur. Vide *Russelii natural history of Aleppo* p. 15. De hoc quidem accipio Hos. XIII, 15. Jon. IV, 8. Ezech. XVII, 10. XIX, 12.

2) *pestilens ac lethalis*, Arabibus *Samum* (سموم venenatus) qui Junio, Julio, et Augusto interdum per octavam circiter horae partem tam aestuans et suffocans spirat, ut statim enecet. Vide de eo, Chardinii itinerarium T. IV. pag. 22. (sed ubi aliqua in majus aucta videntur) Jeremiae Lupi (Lobo) Voyage historique d'Abessyne T. I. p. 49. 50. et Kämpferi amoenitates exoticas p. 671. 721. Est idem, de quo n. 627. sub זלעפה dictum. Huic pestilens doctrina comparari videtur

Job.

Job. XV, 2. ubi nota gradationem sermonis: primo, *respondet* דעת רוח *scientiam ventosam*, deinde gravius, *impletus est* קדים *Euro pestilente.*

Figurate ad gravia transfertur infortunia publicasque calamitates, Jes. XXVII, 8. (ביום קדים): sic et Arabibus, ليلة الصبا *nox Euri*, est, *nox infortunii*, chrestom. p. 120.

II) Qui factum sit ut LXX קדים Exod. X, 13. XIV, 21. (hic quidem perquam absurde) Job. XXXVIII, 24. Ps. LXXVII, 30. Ezech. XXVII, 26. *νότον* verterint, jam anquisitum ab aliis. Primo quidem loco Exod. X, 13. forte suffecerit, quod locustae ab Austro recto itinere ad septentrionem tendere, in Africa certe, solent, teste Hasselquisto p. 254. itinerarii Palaestinae. Vide et Shawium p. 187. Jam ergo, cum insolitum esset, locustas ab Oriente exque Arabia in Aegyptum deferri, sed viderentur potius ex Nubia exspectandae, ex re ipsa conjecturam facientes קדים in Νότον mutarunt. At reliquorum locorum alia ratio. Suspicor, in dialecto Judaico-Alexandrina Euri et Noti nomina confusa et permutata fuisse, quod *ventus ardens* in Aegypto *Notus* esset. Est ille pro situ regionum diversus: Palaestinensibus, quibus ab ortu flat, venitque a *deserto*, (Hos. XIII, 15.) קדים dicitur, sicque et Arabibus quibusdam صبا, *orientalis*. Aegypto et Alexandrinis ab Austro, Arabiae Felici aestivis mensibus a septentrione, ubi sol, venit, indeque شمال dicitur. Vide Niebuhrii descriptionem Arabiae p. 7. ubi et plura de hoc vento reperies.

III) Procellosus etiam atque impetuosior Eurus, nautisque timendus, in Arabia, Palaestina, et Archipelago, Anglis proprio nomine *Levanteer*, Gallis, *Levanté*, dictus, Act. XXVII, 14 Εὐροκλύδων, seu ex alia lectione, Εὐρακύλων. Huc non dubitans retuleris Ps. XLVIII, 8. Ezech. XXVII, 26. ubi Euro naves franguntur, et Job. XXVII, 20. 21.

IV) רוח קדים עזה, cujus vehementiore flatu deus aquam sinus Arabici extremi *abegisse*, ac mare exsiccasse dicitur, Exod. XIV, 21. non Eurus esse potest, aquam potius in sinum Heroopolitanum coacturus, multoque minus, ut LXX vertunt, Notus (*) Hic ergo, nisi contradice-

(*) Lege eorum verba integre: *ὑπήγαγε* Κύριος *τὴν θάλασσαν ἐν ἀνέμῳ νότῳ βιαίῳ ὅλην τὴν νύκτα, καὶ ἐποίησε τὴν θάλασσαν ξηράν*, et adhibe tabulas geographicas sinus Arabici, quascunque velis. Ex his verbis magnitudinem miraculi efficit Philo in libro de vita Mosis, T. II. Mangeyanae editionis p. 106. vult enim, ventum ad intima litora mare coegisse, ut ibi fieret altius, refluxusque impediretur. Nempe, disputabatur

dicere sibi ipsi jubeas scriptorem αὐτόπτην et ducem, *ventus* erit *contrarius*, i. e. *contrarius fluxui maris*, *fluxum arcens*, faciensque ut inter utrumque refluxum, quo subsidit mare, nullus fluxus seu aestus maris intercedat. Vide notas germanicas. Sic Marc. VI, 48. ἦν γὰρ ὁ ἄνεμος ἐναντίος αὐτοῖς Arabice redditur, الريح كانت من قدامهم.

2231. קדוש *sanctus.*

Prima notio et verbi et nominis, a qua dicta *sanctitas*, non paucis visa est, *separare*, cujus sententiae auctores potissimos dedit Stockius. Non sane veri dissimilis, nec tamen usu certo linguarum Orientalium firmata, sed conjectura opinabilis. De etymo utcunque sit, id certum, non Hebraeis solum, sed et aliis, *sanctitatis* et *separationis* notiones fere conjungi. Sic quidem accipitur, ubi nomen dei fit קָדוֹשׁ, Jes. XL, 25. Magnitudine dei descripta pergit vates, *cui ergo me adsimilabitis*, *ut vere similis sim*, יאמר קדוש *dicit Sanctus*, (sine He articuli nominis proprii instar.) Erit hic *Sanctus* ab omnibus aliis infinito separatus intervallo, imcomparabilis, ut Horatii verbis utar, *nil habens simile aut secundum*. Saepe in prophetis legitur, קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל, quod ex eodem usu explicari possit, *incomperabilis*, *nil simile habens*, *Deus Israelis*, possit tamen et simpliciter esse, *sacrosanctum numen*, quod Israel adorat. Ipse vivente lingua Hebraeus utroque modo accipere, eoque uti potuerit.

Non huc refero Jes. LVII, 15. שכן עד וקדוש שמו, sed potius explico: *cujus nomen est*, *habitans aeternitatem et sanctum*, i. e. aeternum sanctuarium, coelum, sequitur enim, מרום וקדוש אשכן *sublime et sanctum habito.*

2233. קָדֵשׁ, vel קָדֵשׁ בַּרְנֵעַ Genes. XIV, 6. 7. Num. XIII, 27. XXXIV, 4. Deut. I, 2. &c.

Locus nobilissimus, ab oriente Palaestinae, de quo vide disputantem Relandum p. 114. 115. Palaestinae. Urbem esse sumit, quod in incertis relinquo. De situ non constat, nec constabit, donec exploratores eruditi transjordanensia Palaestinae viciniamque Idumaeae adierint, quod

batur in Aegypto, refluxusne beneficio mare trajecerint Israelitae, an miraculo: Vide Artapani verba excerpta ab Eusebio, Praeparationis evangelicae l. IX. cap. 27. p. 436. Moses Hebraicus contra miraculum est, Graecus, interprete Philone pro paradoxa miraculi magnitudine.

quod periculi plenum. Satis constanter vertitur ab Onkeloso, רְקַם et רקם גיאה, Syro ܪܩܡ, et ܪܩܡ ܕܓܐܝܐ, Arabe utroque, رقيم et رقيم برنع. Est رقيم urbs celebris, ex saxo excisa, alias *Petra*, breviter descripta ab Abulfeda p. 11. Syriae, atque Büschingio in geographia Asiae sub *Ar Rakim*. Mihi non verisimile, hanc celeberrimam Petram esse, sed hic inquirere nec vacat, nec possum, donec meliorem et certiorem illorum locorum delineationem et descriptionem nanciscamur.

2234. מִקְדָּשׁ.

Est plerumque, *sanctuarium, templum*, sed haec significatio vix locum habet Jes. VIII, 14. ubi deus aliis est מקדש, aliis, *lapis offensionis* in quem impingentes cadunt. Hic quidem מקדש *lapis sanctus* Βαιτύλιον esse videtur, *asyli jus* habens. Ad templum improvide allidens pedem nemo labetur, sed ad saxum.

بيت المقدس *domus sacrarii*, et بيت المُقَدَّس *domus sacrata*, *urbs sacra*, consvetum apud Arabes Hierosolymae nomen. Semel occurrere in Hebraicis videtur, 2 Paral. XXXV, 17. ubi Judaeorum juvenes occisi dicuntur בבית מקדשם, templum enim a Babyloniis non oppugnatum, nec vi armisque expugnatum, nec sanguine juvenum imbutum, sed Hierosolyma. Ἡ ἁγία πόλις Matth. IV, 5. graeca nominis Hebraici versio, quo ipse Matthaeus usus videtur. Ad idem nomen מקדש alluditur, proque illo in deterius mutato sono מכתש dicitur Sophon. I, 11. Vide p. 1386. et Simonis lexicon sub מכתש.

Herodotus bis Hierosolymam commemorare ac *κάδυτιν* vocare videtur, ש in ת mutato: l. II, §. 159. de Pharaone Necho, ad Magdolum victore, *μετὰ δὲ τὴν μάχην κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίας ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε*, atqui is sine dubio post proelium Hierosolymam cepit, 2 Reg. XXIII, 31-35. Idem de Cambysis expeditione Aegyptia agens l. III. §. 5. *hac tantummodo via patet ingressus in Aegyptum:* Ἀπὸ γὰρ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλεως, ἥ ἐστι Σύρων, τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων, ἀπὸ δὲ Καδύτιος πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, ἀπὸ ταύτης τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης, μέχρι Ἰηνύσου πόλιος, ἔστι τοῦ Ἀραβίου, *quae enim Phoenicen inter et fines urbis Cadytis sunt, quae est Syrorum Palaestinam habitantium, et ab urbe inde Cadyti (quae mihi videtur Sardibus parum minor) usque ad emporia maritima, Ienyssum usque urbem, Arabs* (rex, seu ut nos dicimus, Emirus Arabum

No-

Nomadum) *tenebat.* Hic quis poteſt Hieroſolymam non agnoſcere? quae alia urbs ejus magnitudinis illo in tractu? Dudum id alii viderunt, a Weſſelingio in notis ad Herodotum indicati: ſed his obvertit Weſſelingius, textum antea per conjecturam mutans (γῆ ἐστι, pro ἡ ἐστι): *fac Judaeos Sanctam religionis ſuae metropolim habuiſſe et vocaſſe, etiamne Philiſtaei et vicinorum alii oſores maximi?* Hoc quale dubium! Syris Herodotus ipſos adnumerare Judaeos ſolet, Philiſtaei quomodo Hieroſolymam vocarint ne verbo quidem dicit, verum vel a ſacris Judaeorum alieniſſimi urbem eodem nomine vocaturi erant, quo incolae. Gravius alterum quod ש vocis קדש nec Syri nec Arabes in ת mutant, ſed ܩܘܕܫܐ, قدس efferunt. Hoc me, fateor, dubium quodammodo tenet ſuſpenſum: poſſit tamen alia Aramaeorum dialectus et hic quoque ש in ת mutaſſe. Fuerunt, ut ipſe docet Weſſelingius, qui ex conjectura critica Κάδυσιν, et Καδύσιος reſcribi juberent, hos tamen ſequi non auſim.

2235. נִקְהַל *congregatus eſt*, הִקְהִיל *congregavit*, קָהָל *congregatio*, *coetus*.

Has nominis verbique ſignificationes ſatis notas lingua Hebraica communes habet cum lingua Syriaca Chaldaicaque, itemque cum tertia dialecto Aramaea, Samaritana, quod adnotandum duxi, quia et verbum et nomen in Samaritano lexico omiſit Caſtellus, exemplumque adſcribo Levit. XVI, 17. Arabibus cum eſt *exareſcere*, *ſqualere*, hanc ſignificationem ex قحل accepiſſe videtur, haud transferendam ad Hebraica, ut fecit Simonis, mire ex illa nomen קֹהֶלֶת explicans, ſed paucis, niſi fallor, placiturus. Etiam de coetu judiciali a Moſe ponitur, quo ex uſu explico Job. XI, 10. *ſi te inſequitur*, *clauſumque tenet* וְיַקְהִיל *et congregat*, concilium nempe totius populi ad te adcuſandum puniendumque, petita imagine ex forma judiciorum antiquiſſima, de qua vide notas germanicas: et Proverb. V, 14. בְּתוֹךְ קָהָל וְעֵדָה.

2236. קֹהֶלֶת.

Non dubitans his accedo, qui terminationem femininam ad morem Orientalium referunt, nomina munerum abſtracta pro concretis ponendi, de quo plura in grammatica: hinc et fit, ut maſculine conſtruatur Cohel. I, 2. XII, 8. 9. 10. ſolo loco excepto Cohel. VII, 27. אָמְרָה קֹהֶלֶת, ſed et hic malim, aliter literas dispertiens maſculine efferre, אָמַר הַקֹּהֶלֶת, ut

ut c. XII, 8. legitur. Caeterum eum denotat, qui coetui ſeu academiae philoſophorum praeeſt, praeſidem ejus et doctorem.

2237. קו Jeſ. XXIII, 10. 13. *vomitus.*

Seriem mihi orationis cogitanti, deſcriptumque ebriorum convivium, vomitu et excrementis male olens, non קַו לָקָו *funis ad funem* adpellandum videtur, ſed קו לקו *vomitus juxta vomitum*, ut ſit idem quod קוא. Vide num. 1031. de צו ſcripta. Praeivit Syrus

2238. קו קו Jeſ. XVIII, 2.

גוי קַו־קָו, nomen gentis remotae, cui magna dei facta clades que Sancheribi nuntianda, adpellativum hucusque omnibus viſum, admodum varie interpretati ſunt.

1) Multi veterum ad verbum קִוָּה *ſperavit*, retulerunt, ſed obſcura ſententia, et quae aures exſpectationemque audientis parum implet. Sic tamen Aquila, ἔθνος ὑπομένον, Vulgata *gentem exſpectantem*, *exſpectantem* (quod, totus hic theologus, in commentario interpretatur Hieronymus, *omnes haeretici ſibi coeleſtia repromittunt, et pollicentur ingentia, et tamen a daemonibus conculcantur:*) et contrario ſenſu LXX ἔθνος ἀνέλπιστον, *gentem ſine ſpe*, *deſperantem.* Suſpicor, huc quoque referendum Syrum, qui alieniſſime, ut videtur, habet ܡܟܒܫܐ *fractam:* ſcripſeritne, ܡܣܟܝܐ, *ſperantem?*

2) Chaldaeus unde ſuum, אניסא, *vim paſſus*, habeat, ignoro.

3) Raſchius, קו ad funis menſorii notionem referens, *de qua deus vindictam ſumſit propter illius iniquitatem menſura pro menſura.*

4) Aliis a Raſchio citatis, idem eſt quod קיא, *vomitus*, *purgamentum*, *res contemta.*

5) Kimchius in lexico, מעט אחר מעט, linea pro exiguo accepta, *quem ſenſim proculcant.*

6) Vitringa, קו *funem*, pro *linea*, *lineam* pro *praecepto* accipiens et ad Jeſ. XXVIII, 10. provocans, vertit, *populum praecepti et praecepti*, i. e. innumeris diſtractum oneratumque praeceptis, quae ſuperſtitio Aegyptia imponebat. Valde diſplicet. Locus Jeſaiae 28 nihil ad rem, ejusque aut dubia, aut me judice male ſumta explicatio: mirum etiam, hominem Judaeum, non pauciora habentem religionis praecepta, Aegyptios

ptios a multitudine eorum describere. Taceo, hoc vocabulum et sequens (ומבוסה), ex Vitringiana explicatione acceptum, res componere disjunctissimas: *populus multa praecepta religionis habens, et cujus agri post inundationem ab armentis suibusque calcantur, agrisque sic altius subiguntur.*

7) Si quidem aut certum esset, aut omnino sumi posset, de Aegyptiis hic adhuc sermonem esse posse, (de quo mihi quidem secus videtur) et si luberet, קו de fune accipere; facilius sane, de Aegypto, agros suos quotannis post inundationem Nili fune mensorio dimetiente, indeque geometriae inventrice, accipere. Vide Strabonem libr. XVII. p. 1136. al. 787. Sic et apta foret sententia sequenti ומבוסה ex Vitringiana explicatione. Sed nec hoc probo, est enim alienum a scopo prophetae, totam semper Aegyptum aliis circumscriptionibus nominari, ubi in dissita et remotissima terrarum orbis magnae stragis fama propalanda.

8) Mire et audacter de ΚΙΚΙ Aegyptiorum oleo et unguento Clericus cogitavit, quod ex ricino parant, et de quo plura vide in Celsii hierobotanico T. II. p. 273. quo ab oleo totam gentem dictam putat, quod eo uteretur. Ut taceam, universae gentis ab oleo denominationem non valde esse probabilem: ignorabat Clericus, *kiki* Aegyptium Hebraeis קיקיון esse; ergo non קוקו. Nec oleo *kiki* ungebantur secundum Herodotum, l. II. c. 94., quem ipse citat, nisi qui palustria Aegypti habitabant, id est Palaestinae proxima, quos hic quis commemoret, ubi de fama cladis ad ultima terrarum proferenda sermo. In cibis quidem nullus olei kiki seu ricini usus, quod medicum potius est, inque vehementissime purgantibus, ut caute adeo detur, quippe periculi non expers.

9) Mallem sane, si nomen est adpellativum, de quo equidem dubito, *populum* intelligere *fune mensorio inter vicinos divisum*, et *proculcatum*, (ומבוסה) qui aliis servire, atque ab illis dividi adsvevit. Talis eo tempore Aegyptus, quam plerique interpretum cupiunt; quamquam mihi Aegyptus hic displicet, remotiora terrarum quaerenti.

10) Ergo non dissimulo, mihi verisimile videri, קו־קו, קוקו adpellandum, nomen proprium regionis esse, ejus, quam sub Clim. I. P. 3. pag. 13. versionis latinae, 16. textus Arabici, geographus Nubiensis describit. In Hasii Africa reperies post gradum longit. 40. latitud. 24. sed crediderim, lecto Nubiensi, magis australem esse, quia climatis primi est. Nubiensi quidem per כ nomen scribitur, كوكو, sed haec in exoticis nominibus scriptionis diversitas, sono manente, nihil ad rem. Facit pro *kuku*, quod est remotior Aegypto, illi ab occidente et austro: deinde

de quod mersa aut inundata dicitur fluminibus, (אשר בזאו נהרים ארצו) sic enim de illa Nubiensis: *amnis iste* (ad quem sita urbs Cucu) *labitur donec transeat Cucu per multos dies ac tum diffundit se in solitudinem per arenas, non secus atque Euphrates, in Mesopotamia, et ibi mergitur in lacus;* quamquam vel ex ipso situ sub climate primo prope certum, aestivis illum mensibus Nili in morem exundare vicinaeque regioni innatare, ut facere ibi orientes fluvii ob imbres aestivos solent.

2239. קוֹא nomen proprium, 1 Reg. X, 28. 2 Paral. I, 16.

In historia Salomonis legitur: *educebantur* (emebantur) *equi Salomonis ex Aegypto*, וּמִקְוֵה vel secundum Paralipomena, וּמִקְוֵא, *mercatores regis sumebant* מִקְוֵה vel מִקְוֵא *pro pretio.* מקוה hic *netum*, vel, *textum*, interpretari, parum verisimilis sententia, variorum cogitata si quis legere cupiat, evolvat Bocharti hierozoicon T. I. p. 171. 172. Aliis placuit, mutatis punctis, et מ pro praefixo habito קוה vel קוא nomen proprium facere regionis equorum nobilium divitis et altricis, idque et mihi verisimile, aut, si verbo audacia detur, prope certum. Praeivit Vulgata: *adducebantur equi Salomonis de Aegypto et de Coa,* (וּמִקְוֵה). At quae haec sive *Coa*, sive *Cavva?* Aliorum conjecturas exposui in, *Etwas von der ältesten Geschichte der Pferde* p. 76. 77. vel juris Mosaici T. III. p. 332. 333. addere et possem قُوه Golii (p. 1985.) *nomen regionis inter Nisam et Ariam. Nomen oppidi in Caramania Persiae vicina.* Illa quidem ex regione equi potuerint nobilissimi adduci, si illa Nisa intelligitur, a qua *Nisaei campi* dicti sunt, equos alentes laudatissimos. Vide Cellarii geograph. ant. T. II. p. 786. Possit et קוא esse, ipsa Africae regio *Cucu*, de qua sub numero praecedente dixi, nam et hanc *equorum camelorumque* divitem esse dicit Nubiensis. Haec quidem inquirenda aliis et perpurganda relinquo.

2240. קיקלון Hab. II, 16.

His quidem accedo, qui, praeeunte Vulgata et Kimchio, *vomitum ignominiosum* interpretantur, ut idem sit quod קִיא קָלוֹן. Moneo tamen, Chaldaeis Syrisque קיקלא, ܩܝܩܠܐ *stercus* esse, (vide lex. Syr. p. 771.) posse ergo et verti, *stercus super gloriam tuam.* Mire et male LXX συνήχθη ἀτιμία: videntur קי ad נקוה *congregatus est*, retulisse.

2241. קָוָה.

De prima verbi notissimi significatione quae habent lexicorum aliqua, ut Stokii, et Simonis, incerta mihi, atque, ut saepe accidit in etymologicis, gratis sumta videntur. De Arabico quidem قوي egit Schultensius ad Haririi consessum tertium p. 135. 136. quem olim in collegio critico in psalmum XL, p. 273–279. sequutus sum, et ibi dicta relegi velim, sed jam video, primam *torquendi*, *contorquendi* notionem, nullo exemplo confirmari, sed ex solo derivato קַו, *funis*, sumi. Ergo, donec certiora habeamus, manum de tabula. Id unum monitos velim lectores, *clamandi* notionem, quam opem laturi nomini קַו Ps. XIX, 5. non pauci, Pocokio duce verbo dederunt ex قَوَّةً *clamavit*, perquam suspectam esse: قوة Hebraice foret קָוָה cum He mobili, hinc esse קַו non potest, He enim mobile ac Mappikatum excidere non solet; a קָוָה ductum nomen cum suffixo קַוֵּהֶם scribendum, non קַוָּם fuisset.

2242. קַו *funis*, *chorda* Ps. XIX, 5.

Funis significatio notissima et certa, sed vix apta versui quinto psalmi 19, *in omnem terram egressus est* קַוָּם, *funis illorum*, (coelorum,) *et in ultima orbis habitabilis verba eorum*. Cui ergo non placeat, quod LXX habent, ὁ φθόγγος αὐτῶν, *sonus eorum*? Verum id quomodo ex קַוָּם effici potest? Fuerunt, qui eos legisse putarent, censerentque legendum, קוֹלָם, *vox illorum*. Verum nullus omnino ita codex, nec uspiam LXX קוֹל φθόγγος verterunt. Ergo mihi potius φθόγγος *chorda* hic esse videtur, cujus significationis exempla graeca dedi in *introductione ad N. Test.* §. 29. edit. IV. p. 204. 205. ubi copiosius sententiam dixi. *Chorda* psalterii et Hebraice קַו dici, *funiculus*, *filum*, potuerit. Musica aliqua et hymnus coeli describitur, deum laudans. Vide et notas germanicas.

קַו־קָו Jes. XVIII, 2. quaere sub num. 2238.

2243. מִקְוֵה מַיִם, מִקְוָה.

Ex derivatione, *congregatio*, *collectio*, *collectio aquae*: usu tamen linguae ad minores collectiones aquae, arte hominum factas, restringitur, quales sunt, *lacus*, *piscinae*. Sic Exod. VII, 19. אגמים stagna, a מקוה מים distinguuntur. Jes. XXII, 11. מִקְוָה piscina est inter utrumque murum facta,

facta, ad excipiendam aquam ex piſcina vetere effluentem. Levit. XI, 36. ſive piſcina eſt, ſive adeo ipſa in cavaediis ciſterna, excipiendis pluviae aquis facta. Hinc lucebit Gen. I, 10. Quem nos Oceanum dicimus, piſcina dei eſt, ſed lingua eum hominum MARIA vocavit. Cicero capite 6 ſomnii Scipionis: *omnis terra, quae colitur a vobis, parva quaedam inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum adpellatis in terris, qui tamen, tanto nomine, quam ſit parvus, vides*. Eandem ſententiam, ſed fortius etiam, Moſes dixit.

2244. קוט *fervere, iratum eſſe.*

Volunt fere, cognatum eſſe cum קיץ, videturque confirmare Arabia, cui قاط pro قيظ eſt, *ferbuit*, indeque قيظ *aeſtas*, plane ut Hebraeis קַיִץ. Sic et Syri aeſtatem ܩܝܛܐ a fervore dicunt. Vide num. 2249.

2245. קום ſtare, de oculis poſitum, 1 Reg. XIV, 4. 1 Sam. IV, 15. קַיֵּם Pſ. CXIX, 28.

קמו עיניו *ſtant oculi*, de coecitate poni certum: eſt tamen rarior phraſis, bis de coecitate ſummi ſenii poſita, nec omnem complecti coecitatem videtur, ſed ad ſolam pertinere *amauroſin*, (*ſchwartzer Staar, goute ſereine*). In hac proprie *ſtat pupilla oculi, nec lucis radiis contrahitur* (*): eſt illa ſaepius ſenum, quam vegetae aetatis, a cataracta (*grauer Staar*) diſtinguenda. 1 Sam. IV, 15. Elio 98 annos nato, ſtaut, oculine? an oculus? varia enim lectio: in textu legitur ἀνωμάλως, עיניו קמה, quod ex duabus lectionibus compoſitum 1) עיניו קמו, quam, in nullo ſuorum codicum repertam, ex ſolis Orientalium Occidentaliumque varietatibus citavit Kennicottus: hanc ſi ſumas, utriusque oculi amauroſi ſenex centum prope annos natus laborabat. 2) עינו קמה quam novem Kennicottiani, duo de Roſſiani codices habent. Sic alterius modo oculi amauroſi perfecta laboravit, altero tamen hebete viſusque imbecillioris. Poſteriorem lectionem praetulerim, omnibus codicibus ſingulariter קמה habentibus.

קַיֵּם Pſ. CXIX, 28. eſtne ex uſu Chaldaici קַיָּם *vivus, vivificare*? קַיְּמֵנִי כִּדְבָרֶךָ *vivifica* i. e. recrea *me ſecundum verbum tuum*? Sic quidem Syrus ܐܚܝܢܝ.

(*) Hanc immotae pupillae cauſſam jam Rhazes adnotavit: immobilem eſſe, quisque, qui ſanos oculos habet, videt.

2246. קִים vel קִימָן Job. XXII, 2.

Ex punctis masorethicis קִימָנוּ est a קִים, quod vertunt, *adversarius*, נכחד קימנו *excisus est adversarius noster*. Non nego, *ἅπαξ λεγόμενον* hanc significationem habere potuisse. Mallem tamen, mutatis punctis קִימָנוֹ vel קִימָנוּ, suffixum habere tertiae personae, *excisum est fundamentum ejus*, *locus in quo firmiter consistebat*. In suffixum quidem tertiae personae consentiunt, sed in explicatione vocabuli dissentientes, veteres: LXX, seu potius, ex quo interpolati sunt Theodotion, *ἠφανίσθη ἡ ὑπόστασις αὐτῶν*, (hic quidem meae interpretationi consentaneus) Vulg. *succisa est erectio eorum*, Syr. ܦܣܩ ܩܝܡܬܗܘܢ. Hi cum suffixum tert. pers. plurale habeant, suspicabar aliquando, eos קִימָם legisse: sed nullus ita, ut monet de Rossius, totus hic relegendus, codex, ergo potius pluralem ex interpretatione atque ob fluxum sermonis posuerunt.

2247. מָקוֹם.

Praeter notissimam ac generalem loci significationem, duas habere specialiores videtur.

1) 2 Paral. III, 1. plane ita poni videtur, ut Arabicum مقام *locus precum*, *locus adorationis*, ita ut מקום דוד sit, *locus seu collis in quo David precatus est*. Sic Muhammedes dicit Deum Meccam statuisse مقام للناس *precum locum seu oratorium hominibus*. Nempe قوم *stare* peculiariter de precantibus dicitur, quod stando precari solent. Vide haec copiosius exposita in patris mei *ritualibus codicis sacri ex Corano illustratis* §. 14. Sic et videtur accipiendum 1 Paral. XVI, 27. *gloria et laetitia sunt* במקומו, *in oratorio*, *in templo ejus*, psalmo, ex quo haec sumta, XCVI, versu 6 habente במקדשו *in sanctuario ejus*, quod et in chronicis exprimunt Syrus et Arabs. Genes. XXXV, 7. מקום de Bethela positum sic acceperim, sed mutatis vocalibus ויקרא לַמָּקוֹם אל בית אל *vocavitque locum dei sanctum Bethel i. e. aedem dei:* displicet enim punctorum sententia, *vocavit locum*, *Deus Bethelae*. (biblioth. Or. prior. T. IX. p. 200.) Genes. XXVIII, 11. puncta si sequaris, בַּמָּקוֹם non vertendum erit, *pervenit ad locum aliquem* (בְּמָקוֹם) sed antonomastice, *ad locum sanctum*, ita ut nomen מקום Mosis tempore Bethelae fere ut proprium haeserit. Quin et c. XXXI, 13. pro האל בית אל *deus Bethelae*, LXX vertunt, *ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ*, ac si legissent האל במקום אל. Sic

et

et Amos IV, 6. בכל מקומותיכם reddidi, *in omnibus locis sanctis vestris*, de his enim, Bethela, Beersaba, Gilgala, quas ad sanctas urbes superstitiosi confluebant, versu 4. 5. sermo fuerat.

2) Job. XXVIII. aliquoties de *fodina metalli*, *nobili vena*, poni videtur, forte מָקוֹם pro מָקוֹב, de quo vide num. 1636. scripta.

2248. קוע Ezech. XXIII, 23. *admissarius*, *libidinosus*.

Omissum fere in lexicis, quod pro nomine haberetur proprio, sicque et ex veteribus retinuerunt LXX, Symm. Theod. κουε, Syr. ܩܘܥ, Chald. קוֹעֵי. Est tamen parum verisimile haec tria nomina, פקוד ושוע וקוע, propria esse, omni geographiae, sacrae et profanae, ignota: monuitque jam in commentario Hieronymus, "*cum hujuscemodi nomina nec in Regum* „*volumine*, *nec in Paralipomenon*, *neque in Jeremia quidem*, *qui describunt captivitatem Jerusalem*, *aut in aliquo loco scripturae sanctae*, *inveniamus*".

Melius alii adpellative acceperunt. sed ex conjectura, ut videtur, aut omnes, aut plerique interpretati: Aquila κορυφαῖον (pro hoc quidem adferri possit Arabicum تَقَوَّعَ conjug. 5. *conscendit arborem*, sed vereor ut recte) Vulgata, *principes*, Raschi, *dominatorem*, Kimchi, sed in libro radicum קוע omittens, שר גדול, *principem magnum*.

Mihi quidem sic videtur. قاع pro قوع *adscendere femellam*, maxime, de admissario ponitur, indeque in octava *libidine aestuavit admissarius* que fuit camelus aut brutum aliud, de brutis enim maxime usitatum. Erit ergo קוע *admissarius*, *in re Venerea potens*. Est id toti orationis filo aptum, ubi Venere et utero furens femina potentissimos ad rem veneream conquirit, quorum et genitalia magna et feminis profluvium, vel picta in parietibus imagine, admirabatur: v. 20.

2249. קוץ *fervere*, *irasci*, *aegre ferre*, *fastidire*, *timere*, *evertere*.

Fastidire satis vertunt unanimiter lexicographi, quae significatio duobus locis Genes. XXVII, 46. Num. XXI, 5. egregie apta, mediocriter aliis, sed quibusdam deinceps indicandis plane inepta: caeterum linguis Orientalibus, sola forte excepta Chaldaica, plane ignota, quod, si eam non plane facit suspectam, eo tamen pertinet, ut locis haud videatur obtrudenda quibus non apte sedet. Habent linguae Orientales pro nostro

verbo

verbo uno, plura, قوض, قيض, قيظ, ܩܘܨ, ܩܝܨ, ſed nullum horum ejusque derivata nomina, *faſtidium* ſignificat, ac ne ſatis quidem facilis offert ſe etymologia, ex qua faſtidium elicias. Solis Chaldaeis קוץ eſt, *ſpernere*, quae notio alteri, *faſtidiendi*, cognata: ſed minor linguae Chaldaicae auctoritas. Ergo denuo, ac ſi nulla haberemus lexica, inquiramus, his tamen, quae vera dixerunt, non neglectis.

I) קַיִץ cum Hebraeis *aeſtas* ſit, Syris ܩܝܛܐ Arabibus قَيْظ, certum eſt, radicem Hebraicam קוץ vel קיץ cum Arabica قاظ pro قيظ convenire. Haec vero Arabibus eſt, *ferbuit.*

Hinc aeſtas dicta, atque ab aeſtate denominativum verbum ortum, قاظ *aeſtatem egit*, ſicque non dubitans accipio Jeſ. XVIII, 6. קץ עליו העיט, praeeunte Vulgata, *aeſtate perpetuae erunt ſuper eum volucres*, *et omnes beſtiae ſuper illum hiemabunt*, (תחרף, de quo vide p. 936.) et Chaldaeo. Sic et aliqui meliorum lexicographorum.

A fervendo *ira* optime dici potuerit, atque קץ בו *ferbuit contra illum*, erit, *iratus fuit illi.* Sic quidem, ſi nullos lexicographos haberemus, nullos antiquos interpretes, plane accepturus eram Levit. XX, 23. *haec omnia fecerunt incolae terrae*, ואקץ בם *et iraſcebar illis*, vel, *odi illos.* Nec tamen de ſolo anquirenti vero diſſimulandum, nullum veterum hanc ſignificationem mihi praeiviſſe. Receptae lexicorum propiores, ſed plerique paulo fortius, habent, LXX ἐβδελυξάμην, exque illis Vulgata, *abominatus ſum eos*, Syrus, ܟܪܬ ܠܝ ܒܗܘܢ, Arabs Erp. كريتهم, *(aegre tuli eos).* His ergo in conſilium adhibitis, hanc forte notionum ſeriem inſtitueris: 1) *ferbuit* 2) *iratus fuit*, 3) *aegre*, ſeu potius *aegerrime tulit*, *abominatus eſt*, quod plus eſt quam faſtidire. 1 Reg. XI, 25. ויקץ בישראל, (ſi eſt a קוץ, nec ut mihi viſum germanice vertenti a קצץ, *amputavit* partem regni Iſraelitici) optime verti poſſit *ferbuit odio contra Iſraelem*, *infenſiſſimus hoſtis fuit*, ſicque hic praeivere LXX ἐβαρυθύμησεν (quod verbum pro חרה ponunt Num. XVI, 15.) Vulg. *odium contra Iſrael.* Video et Vulgatam Exod. I, 12. vertiſſe, *oderant*, ſed quo de loco aliter ſentio.

II) Duobus, ut ſupra jam dixi locis, Geneſ. XXVII, 46. Num. XXI, 5. taedii faſtidiique notio ita apta, ut verecundia ſubeat eam negandi, maxime cum omnes ibi veteres, quorum monumenta ſuperſunt, LXX, Aquila, Symmachus, Chaldaeus, Syrus, Samaritanus, Arabs uterque

que consentiant. Reliquis vero eam dialectis ignorantibus, quod suspectam reddere possit, quaerendum, unde nata? Duae mihi se conjecturae offerunt: 1) ab *irascendo*, et *aegre ferendo*, de quibus jam dixi, facilis transitus, ad *fastidium* et *taedium*. 2) Linguae Aramaeae omnes, et Arabica, eandem significationem, transpositis modo literis, sub צוק, vel צ in ע mutato, עוק habent, et vero passim eadem cum ב constructione, qua קוץ Hebraicum occurrit: fastidium, ab angustatione spiritus dicunt. Ergone transpositione literarum, quam alias refugere soleo, nec tamen totam negare ausim, קוץ hanc significationem accepit? Ipsas exempli caussa adscribo versiones utriusque loci: Chald. עָקִית בחיי et נפשנא עקת במנא הדין, Syrus, ܥܩܬ ܠܝ ܒܚܝܝ, et, ܢܦܫܢ ܥܩܬ ܒܡܐܟܘܠܬܐ ܗܕܐ, Samaritanus אציקת בחיי, et, נפשנן אציקי בלחמה, Arabs Erpenii, ضاقت حياتي, et, alia constructione Hebraicae similiore, نفسنا ضاقت بالطعام. Adde, ut Chaldaeis, illisque solis, קוץ, ita Samaritanis, צוק esse, *spernere*, *contemnere*. — — Haec mihi trajectio literarum, seu duarum radicum confusio, verisimilior videtur.

III) Exod. I, 12. Num. XXII, 3. Jes. VII, 16. fastidiendi notio inepta, cum ex rei ipsa natura, hostem enim aut populum potentem, non fastidimus, sed timemus, tum ob constructionem cum מִפְּנֵי, videturque sola *timendi* convenire, *timere a facie alicujus*. Sic et Jes. VII, 16. verterunt LXX ἣν σὺ φοβοῦ, jubetque prope ita verti versus ejusdem capitis secundus: Syri et Chaldaei מעיק, et מעוק utrumque possit significare, et timorem, et fastidium, unde pro me non cito. Verum unde haec timoris significatio? forte ab aestu, qui et ad solicitudinem transfertur, ut in illo Ciceronis, *quae tibi tenebrae? qui tibi aestus? homini minime malo*, (divinat. in Q. Caecilium c. 14.) sicque et *uri*, *coqui*, *curis* dicimur: sed possit et esse a قبض *corruere*, *dissolvi*, tanquam, *corruere et prosterni timore a facie hostis*, cujusmodi quid spectasse videtur Hieronymus Num. 22. in Vulgata vertens, *et impetum ejus ferre non posset*. Sed prius praefero.

Hanc timendi, seu potius desperandi notionem et ad Prov. III, 11. transtulerunt LXX, ואל תקץ בתוכחתו vertentes, μηδὲ ἐκλύου ὑπ' αὐτοῦ ἐλεγχόμενος, quod legens quis possit non de Arabico قبض, in passivis conjugationibus, *dissolvi*, cogitare: quamquam malim ex prima significatione interpretari, *ne irascere* castiganti deo.

 IV) *Ad-*

IV) *Adſcendamus contra Judaeam* ונקיצנה, Jeſ. VII, 6. vertendum videtur, *et evertamus eam*, a قوض *diruere, plane mutare, rem rei ſubſtituere.* Sic quidem Syrus, ܢܗܦܟܝܗ *evertamus*, et Chaldaeus, נחברנון adſociemus eos, ſed ſuſpicor, eum ſcripſiſſe, נתברנון, *frangamus eos*, i. e. frangamus ac dividamus in duas partes, quod ipſum قوض ſignificat. Quod alii habent, *expergefaciamus eos*, diſplicet.

2250. קַיִץ (קץ) *aeſtas, aeſtivi fructus, eorúmque collectio.*

Notae ſignificationes et certae, ſed de quibus pauca addenda. 1) Ex varia lectione etiam pluraliter קיצים *fructus aeſtivi* habetur, Jeſ. XVI, 9. קִיצַיִךְ in VI. codicibus Kennicottianis, uno de Roſſii, et XXX editionibus, quas inter, quae me primum lectionem docuit, Stephani, anni 1539. 2) Quomodo factum ſit, ut קיץ LXX Amos VIII, 1. *aucupem* verterent, pag. 1273. dictum: ſuſpicor tamen, eos ſine Jod קץ legiſſe, idque pro contracto ex קבץ habuiſſe 3) קֵץ, *finis*, ſine Jod ſcriptum, nonnunquam a LXX pro uno eodemque habitum videtur, *καιρὸν, tempus*, i. e. *tempus maturitatis*, reddentibus, Geneſ. VI, 13. קץ כל בשר, *καιρὸς παντὸς ἀνθρώπου, maturitas hominum ad poenam, tempus, quo ut maturi fructus decerpentur, vel defluent* Jerem. L, 26. *ὅταν ἐληλύθασιν οἱ καιροὶ αὐτῆς, ἀνοίξατε τὰς ἀποθήκας αὐτῆς*, Thren. IV, 18. *ἤγγικεν ὁ καιρὸς ἡμῶν, ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι.* Dan. VIII, 17. *εἰς ὥραν καιροῦ.* Sed de hoc Graecorum *καιρῷ* utcunque ſit, Amos VIII, 2. קֵץ *tempus* ſignificare videtur, *quo maturi fructus colliguntur*, monſtrabantur enim v. 1. prophetae קיץ *maturi fructus*, ita tamen, ut et *finis* notionem includat: quo ſumto, poſſit et עון קץ Ezech. XXI, 30. 34. XXXV, 5. *maturum ad poenam peccatum* eſſe.

2251. קוּר plur. קוּרִים Jeſ. LIX, 5. 6.

Telas araneae recte vertunt. Concinit Arabicum قور *funiculus elegantior e goſſypio factus*, forte a ſimilitudine telae aranearum nomen habens, hanc enim Hebraicam ſignificationem primam exiſtimem, referendam ad قار pro قور, *inceſſit in extremitate pedum, ne audiretur ſonus, ex inſidiis et occulto captavit praedam*, ut faciunt araneae telae ſuae inſidentes inque ea diſcurſantes.

2252. קוש Jeſ. XXIX, 21. Sophon. II, 1.

יְקֹשׁוּן Jeſ. XXIX, 21. ſecundum puncta ad hanc radicem referendum foret, obſcurum qua ſignificatione: aliis puto vocalibus inſtruendum יְקָשׁוּן, atque eſſe radicis יקשׁ, *retia tendunt* in judicio, quod faciunt rabulae calumniis juris utentes aliisque artibus, hisque judicem vel juſtum decipientes. Sic in rei ſumma conſentientes LXX. πρόσκομμα θήσουσιν, Chaldaeus בְּעַן לֵהּ תַּקְלָא, Syrus ܡܣܝܡܝܢ ܗܘܘ ܬܘܩܠܬܐ; (*quaerunt*, vel. *ponunt offendiculum*) Vulg. *ſupplantabant.* Aliqui codices plene יקושון habent, ex quibus puncta maſorethica orta videntur: has quidem literas, eadem manſura ſententia, יְקוֹשׁוּן efferrem, a radice נקשׁ *illaqueavit.*

התקוששו וקושו Sophon. II, 1. ex lectione conſveta cum Vau, et ſine Dages forti, non debebat a lexicographis ad קשׁשׁ referri, ſed ad noſtram radicem קוש, cui *incurvandi* notionem dederim, ex Arabico قَيِسَ pro قَوِسَ *dorſo incurvus fuit*, قَوَّسَ *incurvavit*, تَقَوَّسَ et استقاس *incurvus fuit*, peculiariter *prae ſenio*, verterimque: *incurvate* i. e. *humiliate vos*. Varia lectio וקשו ad קשׁשׁ referri poſſit, quod vide infra.

2253. קחה Num. XXI, 1. Hoſ. XI, 3?

וַיִּקַּח קרח Num. XVI, 1. a Rabbinis, eorumque ſequacibus lexicographis ad לקח referri ſolet, ita veri diſſimiliter, ut mirum ſit, talia probari potuiſſe, maxime, cum ne hanc quidem habeant excuſationem, veteres praeiviſſe, eorum nos veſtigia ſequi. Lege modo, *et adſumſit Corachus*, – – *et Dathan*, *et Abiram*, . . . *et conſtiterunt coram Moſe.* Quem adſumſerunt? Id vero non dicitur, ſed de ſuo ut lubet, ſupplent interpretes, Nulla in literis ויקח varietas lectionis, ſed in illis interpretandis valde diſſentiunt veteres: LXX καὶ ἐλάλησεν; Onkelos et Syrus (אתפליג, ܐܬܦܠܓ) *diviſus eſt* nempe a reliquis, *ſchisma fecit*, eademque ſententia Arabs Erpenii, اختلف *diſſenſit;* Arabs Polygl. تقدّم *acceſſit* (ad Moſen) vel etiam, *praeceſſit*, auctor et anteſignanus ſeditionis fuit, ignotam vocem Vulgata omiſit: ſolus Samaritanus recentioribus conſentit, ונסב vertens.

Hic quidem novam opem laturus Houbigantius ad radicem קחח retulit, Syris ܩܚܐ *rixari*, bona ſententia, *rixatus eſt Corachus*: ſic quidem verbum ſine Dages וַיִּקַח ſcribendum, futurum apocopatum ex יִקְחֶה. Diu probavi, ſed video nihil pro Syriaco verbo adferri, praeter ܩܚܐ *rixoſus*, *ſtreperus*, in lexicis et ſine teſte exemplove poſitum, et ſine vocalibus, quas ſi ܩܰܚܳܐ ſubſternas, radicis erit קחח, quam vide ſub numero ſequente.

Hoſ. XI, 3. קחם ad radicem לקח referre ſolent, et vertere, *accepit* i. e. *ſuscepit in brachia ſua*, pro לְקָחָם. Id plane contra indolem linguarum Orientalium: nuspiam prima radicalis, ſive ל in לקח, ſive נ, ſive adeo י, in praeterito Kal excidit, ut confinxerunt Rabbini eosque ſequuti noſtri: certe nulla linguarum reliquarum Orientis primam radicalem in praeterito Kal omittit. Hoc ergo grammaticorum figmento abdicato, ſi omnino deſtinatum ſit vertere, *ſuscepit eos in brachia ſua*, referamus ad radicem קחח, Arabice قحا pro قحو *accepit*: ſed et hoc valde diſplicet, in prima enim perſona cum praeceſſiſſet, *ire docui Ephraimum*, eadem conſtructione ſequi debuiſſet, *ſuscepi eos in brachia mea*, non in tertia *ſuscepit eos in brachia ſua*. Ergo hoc קחח abdicandum, et alia in utroque loco tentanda, quae jam ſub קחח et קחם vide.

2254. קחח *murmuravit*, Num. XVI, 1.

Ergo Num. XVI, 1. וַיִּקַּח, nec mutatis punctis refero ad radicem קחח, media radicali more Chaldaeorum in prima per Dages compenſata. Hujus quadriliterum ܐܬܩܰܚܩܰܚ Syris eſt, *murmuravit*, *ſtrepuit*, ܩܘܼܚܩܳܚܳܐ *murmur ſeu ſtrepitus aquae*, quin et de *cachinno temulenti* ponitur ܡܩܰܚܩܚܳܢܳܐ, a ſono factum vocabulum, quale latinum cachinnus: eodemque referendum ܩܰܚܳܐ *ſtreperus*, *rixoſus*, vixdum diximus. Eſt et قَحْقَحَةٌ *vox reciprocata in gutture, aut quae a ridente et ſimia editur*. Hinc vertes: *murmuravit*, vel, *ſtrepuit Corachus*.

2255. קחם *prolapſus eſt* Hoſ. XI, 3.

קחם mutatis punctis קָחַם ad hanc radicem refero, quae Arabibus (قحم) eſt *praeceps ruit, irruit*. (Chreſtom. Ar. p. 86. not. 7.) אנכי תרגלתי

תרגלתי לאפרים קחם על זרועתיו verto: *ego ire docui Ephraimum, ruentem seu prolabentem in brachia sua, nec sentiunt me manum retrahere.* Sumta imago a puero vixdum ire incipiente, quem qui ducit atque ire docet, retinaculo pectori et brachiis circumdato sustinet: puer eundi nondum consvetus, in haec retinacula prolabitur.

2256. קֶטֶב, קֶטֶב, קֹטֶב.

Verbum قطب Arabibus praeter alia, quae nihil ad nos, est, *secare*, sicque et Chaldaeis קטב *caedere* e. g. ligna, Deut. XIX, 5. hinc قُطْبَةٌ *cuspis*, *punctum quo jactum sagittarius dirigit*, forte et قُطْبٌ, ܩܘܛܒܐ, קוטב *polus*, quasi cuspis coeli. A caedendo excidium, exitium, ut fere nomen Hebraicum vertunt, recte dici potuerit, sed accedere pluribus locis specialior *cuspidis* significatio videtur, quam et alicubi veteres praeiverunt.

Deuteron. XXXII, 24. קטב מרירי *cuspis* erit *venenata*, sive eo nomine diros morbos, tela tanquam venenata mortis intelligas, sive ob sequentia dentem venenatum serpentum. قَطْعٌ *cuspidem* hic jam praeivit Arabs Erpenii, nec multum abludens Vulgata *morsum* vertit, sed ad aves referens, *devorabunt eos aves morsu amarissimo*, non, ut equidem malim, ad serpentes. Aquila, ut ex Ps. XCI, 6. novimus, δηγμόν, *morsum* interpretari solebat. (LXX ὀπισθότονον habent, terribilem et prope insanabilem morbum, omnia membra horrendo spasmo, magno cum cruciatu retro convellentem ac retorquentem: tetani est species, copiosius descripti in *Hannöverischem Magazin anni 1775 num.* 10. et 11. Hunc unde? num forte a ligando aut detorquendo? est enim قطب et, *colligavit saccum, utramque ansam nectens, ita ut una per alteram inserta et iterum flexa duplicaretur?* Forte et, qui obsessiones malorum spirituum interpretati sunt, Chaldaeus et Syrus, de morbis cogitarunt convulsivis, eosque, ad daemonum vim retulerunt. Convenit interpretationi celebre illud Thalmudicorum, duo קטבים seu daemonia esse, unum ante meridiem, alterum post meridiem potestatem habens, licet aliam ei etymologiam a secando die Judaei comminiscantur. Vide Buxtorfii lex. Thalm. p. 2098. et, Judaeorum somnia si scire cupias, *Eisenmengers entdecktes Judenthum* P. II. p. 434. 435.)

Jes. XXVIII, 2. שַׁעַר קֶטֶב *portam excidii* interpretantur: at veteres, Syrus, Chaldaeus, Vulgata, *turbinem* vertentes, sine dubio שְׂעָר per Sin extulerunt, ut in Nisseliana editione legitur, Seidelianoque quem excerpsit pater meus codice, aliisque quos citant biblia Halensia. Sic possis sive *turbinem excidii* vertere, sive mutatis vocalibus שְׂעַר קֹטֵב *turbinem resecantem omnia*, *calamitatem* proprio vocabuli latini sensu, i. e. grandinem calamos comminuentem ac plane resecantem. *Turbinem confringentem* vertit Vulgata. Doleo, ad hunc locum de שער de Rossium siluisse.

קטב Hos. XIII, 14. (aliis vocalibus קָטָבְךָ scriptum) *cuspidem* intelligo jaculi lethiferi, quod inferno tribuitur, ut morti dedit in paradiso amisso Miltonus. Praeiverunt hic LXX. *κέντρον σου*. Syrus ܥܘܩܣܟܝ. (Vulgata iterum, *morsum* habet, non bona constructione, *morsus tuus ero inferne*. Hieronymus in commentario: *Symmachus ἀπάντημα transtulit, id est, occursum: Theodotion et quinta editio, plagam, et conclusionem interpretati sunt.* Occursum unde habeat, nescio: *plaga* si vulnus accipias, potuerit a caedendo et secando dici; *conclusio* erit a قطب *colligavit*. Sed cuspis mortis praeplacet.)

Ps. XCI, 6. קטב ישוד צהרים eo magis *cuspides* mortis intelligo, meridie volantes, quod praecesserat, *sagitta, quae volat interdiu, pestis quae in caligine ambulat*: suntautem hic sagittae cuspidesque mortis dirae lues ac contagia. Sic et peste Graecos invadente Phoebum tela venenata spargere facit Homerus, Iliad. I, 45–52.

Veterum quidem omnium hic nullus ita, sed omnes, (mirum!) in diabolum consenserunt, nec tamen, ut nonnullis visum, קטב daemonium verterunt, sed ישוד, ex שֵׁיד illud interpretati. En eos: LXX. *ἀπὸ συμπτώματος καὶ* (*) *τοῦ δαιμονίου μεσημβρινοῦ*, et Symmachus, *ἀπὸ συγκυρήματος δαιμονιώδους μεσημβρίας*, his ergo קטב *infortunium* vel *accidens improvisum*: Aquila *ἀπὸ δήγματος δαιμονίζοντος μεσημβρινοῦ*, a *morsu daemoniaci meridiani*, huic ergo, ut aliquoties Vulgatae, *morsus* est, quem quidem a secando et caedendo significare possit, sed perquam obscurum, quis sit, *morsus daemoniaci*, morsusue furiosi? Syrus ܡܢ ܪܘܚܐ ܕܫܐܕܐ ܕܒܛܗܪܐ *a spiritu daemonis, qui est in meridie*, huic ergo קטב *spiritus*, quodunde? denique Chaldaeus, מן סיעת שׁדין *ab agminibus daemonum*, pro quo adferri possit, quod قطب inter alia est,

(*) legerunt וְשׁוֹד pro ישוד. Nullus ita codex.

est, Camuso teste, *congregati fuerunt homines.* Est tamen ille, ex psalmorum interpretibus, longe miserrimus. Omnes miror de daemonio somniasse, cujus nulla hic, nec daemoniacorum in toto V. T. mentio; Thalmudici etiam ipsum קטב *daemonium meridianum* interpretati sunt, idque ad Rabbinos fluxit, ex quibus Raschium nomino, exque illis in aliqua lexica.

2257. קין *fabricare, ferrum cudere.*

Nuspiam in Hebraico codice verbum occurrit, est tamen ob derivata inde non ignorandum. Arabibus قان pro قين est, *cudit ferrum*, sed et latius de omni fabrica et artificio ponitur, *concinnavit, formavit, ornate composuit.* Eandem verbi significationem apud Chaldaeos Syrosque, licet illis in desvetudinem abierit, produnt *fabri* nomina inde derivata, de quibus deinceps, quae tamen in plerisque lexicis non sub קין, sed sub קון reperies. Hinc,

2258. קַיִן 2 Sam. XXI, 16.

ut jam plures viderunt, sed in significatione nominis forte aliquid a non paucis erratur, dissident alii. Δόρυ simpliciter vertunt LXX, sicque et plures in lexicis lanceam: nec vero tota lancea est, sed sive cuspis sive lamina ex metallo, hastili praefixa. Huic a cudendo nomen ductum. Sic *ferrum hastae ejus* reddidit Vulgata, et Chaldaeus סופיניה. Ab omnibus dissident Syrus et Arabs, *loricam* habentes: haec quidem a cudendo dici potuerit, sed pondus 300 siclorum nimis parvum, si siclos ex meo computo p. 367. aestimes: aliter vero sentient, consvetum computum sequentes.

2259. קַיִן *faber* Genes. IV, 22.

Non pro parte nominis Thubalcaini habeo, sed *fabrum* verto, *peperit* את תובל קין *Thubalem fabrum.* Arabibus قَيْن *faber ferrarius*, Syris Chaldaeisque, ut ex Jes. XLVII, 6. disces, ܩܝܢܝܐ, קֵינָאָא. Praeiverunt LXX, Σελλὰ δὲ ἔτεκε καὶ αὐτὴ, τὸν Θόβελ· καὶ ἦν σφυροκόπος, χαλκεύς. Josephus Ant. I, 2, 2. Θόβελον vocat, non Thubalcainum. Haec et Arabis Erpeniani, ولدت توبل قين quis Arabs legens, aliter intelliget, quam, *peperit Thubalem, fabrum?*

2260. קֵינָן Genes. XI, 13.

De hoc fictitio Graecorum Cainane copiosius inquisitum, testesque auditi, in *chronologia Mosis post diluvium* (*), §. 2—9. Suspicatus sum, Cainanem inde ortum, quod pro Salechi nomine, hoc cognomen poneretur, *simulacrum ex metallo cusum* significans: ܩܝܢܢ enim, ex Ephraemi sententia, nomen idoli Chaldaeorum fuit, Abrahami tempore culti. Sed ibi dicta excerpere nolim, ad ipsam potius commentationem ablegans.

2261. קִינָה *lamentum*, *θρῆνος*.

Videtur idem esse quod ܩܝܢܬܐ *canticum*, de quo pag. 787. lexici Syriaci copiosius disputatum. Arabibus etiam قَيْنَة *cantrix* et *fidicina*. Sic primo cantici carminisque generatim nomen fuerit, sed quod usus Hebraeorum solis reliquit canticis lugubribus. Sitne canticis et musicae nomen ab *artificio* et *concinnando* ductum, in incertis habeo. Verbum denominativum facientes, קוֹנֵן *lamentatus est*, mediam radicalem Jod, ut saepe, in Vau mutarunt.

2262. קֵינִי *Kenita*.

Nomen proprium vel patronymicum, sed triplex, quod bene distinguendum.

1) Populus est sine dubio Cananiticus, Abrahami tempore in Palaestinae aliqua parte habitans, Genes. XV, 19. in qua? de eo nullo indicio certo constat, nisi quod ex Num. XXIV, 21. 22. sequi videtur, in altis eos montibus habitasse, qui ex fastigio montis Moabitici, Feori, conspici poterant. Mire Raschius ad Genes. 15. hos Kenitas vult esse Idumaeos.

2) *Chobabus*, Mosis adfinis, Reguelis filius, gente Midianita, qui inter Israelitas consedit, (Num. X, 29—32. et pagina supplementorum 788.) Judic. I, 16. *Keni* vocatur, incertum, utrum nomine, quod vivus habuit, an cognomine, pro more Orientalium ei a posteris, Kenitis Midianiticis, quorum progenitor fuit, post mortem dato. Hoc verisimilius.

3) Chobabi, quem diximus, posteri, populus Medianiticus, et vero nomadicus, qui Israelitis se adjunxit, ex quo sunt Rechabitae, non nisi in tentoriis habitantes. 1 Chron. II, 55. Judic. IV, 11. 17. 1 Sam. XV,

(*) *Decima quinta commentationum societati Goettingensi oblatarum.*

XV, 6. XXVII, 10. XXX, 29. Incertum et hic, acceperintne a progenitore nomen? an a populo Cananitico, in cujus sedes et patriam primi ex illis successerunt? an aliunde? nominum enim propriorum difficile est, historia tacente, rationem reddere, maxime in tanta rerum antiquitate et obliteratione. Conjiciamus! Sed et fateamur, nos non scire, ac modo conjicere.

Qui sint Kenitae, Num. XXIV, 21. 22. memorati, Chananaei an Midianitae? de eo ambigitur. Mihi quidem Chananaei praeplacuerint, temporis ratione habita, adhuc enim illi patriis in sedibus habitabant, nec dum Midianitici inter Israelitas consederant, ipsi cum Israelitis adhuc in deserto errantes. Obverti quidem video, Cananiticam gentem vix videri ad Assyriorum usque tempora superfuisse: sed historiam gentis plane ignoramus, multi Cananitarum remanserunt, forte ergo et ea Kenitarum pars, quae montibus inaccessis, quales hic describuntur tuta erat. — — Aliter sensit Bachiene §. 219. geographiae Palaestinae.

Qui factum sit, ut Chaldaei interpretes שַׁלְמָאֵי verterint, non constat. Visum non paucis, *pacificos* eos vocari, quod pacem cum Israelitis colerent, (vide Relandi Palaestinam p. 140) verum et Cananiticae originis Kenaeos Onkelos Genes. XV, 19. שַׁלְמָאֵי vocat, ibidemque et interpres in gentibus, quarum terram Deus victoribus concedet Abrahami posteris, שַׁלְמָאָה קִינָאָה.

2263. קִיקָיוֹן vel potius קִיקָיוֹן *ricinus.*

De hoc vocabulo, non nisi Jonae IV, 6. 7. 9. 10. obvio, copiose egit Celsius, Parte II. hierobotanici, p. 273 – 282. quo lecto vix quisquam dubitabit quin sit ricinus. Non repeto quae habet: sed haec ab eo dictis addo.

Primo nomen, quod in Aegyptia et Rabbinica lingua arbusculae haerere monuit, nobis quoque superest in lingua medicorum, quibus oleum ricini aliquando est, *oleum cicinum*. Vide botanicam Regnaultii, cujus excerpta infra dabo. Sed quod plus nostra refert, supererat Hieronymi tempore in lingua Syriaca et Punica: sic enim ille ad caput Jonae quartum: *pro cucurbita, sive hedera, in Hebraeo legimus CICEION, quae etiam lingua Syra et Punica CICEIA dicitur*: deinde eam describens, qualem in Palaestina frequenter viderat. Sed ea non describo, quia a Celsio tota jam excerpta sunt. Hunc unum locum describere opus habui, quod ex vitiosis editionibus sui temporis verba sumens Celsius, habet,

bet, *quae lingua Punica et Syra* Elkeroa *dicitur.* Vide Benedictinos in sua Hieronymi editione. Error et in Cocceji lexicon aliaque irrepsit. Caeterum ex Hieronymi CICEION, Aegyptioque KIKI, Hebraicum nomen mallem קִיקְיוֹן efferre, quam cum punctorum auctore, קִיקָיוֹן. Obiter et addo, in non paucis codicibus Kennicotto consultis sine Jod quiescente קִקְיוֹן scribi.

Quomodo acciderit, ut LXX aliique plures, a Celsio nominati, *cucurbitam* verterint, Hieronymusque, qui Ciceiam norat videratque, non suo illam proprio nomine, *ricinum*, verterit, quaeri et posse et oportere video. Ad errorem quidem de cucurbita facilis et expedita a ricino via: ricinus خروع *cucurbita* قرع quae nomina sono valde vicina, ac facile confundi possunt. Fac interpretem Alexandrinum, quem reliqui sequuti sunt, audivisse, nomen ἅπαξ λεγόμενον sibi ignotum חרוע *Keroa* significare, confundebat cum קרע *Kara, cucurbita*, cucurbitamque pro ricino dabat. Hieronymus vero, nomen arboris, quam in Palaestina quotidie videbat, latinum ignorasse videtur: nec id mirum: Latine sciebat, sed quis ex nostris etiam latine doctioribus, herbam, plantam, arborem, et vero exteram, quam aliis in terris videt, suo latino nomine vocare possit, nisi et botanices studium linguae latinae adjunxerit? Adde, rarius vocabulum latinum esse, nec, quantum memini, apud quemquem veterum significatione botanica occurrere, praeter Plinium l. XV. c. 7. Hinc factum, ut, emendaturus errorem antiquae latinae, ex LXX sumtum, *hederam* verteret, tres Graecos sequutus, licet ipse hanc versionem non probaret. Jam relege ipsius verba, et intelliges: *unde et nos eodem tempore quo interpretabamur prophetas, voluimus id ipsum Hebraeae linguae nomen* (Ciceion) *exprimere, quia sermo latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi, et vel bestias Indiae, vel montes Boeotiae, aut istiusmodi quaedam portenta confingerent, sequutique sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam interpretati sunt, quae graece appellatur κισσός: aliud enim quod dicerent non habebant.*

Vocabulum pluribus linguis commune esse, Aegyptiae (ex qua adeo in Graecam, Europeasque medicorum transiit) Syriacae, Punicae, Thalmudicae videmus: etymologiam me ignorare non erubescens fateor, nec de illa valde laboro. Ut enim taceam, ubi de significatione vocabulorum constat, disputationes etymologicas curiosas potius quam ne-

ces-

cessarias esse; nomen forte ab Aegyptiis ad Phoenices et Syros pervenit, Strabonis atque adeo Herodoti tempore Aegyptiae linguae jam usitatum, quod si est, incassum stirpem Orientalem quaeremus, ad quam referatur.

Icones arbusculae formosissimae invenies in Blackwelliana *stirpium collectione tab.* 148. et *Johannis Zornii centuria II iconum plantarum medicinalium* n. 131. (in qua tamen folia non satis bene expressa) denique in Regnault Botanique (*), omnium pulcherrimam, quam iterum aere descriptam addi curavi versioni prophetarum germanicae. Quas si icones a se diversas videbis, noli alteram erroris adcusare, ipsa enim arbuscula mirifice faciem coloremque mutat, unde et a Germanis *arboris miraculosae* nomen (*Wunderbaum*) accepit. Descriptiones arboris, oleique Kiki dicti, copiosiores, et ad Jonam intelligendum utiles, habent, *Krell*, in *Entdeckungen der Chemie T. II. p.* 44. 45. — — *Linné vollständiges Pflanzensystem nach Anleitung des Holländischen Houttuynischen Werks übersetzt, und mit einer ausführlichen Erklärung ausgefertiget, Nürnberg 1779 T. IV. p.* 543-547. et in *botanique par Regnault*. Hanc ultimam si totam hic describam ex libro qui in paucorum philologorum manibus est, gratum me facturum lectoribus arbitror.

Le Ricin, ou Palme de Christ,

Plante annuelle, du nombre des purgatives.

Ricinus vulgaris, C. B. P. 432. *Ricinus communis L. S. P.*

Tournef. class. 15. *sect.* 5. *gen.* 6. *Linn. monoecia monadelphia. Adans* 45.

Fam. des Tithymales.

Le Ricin croit naturellement dans l'Inde, en Afrique, et dans l'Europe Australe. On le cultive dans nos Jardins pour la beauté de son port et de ses feuilles, et pour s'affranchir de l'importunité des taupes. Ce dernier objet n'est pas toujours rempli, car les traces de cet animal annoncent assez l'impuissance de l'ennemi qu'on lui oppose. Le Ricin est bisannuel dans son Pays natal, et s'y éleve jusqu'à la hauteur des Arbres; dans les climats tempérés il perd à la fois une partie de sa grandeur, et la moitié de sa durée. On ne réussit à prolonger sa carriere, qu'à l'aide des serres-chaudes.

(*) Distinctius citare nequeo, quia Regnault tabulas sine numeris, edidit, ut quisque una cum adjecta descriptione digerere prout luberet, posset; in exemplo quod bibliotheca academica Goettingensis habet invenies T. II. num. 278.

des. Sa racine est dure et garnie de fibres. Sa tige s'éleve de six ou sept pieds: elle est cylindrique, creuse, de couleur purpurine obscure, couverte d'une poussiere farineuse, rameuse, garnie de feuilles, qui sont alternes et opposées; ces feuilles sont palmées, ou représentant en quelque sorte la figure d'une main ouverte, dont les doigts sont séparément étendus, (cette prétendue ressemblance a fait donner à la Plante le surnom de Palme-de-Christ) divisées en huit lobes, portées par de longs pétioles, d'où partent les huit principales nervures; avant leur développement elles sont pliées en autant de doubles, qu'elles ont de nervures. Les pétioles sont garnis à leur insertion d'une stipule, qui leur est opposée, et qui les enveloppe en embrassant le contour de la tige. Les fleurs mâles, qui ne sont composées que d'étamines, et les fleurs femelles, du pistil seulement, sont portées sur une pédunicule commune, disposées en grappe. Les fleurs mâles naissent au-dessous des femelles, elles portent un grand nombre d'étamines réunies par leurs filets, attachées au fond du calice, lequel est divisé en cinq segments, et porté par un pédunicule court. Les fleurs femelles terminent la grappe: elles ne consistent, qu'en un ovaire et le pistil, qui a trois fils et trois stigmates fourchus. L'ovaire est divisé en trois loges et autant de valvules; il devient un fruit épineux; dont les loges sont sillonnées exterieurement: lorsque le fruit est mûr, ces loges, dont nous avons montré l'intérieur, s'ouvrent, et les graines s'échappent avec impétuosité. Les graines et les valves sont rassemblées autour du pivot, qui fait l'office de placenta.

Le Ricin n'est considéré en Médecine que par ses graines: elles contiennent beaucoup d'huile et de sel, suivant Léméry. C'est un violent purgatif, qui ne convient qu'à de corps robustes, à moins qu'il ne soit adouci et corrigé par le sel de tartre. On pile huit ou dix de ses graines, on les délaie avec six onces d'eau tiede, dans laquelle on a fait dissoudre un scrupule de sel de tartre, ou y ajoute deux ou trois gouttes d'huile d'anis ou de cannelle. Ce remede, ainsi préparé, peut être employé avec succès dans l'hydropisie. On tire par expression de graine de Ricin une huile connue sous les noms d'oleum de Kerva, oleum cicinum, ou, oleum ficus infernalis, qui purge, en frottant l'Estomac et le bas-ventre. Ce remede extérieur appaise les suffocations de la matrice, tue les vers, guérit la gratelle, et déterge les ulceres. Chomel remarque l'avantage de ce remede: "nous avons „grand tort, dit-il, de ne pas employer cet huile, dont les anciens se „servoient pour purger. Combien ne-trouve-t-on pas de cas différents, „où il seroit fort convenable, et préférable à l'onguent Arthanita? Les „enfans,

„enfans, par exemple, si difficiles à prendre çe qu'on leur présente, et „qui bien souvent n'avalent les drogues qu'on leur ordonne, que lors„qu'il n'est plus en notre pouvoir de les guérir, seroient purgés efficacement avec cette huile en embrocation sur la region umbilicale, mê„lée avec partie égale d'huile douce." Reliqua omitto.

His addo, auctoritate reliquarum quas citavi, descriptionum, partim et veterum.

1) Arbuscula non una nocte nascitur, ut Jon. IV, 11. plerique interpretes intellexerunt, sed aliquot demum mensium spatio adolescit. Niebuhrius Bassorae ricinum vidit octo pedum altitudine, quinquemestrem. (Vide ejus descriptionem Arabiae p. 148.) Ergo aut versus ita vertendus: *quae una nocte fuit, alteraque periit:* aut per miraculum una nocte adulta exstitisse arbuscula dicitur.

2) Octo pedum altitudine eam vidisse Niebuhrium vix dum memoravi, ad majorem tamen altitudinem excrescit, inque ipsa Germania, ejus non natali solo, frigidoque adeo anno, Heyerus vidit ad novem vel decem pedes adsurgere. Plinius libr. XV. cap. VII. *in Hispania repente provenit altitudine oleae.*

3) Folia habet umbrosissima, sesquipedali adeo et bipedali longitudine et latitudine, atque ab ipsa natura tensa atque expansa.

4) Intra paucas horae sexagesimas partes *(minuta)* folia decerpta marcescere vidit Niebuhrius: ad naturam ergo arboris est, quod admorsa a verme oriente, ac folia perurente sole, confestim exaruit.

5) Succos habet perquam acres, (vide Krellium) unde verisimile est, pleraque insecta ab admorsu abstinere. Ipsis talpis quod obex objicitur in Galliae hortis, forte inde ortum, quod observaretur, succum ejus talpas fugere semel gustatum: quamquam in Gallia minus efficax remedium, decrevit enim jam, ut in septentrionali climate, succi acrimonia et virus. Mirari ergo possis, Jonae arbusculam a verme admorsam: verum cuique plantae, quam alia fugiunt insecta, venenatis adeo, suus a natura hostis paratus, ipsaque Jonae arbor suam erucam habet. *Rumphius in herbario Amboinensi* T. IV. p. 95. (libr. VI. c. 46.) narrat, calidioribus diebus, tenui cadente pluvia, in ea generari erucas nigras magna multitudine, ejus folia per unam noctem subito depascentes, ut nudae modo costae supersint, idque se saepius non sine admiratione vidisse, *simillime*, addit, *arbusculae olim Niniviticae.* Forte his lectis pene pro certo sument alii, vermem qui ricinum Jonae mor-

ſedae Syriam p. 44. 89. 90. Deſcribitur ut ſitu munitiſſima, duodecimo a Maba (עַר מוֹאָב, Areopoli) lapide.

Sitne nomen חרשׂת per שׂ, ut editiones receptae habent, an שׁ ſcribendum, non definio: illud tamen praeferentes etymologica luſerunt ad חֶרֶשׂ, teſta, referentes, murumque teſtaceum intelligentes. Aquila jam et Symmachus τοῖχον ὀστράκινον verterunt. At Chaldaeus, ut vidimus, *caſtellum roboris*, ad ſenſum forte melius. Mihi quidem ejusmodi verſiones etymologicae nominum propriorum displicent: de etymologia tamen ipſa ſi conjectura dicenda, referrem potius ad حرس *cuſtodivit* (p. 962.) intelligeremque, *munimentum cuſtodiae*, i. e. ſive in quo cuſtodiae et praeſidia collocantur, ſive, bene cuſtoditum, invictum, inexpugnabile.

LXX per Daleth legiſſe, חדשׁת in biblioth. Or. priore T. XIV. Adp. p. 15. 16. dictum, ſed codex Hebraicus nullus confirmavit.

2 Reg. III, 25. קִיר חרשׂת eandem urbem intelligo: ſomnia veterum interpretum enarrare longum.

קַרְקַר quaere ſub קרר.

2267. קלה Deut. XXV, 3.

Vix apta huic loco, quam verbo נִקְלָה dare ſolent, vilitatis notio: *non plures quam quadraginta plagas infliges ei*, וְנִקְלָה אָחִיךָ לְעֵינֶיךָ *ne vilis fiat frater tuus coram oculis tuis.* Centum plagae, quibus tergum praebemus, non plus quam quadragenae, ſive adeo denae, ignominiae adferunt. Ex conſveta *urendi*, *aſſandi*, *torrendi* notione, quam verbum apud Hebraeos, Arabes, Syros habet, et hic accipio: verberibus, flagris, uritur, qui illis ſaucius fit, atque excoriatur. Sic Horatius, Epod. II, 3. 4.

Ibericis peruſte funibus latus,
Et crura dura compede.

Syris etiam ܨܠܐ eſt, *conterere*, *confringere*, quo verbo hic uſus Syrus, ܢܨܛܠܐ praeiviſſe videtur, *ne vulneretur.* Habet et Vulgata, *ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*, Arabsque Erpenii, يستحق *ne excorietur*, a سحق *pellem carni detraxit.* — — Eadem *urendi*, i. e. *excoriandi verberibus* notio verbis מָלְאוּ כְסָלַי נִקְלֶה Pſ. XXXVIII, 8. aptior, quam vilitatis, praeivitque Chaldaeus, קְדִיחָתָא vertens.

Caeterum non is ſum, qui verbo קָלָה contemtus et vilitatis notionem abjudicare velim: id tamen unum dubitans interrogo, ſitne, ut plerique

rique volunt, ex קָלַל orta, an ex קָלָה *uſſit*, *ſtigma inuſſit*, ita ut קָלוֹן ignominia, proprie ſit, ſtigma?

2268. קַלַּחַת *olla* 1 Sam. II, 14. Mich. III, 3.

A דוד, כיור, פרור, סיר, quae nomina ſuo loco vide, cum diſtinguatur, quaerunt cuinam ollae ſit proprium. Priori quidem loco ob ſeriem vocabulorum egregie apta *olla cooperta*, Germanice, *Stülpkeſſel*, poſſisque conferre Aethiopicum קלח *calyx floris antequam aperiatur.* Sunt, qui literarum transpoſitione Arabicum خَلَقِين, pluraliter خَلَاقِين, *olla* conferunt: ſed nomen generale eſt ollarúm, noſtrum ſpeciale; vereorque, ne recentius ſit, ex Graeco χαλκεῖον ortum.

2269. קֶלֶס, קָלַס.

Irriſionis, aut, *ſummi contemtus* atque *ignominioſiſſimi*, notione, cum verbum tum nomen apud ſolos Hebraeos occurrit, ignorant eam reliquae dialecti: Syris adeo Chaldaeis et Samaritanis contraria ſignificatione eſt, *laudare*, ſed ex Graeco, ut videtur, κλέος. Non ergo de antiphraſi cogitandum. Conferre forte poſſis قلش *calcitravit*, ut קלס proprie ſit, *obverſo tergo pedis ictu aliquem repellere*, indeque ad omnem transferatur graviorem ignominiam et contemtum.

2270. קֶמַח *triticum* Hoſ. VIII, 7.

Farinae notio vix apta Hebraicis צמח בלי יעשה קמח Hoſ. VIII, 7. hic ergo malim ex uſu Arabici قمح *triticum* vertere. Seges non farinam facit, ſed triticum.

2271. קָמַל Jeſ. XIX, 6. XXXIII, 9.

Multa et varia in lexicis legis, *compungi*, *langueſcere*, *marceſcere*, *exſcindi* (ſic Kimchi) *obſurdeſcere*: quae diſſidia ut intelligas, ſic habe: 1) *marceſcet*, habet Vulg. Jeſ. 19. ibidemque Chaldaeus Syrusque, *exareſcet*, hucque et referendum Chaldaei כתר *defluxit* Jeſ. 33. Hoc *exareſcere* mihi veriſimillimum ac prope certum, putemque exareſcere dictum a mutato colore vegeto et viridi in flavum ſive adeo nigrum. Arabibus

(*) Vide fabulam Locmani quintam, notasque ad illam Erpenii.

bibus قبل est, *nigricans et quasi pediculis obsitus adparuit carduus*, أقبل *gramina arida reddidit herba* مرج, *in ejusque foliis flavedo adparuit*, قمل *insecti genus vegetabilibus molestum*, (exempla habe in Castelli lexico) Joel. I, 4. pro Graeco *ἐρισύβη* positum, ut videatur esse insectum flavedinem admorsu segeti inducens, (pag. 864.): Syris, Novariensi teste, in capite thesauri *de pane, et quod ei adjungunt*, p. 190. ܩܡܫܐ, *herba et flores colorantes panem*, *Arabice* فودنج, (nisi fallor, eadem, quae et Arabibus قمطول, quod Castellus vertit, *herba quaedam.*) Haec omnia nos ad coloris notionem deducunt. Transferunt verbum et ad hominum morbos, ܩܡܫ, *aegrotavit*, *infirmatus est.*

2) Syrus Jes. 33. ܒܗܬ *pudefactus est*, vertit, nempe ex parallelismo praecedentis verbi, החפיר. Possit et a colore, rubro nempe, pudor dici, ac tale quid spectasse videri Syrus possit.

3) Vulgata ibidem habet, *obsurduit*, nullo linguarum Orientalium usu, nec bona phrasis, *Libanus obsurduit.*

4) LXX utrobique *ἕλη palustria* verterunt, cujus significationis vestigium nullum linguae Orientis offerunt. Indoctissimus interpretum est, Graecus Jesaiae.

Aliqui lexicographorum quod habent, *compungi*, nescio unde ductum sit, a quo acceptum: ei non immoror. *Exscindi*, Raschii est, sed mere conjecturale, qui ad Jes. 19. post relatas aliorum sententias, *ego autem*, inquit, *existimo*, קמל *significare* קציעה *amputationem, dum arundines per se ipsas succiduntur, et cadunt propterea, quod exaruerunt.*

2272. קִמּוֹשׂ vel קִימוֹשׂ Jes. XXXIV, 17. Hos. IX, 6.
קִמְּשֹׂנִים Proverb. XXIV, 31.

Scriptio nominis non una, nec certa: קִמּוֹשׂ pleraeque editiones in Jesaia, קִימוֹשׂ in Hosea habent: sed codices sex Kennicottiani et in Jesaia plene קִימוֹשׂ, inque Hosea XLIV. sine Jod קמוש exhibent. *Urticam* recentiores lexicographi reddere solent, locis Jesaiae ac Proverbiorum satis apte: nec tamen ut certum aut unicum poni debebat, dissensere enim veteres, multi *carduos* interpretati, ut disces ex Celsii hierobotanico T. II. p. 206. qui tamen ipse urticam praefert. Linguae Orientales sub literis

קמוש nec urticam habent, nec ullam aliam herbam aut vegetabile: quodque pro urticis adfert Celsius, urticam in vilioribus esculentis esse, Arabibusque قمش *edit, quidquid inveniret, quamvis vilissimum esset*, nihil pro urticis probat, plura enim sunt viliora esculenta. Ergo dubitare fas sit. — — Hoseae his, מחמד לכספם קימוש יירשם si de vasis argenteis cogites, urtica plane non apta, supellectilem enim argenteam nunquam invadet. Possis quidem urticis opem ferre, si כסף ad *concupiscendi* notionem referens, מחמד לכספם vertas, *delicias eorum concupitas* (ut in versione germanica tentaveram, *was ihre Begierde und Sehnsucht war)*: sed et hoc abdicandum censeo post ea quae de כסף num. 1194. scripsi, *desiderandi* et *concupiscendi* notionem, linguis orientalibus ignotam, quae verbo tribui solet, suspectam habens.

Ab hoc quidem loco ordiemur, in quo sola Vulgata urticas habet, (mire! *desiderabile argentum illorum urtica hereditabit)* reliqui sapientius vitarunt, sed conjecturis usi sunt alii aliis, quarum nulli usus linguarum Orientalium favet. Ergo LXX ὄλεθρον, *interitum*, verterunt, Syrus ܢܘܟܪ̈ܝܐ *peregrinos*, Chald. קרסלין, quod ferae alicujus nomen esse putatur, quibusdam *chamaeleon*. (Vide Breithaupti notas ad Raschium latine versum.) Mihi quidem si conjicere liceat, sed lingua Arabica opem ferente, קמוש hic erit, *avidissimus et rapidissimus quisque*, ex قمش *collegit, corrasit undique, etiam de solo res minutiores.* Forte et adjuncta notione *vilissimi* et *egentissimi*, قمّاش enim est, *quidquid hinc inde colligitur*, et, *deteriores homines:* sed prius praetulerim, solumque satisfacit. Aptane sit versio filo orationis, quisque judex esto: *Aegyptus colliget eos, Memphis sepeliet eos, desideratissima argenti illorum avidissimus et rapacissimus quisque hereditabit.*

In Jesaia Proverbiisque generatim omnes herbas viliores, quas non colimus, sed exstirpamus, atque ab illis hortos adeo agrosque purgamus, intellexerim: Germani uno vocabulo, quod lingua latina non habet, *Unkraut*, complectimur, atque etiam, ut Hebraei, a majoribus vegetabilibus invisis, spinis carduisque distinguimus. Arabibus, قمش est, ut jam dixi, *collegit corrasitque undiquaque, peculiariter de solo res minutiores*, indeque, قمّش *edit, quidquid inveniret, quamvis vilissimum esset.* Hae viliores herbae pauperi et famelico cibus. Habent et Syri aliquod nomen ܩܡܫܘܢܐ incertae adhuc significationis, sed quod de deterioribus poni videtur. Lexic. Syr. p. 806.

Omnia

Omnia perpurgare, et ad certum perducere non potui: dedi quae habeo, quae verisimilia, et certe gratis creditis sunt verisimiliora.

2273. קנה Genes. IV, 1. XIV, 19. 20. Deuter. XXXII, 6. Zach. XIII, 5. Job. XXXVI, 33.

Adquirendi, *emendi*, *possidendi* notiones certae, videtur tamen illis et alia, *pariendi*, *creandi*, *parandi*, addenda. Genes. IV, 1. קניתי איש את יהוה, quis non malit, *peperi virum ope Jehovae*, quam, adquisivi vel, *possideo* virum? et Deuteron. XXXII, 6. אביך קנך, *pater qui genuit te*, quam, *qui possedit te?* Forte a pariendo et vulgatius adquirere fluxit. De deo figurate positum etiam creationem formationemque significat, ut Genes. XIV, 19. 20. *deus altissimus* קנה שמים וארץ *qui creavit coelum et terram*, (sic quidem hic Vulg. et LXX) Ps. CXXXIX, 13. *omnia mea nosti* כי אתה קנית כליותי *tu enim creasti, vel, formasti renes meos:* lege sequentia, ubi de formatione embryonis in utero sermo. Video et, quamquam alieno loco, nec bona sententia, LXX significationem antiquitus notam praeivisse: ἄνθρωπος ἐγέννησέ με ἐκ νεότητός μου, Zach. XIII, 5. Periit tamen reliquis linguis Orientalibus haec, prima forte, notio, fateorque ex his eam confirmari non posse. Ergo dubitantius scribo.

In Zachariae loco, quem vixdum attigi, solo, qui verbum in Hiphil habet, כי אדם הקנני מנעורי laborarunt jam ac dissenserunt veteres. Ad קנא *aemulatus est*, referens Syrus, *homo* [illegible] *aemulari me fecit a juventute mea*, ac, forte hoc ipsum *aemulari* spectante Hieronymo, Vulgata, *homo agricola ego sum*, *quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea*. Chaldaeus, אקנני, quod fere intelligunt, *homo a pueritia mea possessorem me fecit* agri, (hoc quid est? agrone illum a pueritia donavit?) alii, de diversissimo vitae genere cogitantes, *homo docuit me, ut essem pastor*, sicque fere et Menachem, ut sit denominativum a מקנה grex. Recentiores plerumque, *homo me possedit a pueritia mea*, mancipium fui: at rustici Israelitarum non mancipia, sed liberi erant. Facilis et apta filo orationis prodibit sententia, si aliter divisis literis legas, אדמה קנני, de qua vide sub קנן dicenda.

Job. XXXVI, 33. מקנה quod alias gregem significat, cum nimis humile videretur, nec dignum praecedente amico, *indicat illi amicum suum et gregem*, peculium vertere solent: *indicat fulmini amicum suum et peculium.* Sic tamen רעו ומקנהו scribendum fuisset. Veteres varie. Mutatis

tatis punctis et constructione, מַקְנֶה אַף עַל עוֹלֶה haec prodibit sententia: *indicat illi* (fulmini) *amicum suum*, (inviolabilem illi ac sacrum) *rependit iram sceleri.* Nempe قنى inter alia est, *rependit pro merito*, proprie, *possidere eum fecit, quod debebatur.* Frequens Orientalibus poenas cum eo quod adquirimus lucramurque comparare: كسب *adquirere, lucrari*, in Corano saepe de peccatis ponitur, quae committentes poenam promerentur, ut Sur. IV, 111. وَمَن يَكْسِبْ إِثْمًا فَإِنَّمَا يَكْسِبُهُ عَلَى نَفْسِهِ *qui adquisiverit*, vel, *lucratus fuerit iniquitatem, adquirit illam super animam suam*, (ipse poenas dabit) v. 112. *et qui* يكسب خطيّة او اثما *lucratus fuerit peccatum aut iniquitatem, et conjecerit in alium, ipse portabit.* XXIV, 11. *unicuivis viro ex illis* erit, vel rependetur, ما اكتسب من الاثم *quod adquisivit iniquitatis* XXXIII, 38.

2274. קִנְיָן *creatura.* Ps. CIV, 24.

קִנְיָנֶךָ malim vertere, *creatura tua, rebus a te creatis et formatis*, quam, ut solent, *possessione* vel *peculio tuo:* praeiveruntque mihi LXX ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτίσεως σου, exque illis Arabs, من خليقتك. En filum orationis: *quam multa sunt opera tua, Jehova, omnia sapienter fecisti. Plena est terra creaturis tuis:* nihil hic de adquisitione, possessione, peculio, sed de formatione ac creatione rerum omnium.

2275. קִנְיָן vel קִנְיָן *peculium* Zach. XIII, 5.

Pagina jam 2196. dixi, malle me hic aliter dispertitis in voces literis legere, וְאֲדָמָה קִנְיָנִי מִנְּעוּרָי. Sic קִנְיָן vel קִנְיָן erit, *peculium*, nec conjectura aut adliteratione ex קנה dicta, sed a قِنّ *proprium pleno jure possessum*, seu, ut lexica de mancipio habent, *qui totus ab hero possidetur, matre et patre servus.* Sic omnia perspicua, favetque filum orationis: *vir colens agrum ego sum, ager enim fuit peculium a pueritia.* Radicem קנן hic significationem sumsisse mutuam a קנה, credo, sed nolui conjectura ad eam devenire.

2276. קֶנֶץ, קִנְצֵי Job. XVIII, 2. *laquei, tendiculae.*

Rabbinos sequuti lexicographi, atque adeo, quod mirere, etiam qui post Schultensium scripserunt, meliora docentem, ad קֵץ, finis refe-

ferunt, ut sit קנצי pro קצי per Chaldaismum, vertique jubent, *quando finem facietis*. Id quidem plures ob caussas displicet. Primo est haec compensatio Dages fortis soli Chaldaicae linguae peculiaris, Hebraeis insolentior. Deinde עד אנה, non est, *quando*, sed, *quousque*, ut ergo haec exeat sententia: *quousque finem non imponetis verbis*, scribendum fuisset עד אנה לא תשימון קנצי למלים. Denique non video, cur non, ut solet, singulariter קץ, sed pluraliter, *fines*, scribatur. Veterum si qui praeivisse sententiam videri possint, LXX sunt et Vulgata, sed ita, ut Hebraicis illos comparanti incertum adhuc videatur vocabulumne, de quo quaerimus, *finem* reddiderint? cui voci Hebraicae quaeque graeca aut latina respondeat: *μέχρις οὗ οὐ παύσῃ; usque ad quem finem jactabitis verba*.

Arabibus, ut recte monuerat Schultensius ad hunc locum, قنص est, *venari*, *insidiis capere*, قنص et قنيص *praeda venando capta*, مقنص *laqueus*, (exempla dabit Castellus) hinc קנץ *laqueus*, et עד אנה תשימון קנצי למלים vertendum, *quousque laqueos tendetis verbis*, aliis verbis, *quousque verba venaberis*, *inque illis disputandi quaeres et obloquendi occasionem? Intellige nos, nec in alios sensus verba detorque: postea colloquemur*. In rei summa consentiunt, nec tamen laqueorum nomen posuerunt, sed solum contradictionis, Syrus et Arabs, ܗܦܟܐ, خلاف. De statu constructo hic non obstante praepositione posito, vide grammaticam Syriacam §. 128: in Hebraica, si prodierit, viginti hujus constructionis exempla dabo.

Amos VIII, 1. LXX. כלוב קיץ *ἄγγος ἰξευτοῦ*, *vas aucupis*, reddentes, קנץ legisse videntur: nullus tamen ita codex. Vide p. 1273.

2277. קֶסֶם *divinatio*, *jusjurandum*.

Divinandi notionem cum verbum tum nomen habere videtur, a *secando*, quod Arabibus قسم et قشم significat, ita ut propria vis nominis sit in extispicio. Idem autem قسم pluribus in conjugationibus est, *jurare*, indeque قَسَم, قسامة, et تقسيمة *juramentum*, *jusjurandum*, nempe quod per dissectarum victimarum partes transirent ju-

jurantes (*): qua notione et קסם accipio, Prov. XVI, 10. *jusjurandum est super labiis regis, non ergo credendus est praevaricari in judicio.*

2278. קָעָה.

ותקע Genes. XXXII, 26. de quo sub. יקע num. 1046. actum, Samaritanus interpres ad radicem Samaritanam קעה refert, vertens וקעת. Est ea in lexico Castelli Samaritano omissa, nec de significatione quidquam certi habeo: indicandam tamen censui. Alii forte ex versionibus Arabico Samaritanis lucem ei adfundent.

2279. קִפּוֹז Jes. XXXIV, 15.

De בקע agens, sperabam de קפוז aliquid certi adferri, hisque addi posse, quae copiose pro serpente jaculo contra hericium disputavit Bochartus Hieroz. P. II. libr. III. c. 11. sed video rem dubiam manere. Hericii nomen cum Arabes, ut ex itinerariis novimus, et قنفذ scribant, et قنفد, Hebraeis quoque קפוד et קפוז potuerit nomen ejusdem animalis esse: Bocharti potissimum argumentum, in eadem serie contextus a Jesaia proponi ut diversa, (p. 409.) nonnihil varietate lectionis labefactatur, sex codicibus קפוד pro קפוז habentibus. Ergo ignoscant lectores nihil certi adferenti, sed dubitanti.

2280. קָפַץ.

De verbo copiose egit Schultensius ad Job. XXIV, 24. ex usu Arabum docens, proprie esse, *constringere*, sed inde latius transferri.

Saliendi notionem, quam Cant. II, 8. atque apud Chaldaeos habet, literarum ז et ץ permutatione videri possit accepisse, est enim Arabibus قفز *salire, subsilire.*

2281. קִצְבֵי הָרִים Jon. II, 7.

A قصب *secuit* Arabes et excavata dicere solent, ut, *arundinem, fistulas quibus canitur, tibias*: peculiariter vero قَصَبَة est *fistula seu canalis aquam diffundens*, quin et ipsi ita dicuntur a natura facti canales, per quos aqua fluit, fontes, scaturigines, ut قصب البطائح *canales paludum*; ut Golius explicat, *aquae confluentes ad puteorum fontes.* Hinc mihi קצבי הרים esse videntur *canales montium*, i. e. fontes ex montibus in mare erumpentes: fingunt poetae, ex promontoriorum fontibus mare oriri, Ps. XVIII, 16. אפיקי ים *fontes maris* dicuntur. — —

LXX.

(*) Jerem. XXXIV, 19.

LXX. σχισμὰς ὀρέων, *fissuras montium*, verterunt, literaliter ex etymologia, nec tamen adparet, quae illae sint fissurae montium, ad quas mari mersus descenderit: Chald. et Syr. *fundamenta montium*, et hi in rei summa vere, mihique consentientes, sed unde fundamenta קצבי dici potuerint, non adparet: Vulgata, *ad extrema montium*, legensne, ut duo habent codices Kennicottiani, ex quibus 394 perantiquus, קצוי? Possis et vertere, *resecta*, *abscissa montium*, *promontoria abrupte in ima maris descendentia*. Hoc inter, et fontes, ambigo.

2282. קָצָה.

Sub has literas plures coiisse radices suspicor unde diversae significationes et verbi et derivatorum nominum.

1) قصا pro قصو *procul distitit*, *longius recessit*. Hinc est, קַצְוֵי ארץ *remota terrae*.

2) *Amputandi* significationem, quam ei tribuere solent, si habet, mutuatur a קצץ. Dubiis tamen exemplis nititur. Referunt illuc Habac. II, 10. קְצוֹת גוים רבים, sed si puncta sana, mallem ex significatione tertia, *abradere gentes multas*, quam, *amputare*. Veteres quidem omnes, sed perquam varia ac diversa interpretatione, pro verbo secundae personae habuerunt, latinus, quem exempli caussa pono, quod ab amputandi notione proxime abest, *concidisti populos multos*: hi ergo קְצוֹת adpellatum, ad radicem קצץ retulerunt, non ad קצה. Prov. XXVI, 2. quod recentiores habent, מְקַצֶּה רגלים *amputat sibi pedes mittens verba per stultum*, parum probabile aut concinnum, ac ne SIBI quidem in Hebraicis legitur, sed addiderunt de suo interpretes. Veterum sane nullus praeivit, licet nec quae illi habent, excepto latino, satis expedita, ut Graecorum, ἐκ τῶν ἑαυτοῦ ὁδῶν, Syri, ܡܢ ܬܚܝܬ ܪܓܠܗ ܫܬܐ ܥܘܠܐ (*de sub pede suo bibit iniquitatem*) Chaldaei, *qui currit pedibus suis bibens iniquitatem*. Videbis, tres hos interpretes, alias tam concordes, hic valde laborasse, unde factum, ut contra morem in diversissima abirent. — — Haec ergo notio forte ex lexicis eliminanda.

3) Levit. XIV, 41. in הִקְצִר et v. 43. הִקְצוֹת sine dubio est, *radere*, *abradere calcem parietis*, idem quod קָצַע cum in eodem capite, tum apud Chaldaeos. Hic quis dubitet, quin aliquando tertia rad. ע in ה transie-

transierit, plane ut Syris utrumque, ܩܨܐ et ܩܨܝ est, *fregit.* Hanc significationem et ad Habac. II, 10. transtulerim, si lubeat puncta sequi, קְצוֹת, verterimque, *abradere gentes multas:* sed praeplacet ibi aliis punctis lectum קְצוֹת.

4) מְקַצֶּה רַגְלַיִם Prov. XXVI, 6. passive, ut mihi videtur, מְקֻצֶּה adpellatum, Vulgata vertit, *claudus pedibus.* Quid spectans Hieronymus, aut quem ducem sequutus, id fecerit, ignoro, erraverit forte, claudumque putarit amputatum pedibus dici. Sed hoc utcunque sit, optime possit ex aliter scripta per Dad Arabum radice claudus esse: قَضِيَ est *corruptus fuit, flacciditate laboravit,* قَضَاءَة *vitium,* hinc מקצה רגלים *laborans pedibus, vitiosus pedibus, flaccidus pedibus.* Egregia sic prodit sententia: *claudus pedibus, sed sitiens injustitiam, per stultum mandata exsequitur,* aliisque per illum nocet, cum ipse nocere non possit. Nil melius aut verisimilius cum se offerret, in versione Germanica sequutus sum.

2283. קצף, *iratus fuit, iras concepit, fregit* &c.

Irascendi notio verbo, atque *irae* nomini קֶצֶף certa et indubia, licet praeter Chaldaicam nulla illam lingua Orientalis habeat. Forte et Aethiopes chamaeleoni nomen קצף ab iracundia indiderunt, quam colore mutato prodit. Reliqua quae habent lexicographi, *efferbuit, ferbuit, aestuavit, spumavit,* conjecturae sunt etymologicae, nullo usu linguarum sororiarum, nec exemplo usus Hebraici certo firmata.

Mirum, quam in diversa hic reliquae abeant linguae Orientis. Arabibus قصف est, *fregit,* qua significatione sub sequente קָצַף utemur, pluraque de illa dicemus: قضف *gracilis corpore et tenuis fuit.* Syris ܩܨܦ *invidit, parcus, avarus fuit,* et ܩܘܨܦܐ *cura, solicitudo, moeror.*

Suspicaberis aliquam primam notionem esse, ex qua haec omnia fluxerunt, sed nobis ignotam, quamque audax sit conjectura persequi. Ipsa *irarum* notio unde orta, latet. Conjecturae locus si detur, a *frangendo* sonum quoque fractae rei, *fragorem,* aut fractionem a *fragore* dixerunt Arabes, habentque eorum lexicographi, sed exemplis non additis ne a Castello quidem, قصف *vehemens sono fuit ventus, et fragore tonitru,* atque ad vocem etiam animalium translatum, *valide hinnivit equus,* et

et قصعة *mugitus cameli vehementior.* Dictane ira ab *increpando, a fragore?* Sed haec incerta, ut multa etymologica: manum de tabula! malim aliquid ignorare.

2284. קֶצֶף Hos. X, 7. *navis fracta:* item קְצָפָה.

Nulla si lexica, nullos si commentarios haberemus, nulla puncta masorethica male posita (*), haec Hoseae, נִדְמֶה שֹׁמְרוֹן מַלְכָּהּ כְּקֶצֶף עַל פְּנֵי מָיִם ex Arabico قصف facile intellecturi eramus, *similitudine exprimamus Samariam! rex ejus est, ut navis fracta in superficie aquae.* قصف est, ut jam monuerunt lexica Arabum, *fregit navim quassando ventus*, exemplique loco addo Sur. XVII, 71. (al. 70.) فنرسل عليكم قاصفا من الريح *ne immittamus frangentem ex ventis, atque submergat vos:* hinc קֶצֶף erit, *fracta vento navis, sed mari adhuc temere innatans, ein Wrak* germanice dicimus.

Miror, neminem hoc veterum praeivisse. In diversa abeunt. Φρύγανον LXX habent et Theodotion, quod Hieronymus interpretatur in commentario, *cremium, aridas herbas siccaque virgulta quae camino et incendio praeparantur:* possent quidem ejusmodi virgulta a frangendo dici, sed quid illis cum aqua? Proximus tamen his et Syrus, ܦܐܪܐ *festucam, sarmenta* habens. Symmachus ἐπίζεμα, *volens*, ut addit Hieronymus, *ostendere ferventis ollae superiores aquas, et in spumam bullasque surgentes, quas graeci πομφόλογας vocant.* Hoc sequutus Hieronymus in Vulgata, *quasi spumam* reddidit, eodemque redit Chaldaeus, רוּתְחָא, proprie *effervescentiam* significans, sed a Judaeis de *spuma* accipi solitum. Hinc spuma in lexica nostra recepta, estque sane sarmentis verisimilior explicatio: nimis tamen momentaneae bullae, ac spuma irrati maris, terribilem potius nobis offert, quam caducitatis imaginem, sed quod maxime obstat, *fervendi* notioem nulla lingua orientalis sub his radicalibus habet, sola conjectura inventam.

Ab hac frangendi notione et ortum, קְצָפָה συγκλασμός, Joel. I, 7. sed de hoc vocabulo non ago, occupavit enim dicenda Bochartus Hieroz. T. II. 469. adque eum jam recte Simonis ablegavit.

(*) Vide biblioth. Or. priorem T. XIX. p. 183.

2285. קֹרֵא 1 Sam. XXVI, 20.

קֹרֵא *meropem* esse *apiastrum* Linnei, verisimillimum fecit Oedmannus, in, *Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heiligen Schrift*, fascic. II. cap. 5. cujus excerpta dedi in biblioth. Or. nova T. V. p. 15–22. hic non repetenda. In altero loco, Jerem. XVII, 11. incertum, sitne קֹרֵא nomen avis, (apiastri) an verbum, ut vertunt LXX. ἐφώνησε πέρδιξ. Vide scripta pag. 396. Avis si nomen, adcuratius adhuc inquirendum, fureturne aliena ova apiaster, illisque incubet: quod quidem satis verisimiliter sumit Oedmannus.

2286. קִרְיָה Hos. VI, 8.

Vix probari auribus potest, *Gilead est urbs maleficorum* (גלעד קִרְיַת פֹּעֲלֵי אָוֶן) regionem enim quis urbem aut civitatem dixerit? قرو Arabibus peculiariter de fluente et confluente aqua ponitur, unde قَرْيَةُ الما *confluxus aquae*. Vide Amralkaisi Muallakam a Lettio editam, p. 48. in nota ad versum 2. paginae subjecta. Hinc expeditius vertes, *Gilead est confluxus seu colluvies maleficorum*. — — Fateor tamen, et consvetae significationi nominis קריה locum esse posse, si גלעד non regionem, Gileaditidem interpreteris, sed urbem regionis primariam Mitzpam. Sic quidem Jud. XII, 7. (בעירי גלעד legentes) accepisse videntur LXX et Vulg. ἐτάφη ἐν πόλει αὐτοῦ Γαλαάδ, *sepultus est in civitate sua Galaad*. Saepe metropolis apud Orientales, Arabes maxime, nomen regionis sibi adsciscit.

Urbibus quoque nomen קִרְיָה a concursu vel confluxu hominum inditum reor.

Caeterum קריה majus quid Hebraeis sonat, quam Arabibus, Syrisque, quibus قَرْيَة et ܩܪܝܬܐ plerumque, pagus: Hebraeis enim de urbe, et vero adeo primaria ac munita poni solet, ut Jes. XXVI, 5.

2287. קִרְיָתַיִם Num. XXXII, 37. Jerem, XLVIII, 1.

Urbs, olim ut videtur Basanitidis, a Mose Rubenitis concessa, Jeremiae tempore Moabitarum, incertum ubi sita. Est aliqua hujus nominis urbs in Arabia intima, quam d'Anville habet sub long. 61. lat. 24. eamque Mosaicam facit Büschingius (*): nimis tamen esse remota videtur. Alium

(*) Erdbeschreibung Asiens Ed. II. p. 502.

Alium inveni ejusdem nominis nunc vicum, olim urbem, in deserto Palmyreno, non procul a ruderibus Palmyrae, quem his verbis descripsit Woodius, *in Ruins of Palmyra p. 34. pervenimus Carjeteinam. Hic vicus paulo major, antea memorato: habet et fragmenta marmoris, ex antiquis aedificiis residua, columnas ac capitula Corinthii ordinis, duasque inscriptiones graecas mutilas* (*). Ergo olim urbs fuisse videtur. Est proxima a Palmyra statio. Hanc קריתים Mosis et Jeremiae esse suspicor.

Miror, virum doctum, meorumque scriptorum lectorem, qui Bachieni geographiam germanice vertit, Büschingianam sententiam mihi tribuere (**): retuleram ut Büschingianam, sed ipse aliam ut meam dixeram.

2288. קְרְחָה *vulnus*, *stigma* Deut. XIV, 1.

קרחה *calvitiem* esse, non nego: sed loco quem citavi haec notio vix apta, *non ponetis calvitiem* INTER OCULOS *vestros propter mortuum.* Supercilia qui radit, non *inter oculos*, sed *super oculis* calvitiem facit. Malim ergo, *vulnus* interpretari, ex Arabico, قرح *vulneravit*, قَرْح *vulnus, cicatrix*: sive, *puncta inusta*, *stigmata*, ex Syriaco, Chaldaicoque ܩܘܪܚܐ, קרוחין quod Genes. XXX, 32. pro Hebraico נקודים *punctis notatae* ponitur.

Syrus habet ܟܘܝܬܐ, cuperemque et Hebraice קרחה legi, quod egregie locum tueri, et *inustionem*, *stigma inustum*, verti posset: sed nullo in codice haec hucusque lectio inventa. Ergo potius Syriacum ܟܘܝܬܐ elegans lapsus librariorum, pro ܩܘܝܬܐ.

2289. קָרַם Ezech. XXXVII, 6. 8. *induxit* (e. g. humano corpori cutem.)

Verissima, ut mihi videtur, explicatio, sed de ea conqueritur Schultensius in notis ad Hamazam p. 588. *quis color orationis? et quid valuit proprie* קרם? *dicemusne, applicare? circumplicare? an, obtendere, circumtendere? an potius, obvolvere.* Vult ergo ad قرم *secuit*, *incidit*, referre, pergitque: *omnia ista vanescunt ad nostrum incidere, insecare, indeque porro obvincire et circumstringere membratim, atque articulatim.*

Mihi

(*) Vide et *Brucii travels to discover the source of the Nile*, p. 56. introductionis.

(**) in nota ad §. 805. Tomi II. Vol. IV.

Mihi vero haec nimis videntur artificiosa: consveta explicatio linguae Aramaeae debetur, uterque etiam Aramaeus interpres, Chald. et Syrus, verbum אקרום עליכון hic retinuit. Syris ܩܪܡ est, *incrustare*, *obducere*, e. g. *aere*, *auro*. Vide lexicon Syriacum.

2290. קֶרֶן *collis* Jes. V, 1. *angulus altaris*, *compar*, *taurus*.

קֶרֶן *cornu*, i. e. *eminens*, in quo vinea plantata, Jes. V, 1. ex Arabico قَرْن interpretor, in Golii lexico, *vertex montis*, *et parvus collis*, *ab aliis seorsim exstans*. Praeivit illustrationem ex Arabia Simonis, sed *jugum montis alte exsertum*, contra vinearum naturam vertens, atque adeo, incredibile dictu, ex Helvetogermanica lingua adferens summarum Alpium nomina, *Schreckhorn*, *Buchhorn*, in quibus nemo quidem vineam plantare susciperet. Haec Alpium cornua qualia essent ignorasse videtur, ac sola eorum nomina legisse.

קרנות המזבח non *cornua altaris* intelligo, quae nullum in usum illi dantur ac contra morem aliorum altarium: haec inutilia et monstrosa cornua si habuisset altare holocausti, Mosis fuisset, ea describere, addita etiam mensura. Sunt potius, *anguli altaris*, omnes enim extremitates *cornua* dicuntur Orientalibus. Κεφαλὴ γωνίας Act. IV, 11. Syro interpreti est, ܪܝܫ ܩܪ̈ܢܬܐ, ἀκρογωνιαῖος Eph. II, 20. ܪܝܫ ܩܪ̈ܢܬܐ, Arabe Erpenii Syriaca reddente, راس ركن *caput anguli*.

Pro קרע Jerem. XLVI, 20. in codice Kennicottiano 129 קרן legitur. Non probo aut praefero unius modo codicis lectionem, explico tamen. قَرْن est *compar*, a duplici cornu ducta notione, et قِرْن *animal*, *quod alteri jungitur*. Sic cum Aegyptus vaccae pulcrae comparetur, קרן erit, *taurus qui ei jungitur*: solebant ita taurum et juvencam jungere, ut taurus sequeretur vaccam adpetens, quae praeibat, quod ζευγος dicunt. Veniet juvenculae taurus a septentrione.

2291. קרע Ps. XXXV, 15. Jerem. II, 30.

Ps. XXXV, 15. קרעו ולא דמו eleganter Chaldaeus vertit, *cum lacerant cutem meam*, *non fuderunt sanguinem*, his vocalibus substratis, קָרְעוּ וְלֹא דָמּוּ. Nempe قَرَعَ *percussit*, Arabibus peculiariter de flagelli ictu accipitur, ut ex poetis memini, licet in lexico non inveniam, unde

unde قرعة *flagellum.* Voluit ergo, *flagelli ictum impingunt, ictum, cujus nullus sanguis sequitur.* Ictus non cruenti, vulneribus oppositi, hic quidem erunt, *calumniae.* Sequutus sum in versione germanica, *unbekannte geben mir unblutige Wunden.*

Jerem. IV, 30, תקרעי בפוך עיניך vertere recentiores solent, *laceras oculos tuos stibio*, quod asperum dictu: mallem equidem pinguendi significatu accipere, quem praeivit Vulg. *si pinxeris*, itemque LXX. ἐγχρίσῃ στίβῃ ac vertere, *si pinxeris vel variegaveris oculos tuos fuco.* Samaritanis קרוע *variegatus, punctatus.* Variegatus color a قرعة *sorte*, nomen acceperit, bacillis enim varii coloris sortiebantur.

2292. קרקר Num. XXIV, 17. Jes. XXII, 5.

Verbum, in quo interpretando ita dissident veteres, ut non scivisse, sed conjecisse videantur.

1) πλανῶνται in Jesaja LXX, quod quomodo ex קרקר effici possit, non adsequor.

2) Vulg. Syr. Chald. in Jesaia in *scrutandi* significationem consentiunt, linguis Orientalibus ignotam.

3) LXX in Num. προνομεύσει, sicque et Vulg. *vastabit.*

4) Ibidem Arabs Polygl. يزلزل *commovebit, tremefaciet.*

5) Ibidem Onkelos, Syrus et Arabs Erpenii, *dominabitur*, quam significationem (mirum dictu) ex analogia fidei probavit Castellus, contulitque cum Graeco Κύριος. Hoc retulisse, id est, refutasse. Ex graeca lingua quis explicuerit obscura sibi Hebraica.

6) Jam Abenesrae et Kimchio est denominativum a קיר, *pariete*, *parietem evertere*, idque, ut verisimilius recentiorum plerique sequuti.

7) Verisimilius adhuc ad קור *fodere* relatum explicat Simonis, *suffodit, exscidit, evertit*: unum obstat, quod קור non nisi apud solos Hebraeos de effossa aqua ponitur, denominativum a מקור. Arabibus quidem قرقر *de claro sono et vehementiore, tonitru* etiam, poni solet: Syris Chaldaeisque de sono usurpatur, his quidem, maxime corvorum. Hunc linguae Arabicae usum si conjecturis praeferas, Num. XXIV, 17. vertes, *tonitru perstrepet omnes aedificantes firma fundamenta*, et Jes. XXII, 5. *populi a Cyro fluvio* (vide num. 2265.) *barritum bellicum tollunt*,

tollunt, apte sequenti membro, *et clamor*, vel etiam mutatis vocalibus וְשָׁרַע *et clamant contra montem.* Utrumque membrum de clamore bellico aget oppugnantium.

מִקְשָׁה quaere sub מִקְשָׁה num. 1674. מִקְשָׁה.

2293. קְשִׁיטָה Genes. XXXIII, 19. Job. XLII, 11.

Nomen, de quo multum disputatum est, maxime inter Bochartum et Spanhemium, ambigente adeo Jobi commentatore, Schultensio, non nisi bis occurrit, in Pentateucho Jobique libro, id est, ut ego quidem censeo, in scriptis Mosaicis, estque Mosi peculiare, et vero Mosi, non de suo, sed de antiquiore tempore loquenti, quod ad interpretationes dijudicandas non parum valet. Jam pretium agri, jam donum, nec vile aut mediocre. Sola illud Samaritana versio servavit, utrum, quod interpretationem certam et veram desperabat is qui Pentateuchum vertebat, an, quod linguae Samaritanae adhuc usitatum et vernaculum erat? Rabbi sane Akiba, ut postea videbimus, narrabat, se illud audivisse in tractu maritimo: Samaritani ortu maximam partem Sidonii. Caeterum nulla, nec in Jobo nec in Pentateucho vel minima varietas lectionis.

Antiqui pene omnes in *agnos* consentiunt. Sic Genes. 33. praeiverunt LXX ἑκατον ἀμνῶν. Suspicabatur quidem pater meus, eos ἑκατον μνῶν *centum minis* scripsisse: sed haec correctio μνῶν pro ἀμνῶν substituens, utcunque alio loco Genes. XXXI, 7. verisimilis, hic tamen locum vix tueri potest, plerisque interpretibus antiquis, *Onkeloso*, *Syro*, *Vulgata*, *Arabe utroque*, agnos habentibus. Sic et Jobi XLII. vertunt, LXX ἀμνάδα μίαν (ubi nullus variae lectioni, minaeque, locus relinquitur,) Chaldaeus, Syrus, Arabs, Vulgata.

Auctoritate ergo si certetur facile oves vicerint: sed multa sunt, quae illis obstant. In codice sacro cum innumeris locis ovium mentio injiciatur, nullibi, ubi illa indubia, קְשִׁיטָה oves vocantur: nec alia ulla lingua Orientalis ovem hoc nomine adpellat. Sumitur ergo significatio nulla philologiae ope ex sola conjectura. Verum haec ipsa conjectura ne locis quidem Pentateuchi et Jobi apta. In pentateucho pretium agri *centum . . . . (agni.)* Hoc forte interpretibus antiquis conjiciendi occasionem dedit, recordatis, olim pecudes pro pecunia fuisse. Vide *Crusium de origine pecuniae a pecude.* Ita si rationes subducebant, magnopere errarunt, ex aliarum regionum et gentium mercatu de Palaestina conjecturam facientes: primi enim, qui argento pro pecunia usi sunt, Phoeni-

nices, jamque adeo Abrahami tempore ager et ſpelunca *argento adpenſo* emebatur. Geneſ. XXIII. Vide jus Moſaicum §. 82. Sed accedit, quod totam interpretationem jugulat: centum oves pretium nequeunt eſſe agri ſuburbani, digni, qui in hiſtoria commemoretur. Nec reponendum, pretia rerum olim modica fuiſſe: ita eſt, ſi auro argentoque penderentur, cujus olim parum ex terrae viſceribus erutum, neutiquam, ſi pecudes pro pecunia eſſent, ovium enim Palaeſtina Jacobi tempore haud inops erat, ſed potius multo, quam nunc Germania, atque ipſa adeo Anglia et Hiſpania ditior, Nomadibus eam pererrantibus, ingentesque ovium greges alentibus. Centum ergo oves Jacobi tempore multo minus valebant, quam noſtro. Nec donum placet, viro inſigni olimque perdiviti, ab opulentis amicis oblatum, OVIS.

Fuerunt ex Judaeis, qui ſuccurrerent, non ovem veram intelligentes, *ſed nummum figuram ovis habentem.* Satis veriſimiliter confictum, cum et *Cruſius de origine pecuniae* hoc olim ſignum nummis impreſſum probet. Sed nova ſe difficultate induunt: quis enim ſibi perſvadeat, illo jam tempore *nummum ſignatum* fuiſſe, cujus nulla deinceps in toto codice ſacro ante reditum ex Babylone mentio, ſed ſemper *argenti adpenſi.* Vide jus Moſaicum §. 82. Nec philologia duce oſtendunt, qui ita ſuccurrrunt, קשיטה ulla in lingua Orientis ovem fuiſſie.

Proxime ab his abeſt THOMAS HEATH in, *Eſſay towarsds an Engliſh verſion of the Book of Job*, p. 31. 32. vitae Jobi libro praemiſſae. Nummum eſſe vult, imagine arcitenentis expreſſum, id eſt, *Daricum* (Δαρεικον) Perſarum, dictum a קשת, a quo nomine, litera ת in ט mutata, Syri ſagittarium ܩܰܫܳܛܳܐ vocant. Manifeſti erroris rea videbitur conjectura, recordato, nomen in libris Moſis legi, quo tempore nulli certe Darici. Cupido, librum Jobi ad exſilium Babylonium deprimendi eam Heatho, viro ingenioſo ſed parum docto, ſuggeſſerat.

מרגלין, incertum, utrum margaritas, an gemmas, nomen enim et has et illas ſignificat, habent duo Chaldaei ſequiores: hi quoque, quantum video, ex ſola canjectura, non mala quidem, ſed tamen nihil philologici praeſidii habente.

Equidem pondus aliquod argenti intelligo, Jacobi tempore in Palaeſtina et Damaſcene uſitatum, ſed de cujus quantitate nihil ne conjicere quidem licet, cum Moſes illud in pondera Iſraelitarum non receperit. Solum ex veteribus conſentientem laudare poſſum Stephanum, qui Act. VII, 16, ſui

sui temporis versionibus, Graecae et Chaldaicae; contradicens, ὁ ὠνήσατο, inquit, τιμῆς ἀργυρίου. Rationes ita sentiendi philologicas, (de historica, quod argentum jam tum in Palaestina pro pecunia, supra dictum) has habeo.

قسط Arabibus quidem duplicem significationem habet, *deflectendi a justo*, et *justi*: quae antiphrasis unde orta, non pro certo dixerim. Suspicor quidem, cum soleant Arabes unius literae sono variato antiphrases habere, hicque Hebraei קֹשֶׁט per Schin, *veritatem*, et קְשִׂיטָה per Sin habeant, forte olim et Arabibus duplicem literae س adpellationem fuisse, ex quarum una verbum significabat *rectum*, et altera, *deflectens*. Sed hoc utcunque sit, etymologica enim minus quam ipsas significationes curo, certum est, sive ab inclinatione bilancis, sive a rectitudine, Arabibus قِسْطٌ esse *stateram*. Idem nomen et significat *mensuram* aliquam *aridorum*: atque inde verbum in quinta conj. تَقَسَّطَ *partiri inter se portionibus aequalibus*. Hinc faciunt Arabes, قِسْطَارٌ *statera major*, et قُسْطَارِيٌّ *nummularius*. In lingua Syriaca ex hac radice remansit ܩܣܛܐ *urceus*, *urna*, Exod. XVI, 33. pro Hebraico צִנְצֶנֶת positum.

Ergo *pondus* intelligo, argenti, quantum, nescio, non siclum, non minam, non talentum, sed eo tempore in usu. Thalmudici quidem referunt, (Berachoth Rabba Sect. 79. in fine) Rabbi Akibam dixisse, *cum proficiscerer in Africam*, (vel, secundum alios, *ad litora maris) vocabant pecuniam* קְשִׂיטָא. *Quid inde fructus? nempe explicari inde potest*, מאה קְשִׂיטָא *in lege*. Akiba si vera dixit, si mentitus non est, Poeni Africani ejus adhuc tempore vocabulum Cananitarum antemosaicum retinuerunt: Israelitis periit, quod Moses gera, siclo, talento, contentus reliqua Phoenicum pondere prudenter non recepit.

Jam facile, Bocharti et Spanhemii lites expedire, utroque non inter *argentum, quod pro pecunia est*, et, *nummum signatum a magistratu*, distinguente. Sed has magnorum virorum lites et peccata non attingo.

2294. קֶשֶׁת *arcus*.

Femininum faciunt lexicographi, fuerunt tamen, qui vellent et masculine sibi reperisse visi Ezech. I, 28. communis generis facere, sed contra hos

hos monuit pater meus p. 36. dissertationis de soloecismo generis, verbum masculinum יהיה, non cum קשת, sed cum מַרְאֶה construendum esse. Recte ille quidem, sed de hoc exemplo utcunque sit, ex regula קשת esse debet generis communis, ת enim in plurali servatum, radicale est, קֶשֶׁת, קְשָׁתוֹת, quaeque nomina in singulari masculinam, in plurali femininam terminationem habent, generis communis sunt. Ex hac quidem sive lege sive licentia construi mihi masculine videtur, 1 Sam. II, 4. קשת גבורים חתים *arcus fortium iners factus est*. Vide num. 889.

Est tamen, cum in hanc de genere disputationem inciderim, monendum, etiam Arabum قوس, *arcus*, quod masculinam terminationem habet, feminine construi Genes. VIII, 13. 14. 16. Frequens id in armorum nominibus, ut, חֶרֶב *gladius*.

Arabes cum sine ת habeant, قَوْس, dubium, unde ת et vero radicale, nomini Hebraico et Syriaco ܩܫܬܐ accesserit. Verbum קָשַׁת linguae Orientales non habent, si a Syriaco, sed denominativo, ܩܫܬ, *arcu jaculatus est*, discesseris. Quae ergo Hebraici nominis origo? Conferunt aliqui cum קֹשֶׁט *rectitudo*, pro his dici potest, Syros pro ט substituentes ת habere ܩܘܫܬܐ veritatem. Sed haec dubitans scribo. Alia habet Simonis, expendenda, non a me compilanda.

2295. ראובן, vel, ראובל Genes. XXIX, 32.

רְאוּבֵן adpellative foret, *videte filium*. Id nec concinit explicationi nominis Mosaicae, *vidit Deus miseriam meam, jam amabit me maritus meus*, nec illi, quam Josephus dedit, Ant. I, 19, 8. *quod per misericordiam Dei hoc ei evenisset*, adscribens adeo, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ὄνομα. Nihil omnino de Deo nomen habet; nisi, ראובל efferas. Sic quidem codex nullus, at LXX semper Ῥουβῆλον vocant, sicque et Josephus, Syrus ܪܘܒܝܠ. Verior et antiqua nominis fuisse adpellatio videtur, nec quidem ab his ipsis interpretibus in suis codicibus Hebraicis lecta, sed usu quotidiano linguae servata. Sic pro mira nominum propriorum compositione et allusione ad plures radices, de qua in grammatica, compositum nomen ex, רָאָה *vidit*, et רָאַב, Arabice رأب *amicitiam conciliavit*: dei nomen in לְ superest, ראובל pro רְאוּבְאֵל. Biblioth. Or. prior. T. IX. p. 197.

2296. ראם *adglutinatus fuit, firmiter haesit, stabilis fuit.* Zach. XIV, 10.

Verbum lexicis nostris praetermissum, nempe, quod invita grammatica ad aliam radicem referunt. Semel occurrit Zach. XIV, 10. *Hierosolyma* וְרָאֲמָה וְיָשְׁבָה תַחְתֶּיהָ, ubi a verbo רום conceptum vertunt, *alta erit, habitabitque subter se* i. e. *in loco suo*, nec dissimulandum, veteres, Chaldaeum, Syrum, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Hieronymum, Vulgatam, satis jam unanimiter praeivisse, (LXX enim, quos omisi pro nomine proprie habuerunt urbis *Romae*.) Est tamen valde suspectum, nullo enim certo exemplo constat, Hebraeos mediam rad. Vau in praeterito Kal in Aleph mutare: faciunt id Arabes (قام pro قوم) sed in Aleph quiescens, non, ut hic est, mobile, nec ex omni Hebraismo vel unicum certum exemplum hujus orthographiae allegatur, licet eo tempore, quo Arabum lingua vernacula fuit Hebraeis, in nonnullas voces irrepserit. Hic vero vix ulla vitiosae scriptionis suspicio, omnibus codicibus Kennicottianis praeter unum, Aleph habentibus.

Vera si est lectio ראמה, optime verti poterit, (ut et in Germanica versione reddidi,) *firma erit, adfixa erit loco suo*, immobilis erit. Nempe hanc vim habet Arabicum رأم cum Aleph radicali, *adhaesit*, proprio vocis significatu, unde et رُؤْمَة *gluten* dictum, et verbum ipsum de vulnere *coalescente ponitur*, itemque de *consolidando*, de fune *firmiter contorto*. Vide Golium.

2297. ראמים *firma solida.*

Hoc vocabulum ex varietate lectionis Ps. LXXVIII, 69. nec ultra, occurrit: ubi enim nostri habent, *aedificavit sanctuarium suum*, כְּמוֹ רָמִים, *ut excelsum*, seu, quod potius mallem, כמו רָמִים *in excelso*, LXX et Hieronymus sine dubio ראמים legerunt, eo adacti, ut absurdiuscule verterent, ᾠκοδόμησεν ὡς μονοκερώτων τὸ ἁγίασμα αὐτοῦ, — — *et aedificavit in similitudine monocerotis sanctuarium suum*: quam et lectionem in duobus codicibus, 121 et 128. invenerunt Kennicotti collectores. Nec equidem eam consvetae lectioni praefero, meliorem tamen ejus versionem adscribo: *ut firma ac solida exstruxit sanctuarium suum, terrae simile, quam fundavit in aeternum.*

2298. רְאֵם, רֵים, רֵם *animalis nomen*, 1) *gazellae* 2) *animalis indomiti.*

Antequam ad nomen, de quo multum disputatum est, nemoque melius Schultensio scripsit, accedam, haec praefari necesse est: primo, esse illud Arabicae, Chaldaicae, Syriacaeque lingua cum Hebraica commune, atque in hunc usque diem Arabibus usitatum, deinde, quadruplicem ejus scriptionem esse, nulla prorsus repudianda. Nempe Arabibus رِئم est, per Jod, sed Hamza indicio, Jod ex Aleph ortum esse: jam in codice Hebraico cum novem omnino locis occurrat, Num. XXIII, 22. XXIV, 8. Deut. XXXIII, 17. Jes. XXXIV, 7. Ps. XXII, 22. XXIX, 6. XCII, 11. Job. XXXIX, 9. 10. scribitur,

1) רְאֵם Num. XXIII, 22. nulla, et Deut. XXXIII, 17. vix ulla lectionis varietate, non nisi unicus enim ex Samaritanis codicibus א omisit: Jes. XXXIV, 6. et Ps. XXIX, 6. exigua lectionis varietate quam sub numero 4. notabimus.

2) רֵים, ut praeter Arabes Chaldaei quoque et Syri nomen scribunt, רֵימָא, ܪܶܝܡܳܐ) Job. XXXIX, 9. 10. quatuor tamen codicibus, pro libertate orthographica orientalibus concessa Jod quiescens omittentibus, habentibusque.

3) רֵם, quod ipsum in textu legitur Ps. XXII, 22. רֵמִים, sed, ut jam in bibliotheca Orientali T. XII. p. 129. monitum, LXX, Vulg. Hieron. Chaldaeus, videntur ראמים legisse, idque in 36 codicibus Kennicottus invenit.

4) Denique utramque orthographiam conjungit textus Ps. XCII, 11. ראים exhibens, sed magna lectionis varietate, LII enim codices ראם habent.

Hanc lectionem ראים Jes. XXXIV, 7. unus, et Ps. XXIX, 6. duo codices habent.

Tertiae et quartae orthographiae non magna auctoritas, forte ergo ad vitia librariorum referenda: sed ראם et רים sine dubio, et vero indiscreta vocabuli significatione, in usu fuit.

Nunc de significatu, de quo qui disputarunt, non intellexerunt, duplicem et vero diversissimum vocabulo fuisse, Bochartusque adeo diversissima animalia, de quibus Arabum citata, et loca codicis Hebraici agunt, mira metamorphosi in unum coire jussit. Haec quidem nos sejungamus.

1) ראם

1) ראם *mite animal, gazella.*

رِئْم Arabibus sine dubio dorcadum species, minores et elegantiores, quas *gazellas* vocamus. Id quidem et lexica docent, *dorcadem albam* رِئْم explicantia, et eo collineant omnia, quae nomini ראם illustrando ex Arabia contulit Bochartus T. I. Hierozoici p. 961 – 963. (nisi quod male, contra historiam naturae, ex solo etymo a רום *altus fuit*, dorcades Asiae et Africae nostris putet majores et altiores, cum gazellae multo sint minores) denique et nuper ab Arabibus edoctus confirmavit Niebuhrius, in praefatione descriptioni Arabiae praemissa, p. XXXVIII. رِئْم *species est gazellarum albarum, ut mihi in urbe Haleb dicebatur, cujus tamen in vicinia eas non reperiri addebant.* Ergo nomen adhuc viget, nec quidquam aliud رِئْم Arabibus significare credo, cum Niebuhrius, ad quaestionem a me propositam Arabes interrogans, essetne aliquod indomitum et terribile hoc nomine animal, nihil responsi acceperit, nisi, gazellam albam esse, animal pacatissimum: nec ea, quae Schultensius p. 1115. commentarii in Jobum ex Arabum poetis attulit, satis probant, uspiam et de bubalis albicantibus poni. Syris etiam et Chaldaeis רימא et ܪܺܝܡܳܐ sine dubio pacatum animal, nec dubito, quin gazella, pro דישן poni solitum Deut. XIV, 5.

At in codice Hebraico vix unquam hac significatione occurrit, plerumque illi bestia est terribilis et indomita, unicum si locum exceperis Ps. XXIX, 6. cui timidiusculae gazellae, perquam aptae, *Libanus enim fulminum jactu exsultare* dicitur, *ut filii gazellarum.* Quo vel ipso loco si careremus, aut si quis illum de feroci bestia interpretaretur, dubium tamen esse vix potest, quin ראם, ut Arabibus, Chaldaeis, Syris, ita et Hebraeis gazellae nomen fuerit. Ad gazellam etiam retulerim Num. XXIII, 22. XXIV, 8. ubi cursus celeritas laudatur. Non nego, et bubalo aut quaecunque est ferox bellua, cursus celeritatem, sed certe non ea est, quae in gazella, solentque Hebraei a cognatis gazellis capreis et cervis, celeriter currentem describere: Vide Ps. XVIII, 34. 2 Sam. I, 19. II, 18. 1 Paral. XII, 8. Gazellae ad Euphratem, ad quem degebat Bileamus, frequentes.

Etymon non obscurum, sed dubium, copia enim laboramus, duplici se offerente: quo magis reprehendendi, qui invita grammatica et He-

Hebraica et Arabica ad radicem רום retulerunt. رَأَمَ cum Arabibus sit, *glutinari*, sive proprie, sive figurate *amore adglutinari*, valde amari, gazella dici potuit, sive a lapide glutinoso, qui in ejus corpore nascitur, (lapide bezoardico, de quo postea) sive ab amore, quod amabile est animal, puellis in oriente gratum, atque adeo poetis puellarum pulchrarum et amabilium frequens imago. Posterius praefero, cum et capreae simili etymo צבי dicantur.

2) ראם, *bellua ferox et indomita, verisimiliter bubalus in statu feritatis.*

De hac quidem aliorum sententias et suam copiose exposuit Bochartus hieroz. l. III. c. 27. sed ex quo ad rei summam veri et certi parum disces.

Plane repudiandi, qui fabulosam belluam, monoceroten, intelligunt, aut Germaniae olim, nunc rarum Borussiae orientalis ubi Lithuaniae conterminia est, urum *Auerochsen*, i. e. bovem taurum in statu naturae ac feritatis. Nec plus ad rem conferunt, quibus ראם *oryx* est, animal, ita male a veteribus descriptum, ut nuspiam in terrarum orbe reperiri nostro tempore possit, certe non in nostro, mare inter Atlanticum et Indicum forte: obscurum per aeque vel magis obscurum interpretatur, qui pro ראם dat *orygem*, si vel magnus, ut fecit, fecerit Bochartus. Ex nullo nobis recentiore naturae historico aut itineratore descriptionem, imaginem, hodiernum nomen, orygis dedit.

Unam optimam, et verisimillimam, ac prope certam interpretationem dedit, Albertus Schultensius in commentario ad Job. XXXIX. *bubalum ferum* intelligens, monensque, ex tota orationis serie liquere, ad *boum*, non ad caprearum genus referendum esse ראם. Haec apud eum legi velim, aut Jobi ipsum locum perlegi: sed aliquo ex naturae historia commentario in dictam a Schultensio sententiam opus esse videtur.

Ergo Jobi caput XXXIX legens, ubi versu 5–8. onager descriptus erat, asino quodammodo simile animal, sed ferum inque statu naturae, (num. 1790.) eum statim excipit ראם, de quo interrogat Jobum deus, possitne occando et sulcando agro boum more adhiberi? non potest non de fero aliquo boum genere cogitare. Sunt autem boves, quos huc usque naturae historici in classes redegerunt,

1) *bos taurus*, prope in tota Germania, australis modo aliqua parte excepta, inque Britannia, communis: hic et in Palaestina frequens, שור dictus, exque hoc uno boum sacrificia lecta videntur.

Hunc in statu feritatis *urum*, *Auerochsen* dicunt: terribile, fateor, animal, quod Caesaris tempore in Germania frequens erat, nunc plane, ut prope omnes ferae, exstirpatum.

2) *bos bonasus.*

3) *bos bison*, novi ille orbis, atque Americanus, ut de illo nec Hebraicum ראם nec graecum Ὄρυξ interpretari liceat.

4) *bos grunniens.*

5) *bos bubalus*, nostro bove, tauro, a quo maxime cornuum retro flexorum figura differt, multo major, fortior, magisque indomitus, ad persequendum eos, quos invadit, ita velox, ut vix detur velocissimo equo effugere. Iconem animalis si cupiant lectores, Gesneriana utantur T. I. p. 58. In Germania illum meridionali, ut in episcopatu Salisburgensi, aliquando reperias, frequentior est in Italia, et Graecia, Graecine illum, ut volunt hi, negant illi, ex India deportarint, meum non est expedire: diu certe ante Alexandri victorias in Palaestina et Arabia fuit, Mosis, ut videtur, תְּאוֹ Deut. XIV, 5. Hic vero, in statu feritatis, noster est ראם, uro tanto magis metuendus, quanto bubalus gregalis taurum gregalem magnitudine, robore, indomita ferocia, et velocitate vincit.

6) *Bos Indicus minor*, qui nihil ad nos.

Haec ergo utut mihi verisimillima visa est, et adhuc videtur sententia, ראם esse *bubalum in statu naturae et feritatis*: fateor tamen esse, quae pro rhinocerote dici possint, dicique debeant, cum rhinoceros sola naturae imperitia indicta caussa damnatus sit.

Nempe pro ראם *rhinocerotem* habet Aquila, Job. XXXIX. (ῥινοκέρως) quem qui sequuti sint ex Bocharto T. I. p. 951. disces. Nihil illi ad me, sunt enim recentiores, sententiam quidem, sed nihil auctoritatis adferentes. Egregie jam monuit, licet interpretationem damnans, Bochartus, (p. 958.) rhinocerotem Pausaniae *bovem Aethiopicum* dici, quod quidem maxime facit ad Job. XXXIX. ubi ad boves referri ראם videtur, ut jam ille locus illustris, qui Schultensium ad bubalum ferum deduxit, meque eodem traxit, non possit rhinoceroti opponi. Bos nobis non est, non Linnaeo, sed veteribus ad boves relatus.

Sed haec Aquilae explicatio a plerisque, (nec dissimulo me quoque olim in illis fuisse) ut plane falsa, nec aliqua dubitatione aut examine digna, reprobata fuit, quod ראם duo cornua (קַרְנַיִם), Deut. XXXIII, 17. Ps. XXII, 22. rhinoceros unum modo cornu habeat. Sed haec objectio,

jectio, quae tanta videbatur, tamque invicta, tota evanescit, postquam celeberrimus Petrus Camper me docuit, dari omnino, maxime in Africa, rhinocerotes bicornes, atque Romanis jam tales memorari.

Fuerunt, qui jam ante illum idem sentirent, ut, *Johannes* noster *Becmannus*, in *libello de historia naturali veterum* p. 129 – 131. sed eum maxime cito autorem, qui quaestionem ex professo et copiosius tractavit.

Hoc ergo cum certum sit, bicornes dari rhinocerotes, et vero in Africa maxime, in qua, qui ראם primus memoravit, atque ut opus illustre dei descripsit, Moses, natus educatusque est, populoque libros a se scriptos tradidit, in Africa nato et ex Africa egresso, desinit, veri dissimilis esse Aquilae interpretatio, atque adeo sunt, quae suadent, ראם *bovem* potius *Aethiopicum*, i. e. rhinocerotem esse, quam *bovem bubalum ferum*.

1) Psalmum XXII, v. 22. legens, ubi post leonem ponitur ראם, saeviorem ferocioremque bubalo fero belluam saepe optavi, nec invenire potui, dum in eo versarer errore, rhinecerotem unum modo cornu habere. Ponitur ibi post leonem, ipsaque gradatio orationis leone fortiorem, et terribiliorem poscere belluam videtur. Huic gradationi satisfacit rhinoceros.

2) Hoc ipsum mihi in rhinocerote placet, quod est Africana intimae Aethiopiae bellua. Primus quidem, ut dixi, Reemum memorans, Moses est, in Africa natus et educatus. In libro Jobi, qui vix dubito quin ipsius Mosis sit, *Reem* in stupendis Dei operibus memoratur, ac describitur, ut aliae Jobo Damasceno exoticae belluae aut monstra Africana, crocodilus, elephas.

3) Quod autem Africanam ac barbaram belluae patriam, certe Hebraeis exteram et ab illorum sedibus remotam, suspicari nos jubet, ipsum nomen est ראם: hoc enim si origine Hebraeum, mirum aut potius incredibile, animalia et genere diversissima, et moribus atque ingenio, complecti potuisse, *gazellam* mite et amabile animal ex caprearum cervorumque genere, terribilemque alius plane generis feram, *bubalum ferum*. At si exotica bellua est intimae Aethiopiae, *Reem*, barbarum forte nomen erat, quo ab Africana aliqua gente, insigniebatur, ex Africa Australi in Aegyptum et ad Israelitas cum ipsa bellua delatum. Sic ergo distingues, *Reem*, vocabulum Hebraicum Arabicumque, gazellam, et vocabulum barbarum Africanumque, belluam indomitam rhinocerotem significans.

4) Is

4) Is ipse locus, quem rhinoceroti maxime oppofuerunt, Deut. XXXIII, 17. mire lucet, rhinocerote bicorni sumto: cornua enim ejus cum aequalia non sint, sed alterum altero multo minus, exacte apta imago duabus tribubus Ephraimo et Manassi, quarum alteri, ut majori myriadas, minori alteri chiliadas Moses adsignat: *primogenito bovis ejus decus est, et cornua rhinocerotis sunt cornua ejus, quibus populos feriet ad extima terrae: haec autem sunt myriades Ephraimi et chiliades Manassis.*

Sed nec reticendum, quid rhinoceroti aut oppositum sit a Bocharto aliisque, aut opponi possit.

1) Primo opponit Bochartus, *rhinocerotem tam fuisse veteribus Judaeis incognitum, ut eos non putet uspiam rhinocerotis mentionem facere.*

Hoc vero quid est? quibus de Judaeis loquitur? Thalmudicis sine dubio, et Rabbinis. In horum ergo commentariis si nuspiam rhinoceros, Africana belua, memoratur, idne eo valet, ut ex Africa ante aliquot annorum millia egredientes Israelitae, Africanam beluam, vicinae Aegypto Aethiopiae indigenam, ignorarint? — — Ipsum illud *Judaeorum* nomen, multo recentius, audiri in ejusmodi quaestione nolim: qui ex Aegypto egressi sunt, quorumque dux Moses fuit, non Judaei, sed Israelitae.

2) Mutare quodammodo, ac gravius facere dubium possis: *Palaestinae et Arabiae ignotam beluam esse*, (fateor) *nec ergo verisimile, eam toties in sacris literis memorari.* Sic certe si rem instituisset, aliquid verisimile diceret, licet jam dimidia parte refutatum. Sed et hoc dubium dilui possit. Moses, ut jam dixi, in Africa natus, beluam primus memorat, liberque Jobi, Africana memorare solitus, eam describit. Huc sine dubio tria palmaria, in quibus nomen ראם legitur, loca, redeunt, Deut. XXXIII, 17. Job. XXXIX, 9. 10. Seriores scriptores, David atque Jesaias, Reemum memorant, forte nunquam sibi visum, sed Mosis imitatione: ut nostri poetae leonem tigridemque. Nempe, semel in poesin susceptum animal exterum, domesticum tanquam fit poetis.

Verum quid locis Num. XXIII, 22. XXIV, 8. faciemus, ubi Bileamus, Euphratis accola, a Reemo similitudinem petit? *Deus Israelem eduxit ex Aegypto, cursus* (*) *illi ut rhinocerotis.* Illine aut visus unquam

(*) Vide me sub תועפות.

quam, aut vel fama notus rhinoceros? Sed et hic parata responsio, non de fera indomita loqui Bileamum, sed de רְאֵם gazella.

3) Bochartus p. 958. rhinoceroti haec opponit: *rhinoceroti non conveniunt haec Davidis: "exaltabis cornu meum ut τοῦ Reem", supple, cornu, vel cornua. His quippe verbis apparet agi de fera cujus cornua sint valde celsa, ut notavit Abenezra. At contra depressissimum est tam situs ratione quam molis cornu rhinocerotis.* Hoc quidem non plane expedio: nec tamen vel bubali feri cornu valde celsum, certe non ut cervi, licet multo sit terribilius, oryx autem antiquorum, cujus cornua laudat Bochartus, obscuris nominibus adnumerandus. Duo circiter pedum longitudinem habet rhinocerotis cornu a Campero icone expressum, parvum, si corpus totum beluae spectes, sed tamen elephanti metuendum, ac subeunte illum rhinocerote, mortiferum.

Haec nullo partium studio disputanda duxi, ut novo instituto examine lectores statuant, utrum *bos bubalus ferus*, sit ראם, an *bos Aethiopicus*, i. e. rhinocerotes.

2399. ראמות, *lapis bezoardicus*, *gluten* Job. XXVIII, 18. Prov. XXIV, 7. Ezech. XXVII, 16.

De hoc vocabulo quaestionem dividendam arbitror, duplicemque significationem esse, *lapidis* alicujus ex pretiosioribus, Job. XXVIII, 18. Ezech. XXVII, 16. et *glutinis* Prov. XXIV, 7. Ergo de utroque seorsim.

1) ראמות Job. XXVIII, 18. Ezech. XXVII, 16. *lapis bezoardicus.*

Non ea excerpere animus est: quae Schultensius ad Jobi locum commentatus est, aut alii ad Ezechielis locum habent, quae mihi quidem non satisfecerunt, sed novam dicere sententiam, verisimilem visam. Unum praemonendum, si vera est lectio utriusque loci, salva grammatica Hebraeorum vix posse nomen ad radicem רום *altus fuit*, referri, ut tentarunt aliqui, parum tamen illo ex etymo lucis extundentes, sed ad eam de qua hucusque egimus, ראם. Nec solicitanda videtur lectio: facillimum enim cum sit, vocabuli ignoti א omitti, et loco ejus notius ac quotidianum scribi, רָמוֹת, *alta*, in loco tamen Jobi unus modo id codex facit, 170, i. e. Florentinus decimus, mihi quidem nulla hucusque insigni ac vera lectione varia memorabilis, et 259, i. e. editio Neapolitana anno 1487. typis descripta: in Ezechiele multi Vau omittunt, ראמת, quod

quod nihil ad rem noſtram, Aleph (רמת) non niſi unus, Kennicotti primus.

Veriſimillimum plerisque viſum, *gemmam* eſſe, aut, ſi mihi alio uti liceat latius patente nomine, ut et me illis adjungere poſſim, *lapidem pretioſum*, de quo id unum ex Ezechielis loco conſtat, in Syria frequentem fuiſſe, exque ea, ut mercem, Tyrum deportatum. Jobi autem locum legenti, pretioſus quidem videtur, nec tamen ex pretioſiſſimis, *Gabiſch*, enim inquit, *et Ramoth ne commemorentur!* ut videantur alia pretioſiora praeceſſiſſe, quibus Ramoth aequiparare vix fas ſit.

Verum ſi reperi, aut poſt multas alias, veriſimilem ſi primo conjecturam tentavi, caſu in illam incidi, (ut plerumque caſu verum reperitur). Menſe Decembri 1774. interrogabar a collega amiciſſimo, Joanne Becmanno, quodnam apud Hebraeos nomen eſſet *lapidis bezoardici?* Mirabar primo ſtatim momento nihil ſuppetere, quod reſpondere poſſem, bezoardici enim lapidis virtutes ab Orientalibus maxime praedicantur; hi, Arabum inprimis medici, ſuperſtitioſe creduli inſanum lapidi pretium ſtatuerunt, ut vel aliquando auro contra adpenderetur, aut ſi paulo major eſſet, ipſo haberetur auro pretioſior. Hunc lapidem Hebraeis anonymum eſſe, nuspiam in toto nominari codice ſacro, miraculo proximum.

Sed ſtatim ſuccurrebat, excutiebatque admirationem, in cervorum, capreolarum, et gazellarum corpore naſci, eſſeque horum animalium morbum, maxime autem certum aliquod gazellae genus eum dare; gazellis ראם vel رِئْم, nomen eſſe; gazellarumque Syriam, ex qua ראמות Tyrum deportabantur, plenam eſſe. Jam mihi prope certum videri coepit, ראמות *lapides* eſſe *gazellarum*, i. e. *lapides bezoardicos*.

2) ראמות Proverb. XXIV, 7. *gluten*.

Referunt plerumque ad radicem רום, praeeunte Vulgata, *excelſa ſtulto ſapientia*, non malo quidem ſenſu, (quamquam aptiorem ſequenti membro, *in porta os non aperit*, optaſſes) ſed invita grammatica. Nec ulla, in Kennicottianis quidem codicibus, varietas lectionis, nullo Aleph omittente: Chaldaeus vertit ac ſi רעמות legiſſet, *murmurat* (מתרעם) *ſapiens contra ſtultum*, ſed nec haec lectio codicibus confirmatur, nec ſatis placet ſententia.

Mihi quidem ראמות ad eandem radicem ראם, quam num. 2296. expoſui, referendum, idemque quod رُوْمَةٌ *gluten*, eſſe videtur, egregia

 pro-

proditura ſententia, modo חכמות *judicium* vertas. *Gluten eſt judicium ſtulto, in porta* (loco judicii) *os non aperit.* Nempe obmuteſcenti in judicio, reo, glutine os cohaeſiſſe videtur. Vocales nomini non ſubjeci, maſorethicas falſas exiſtimans, de veris nihil certi habens. Poſſit efferri רָאמוֹת.

2300. ראש Geneſ. II, 10.

Quatuor ראשים capita, de flumine paradiſi poſita, interpretari ſolent, *duos fluvios, Euphratem Tigrimque, confluentes, et duo brachia in quae ille fluvius dividitur.* Hoc quidem uſu linguarum Orientalium exemploque omnino deſtituitur, ex conjectura natum, ac vero parum felici, ubi enim paradiſum ſitum fuiſſe volunt, proxime ab Euphrate aridiſſima deſerta incipiunt. Sic quidem ipſe *αὐτόπτης* judicat *Thomas Howell*, in *Journal from India* p. 33. Mihi potius *caput fluminis* eſſe videtur, *fons ex quo oritur*, quem Syri Arabesque ܪܝܫ ܥܝܢܐ, رأس عين vocant. Ipſos Hebraeos Arabesque brachia fluviorum, aeque ut nos, brachia (זרעות) vocare, num. 653. monitum.

2301. רוש vel ראש *lolium temulentum, ſolanum,* (ראש פתנים *ſerpentum genus?*)

Nomen veneni ex regno vegetabili, Deut. XXIX, 17. XXXII, 32. (33.) Jerem. VIII, 14. IX, 14. XXIII, 15. Hoſ. X, 4. Amos VI, 12. Pſ. LXIX, 22. Thren. III, 5. 19. forte et Proverb. XXVIII, 19. obvium, in quo nos et linguae Orientales, et interpretes omnes deſtituunt, et tamen illis vel in ipſo Hebraico textu notis characteriſticis inſignitum ut mirum ſit non modo botanices imperitos dubitare, et ad varia dilabi, ſed vel magnum Olaum Celſium T. II. hierobotanici p. 46–52. errare potuiſſe.

Venenum, ut dixi, ex regno vegetabili eſſe, et vero herbam venenatam frequentiſſime in agris naſcentem, ex Hoſ. X, 4. manifeſtum, *progerminat jus* (iniquum et injuſtum) *ut ROSCH in ſulcis agrorum:* itemque ex Deuteron. XXIX, 17. ubi ex radice ſuccreſcere dicitur. Hac in rei ſumma cum Celſio, quem totum hic relegi velim, conſentio: ſed de ſpecie herbae venenatae, magnopere diſſentio. Ille quidem Tremellium ſequutus, *cicutam* interpretatur, nec vero eam, quae in paludibus naſcitur, ſed terreſtrem, ſeu, ut nos vocare ſolemus, *cicutariam*, probans, et hanc venenatam eſſe. Hoc quidem neutiquam nego, ſed non video, quo argumento conſtet, ראש *cicutam* eſſe: ראש eſt herba venenata,

cicuta

cicuta et *cicutaria* herbae venenatae, sed non ideo ראש *cicuta*, plura enim dantur herbarum venenatarum genera. Deinde plane nego, ראש *cicutam*, vel *cicutariam* esse posse: illa in paludibus nascitur, haec in umbrosis locis et paulo humidioribus, (ut ipse ait Celsius, *circa pagos, locis umbrosis, prope fossas, aggeresque agrorum, pratorumque sepimenta, — in ruderatis, in sepibus*) nunquam, ut Hoseae locus habet, *in sulcis agrorum!* Cicuta ubi nascitur, frumentum provenire nequit, ubi frumentum crescit, cicutae, vel cicutariae natale solum non est. Hoc cum mihi incredibilem faceret Celsii sententiam, sed addi ab ipso viderem, *in agris nasci*, adderetque, *certe in agris circa Upsaliam plane talem habemus cicutam, qualem describunt botanici doctissimi*, idque mirum videretur, interrogavi collegam doctissimum, Murrayum, natalibus Svecum, unquamne sive in Germania sive in Svecia cicutariam in agris nascentem vidisset? negavit. Equidem, ut facile concesserim, *in aggeribus, et sepimentis agrorum, umbroso loco*, nasci cicutariam, *in sulcis* tamen *agrorum* eam nunquam vidi; nec viderunt, quos interrogavi, botanici. Adde alterum locum Deut. XXIX, 17. 18. ubi ראש late se diffundere per agros dicitur, donec rigatos et sitientes occupet.

Ergo cicuta et cicutaria plane repudianda, et quaerenda alia fallax herba veneni, agris propria. Mirum, non omnibus, non Celsio, *lolii* statim *temulenti* in mentem venisse, cujus solum naturale agri, quodque ibi inter triticum nascitur. Venenatum esse, non medici solum, sed et quibusdam in regionibus oeconomi ac patres familias sciunt: pane qui vescuntur, multa admixta habente lolii grana, in temulentiam incidunt, et vero graviorem tristioremque quam ex vino, sequente adeo crapula, i. e. dolore capitis ex ebrietate, ac, si diu continuetur usus ejusmodi panis, gravioribus morbis.

Jam primo lucent, duo, quae hanc me significationem docuerunt loca, Hos. X, 4. Deut. XXIX, 17. 18. Addamus et reliqua Amos VI, 12. jus in lolium converti dicitur, plane ut in loco Hoseae: nempe judicia, res sua sponte salutaris, vertuntur in noxiam et pestiferam, ubi prave administrantur. Ps. LXIX, 22. esurienti panis ex lolio fraudulenter et inimicissime praebetur. Jerem. VIII, 14. IX, 14. XXIII, 15. מי ראש *aqua lolii* memoratur, i. e. cerevisia ex lolio, vel etiam frumento, cui admixtum lolium, parata. Ingentibus malis de statu animi dejectum, ebrio comparant Hebraei, cui vinum ingurgitatum: frequenti imagini novum quid addit Jeremias, ebrietatem ac crapulam non ex vino, sed

ex cerevisia, lolio parata, multo diuturniorem, tristiorem, valetudinique nocentiorem. Nova jam translatione, plane neglecta prima significatione, ראש pro omni aerumna et dolore ponitur, Thren. III, 5. *circumdedit me* (ראש) *aerumna et molestia*: et v. 19. *recordare amaritudinis, absinthii, et aerumnae.* — — Suspicor etiam שבלת ראש Jobi XXIV, 24. nil aliud esse quam, *lolium inter segetem*: pulcherrima proditura sententia, *colligantur et ut lolium segetis comburuntur*, eadem imagine, quam et Christus informavit Matth. XIII, 30. 40. 41.

Deuteron. XXXII, 32. ad alia etiam in vegetabilibus spuria et noxia transfertur, *uvaeque spuriae et noxiae* (*Aftertrauben* Germanice diceres) ענבי ראש vocantur. Solani baccas intelligi puto, Arabibus, teste Golio p. 1612. عنب الثعلب *uvas vulpis*, et Hasselquisto p. 561. عنب الذيب *uvas lupi* dictas. Solanum idem Hasselquistus in vicinia Hierichuntis copiose nasci vidit, verosimillime conjiciens (*) *poma*, quae dicuntur, *Sodomitica*, ex ipso solani genere esse, non ipsum quidem lethiferum, sed *solanum melongenae*. Addit, *quod pulvere intus repleta sint, verum est nonnunquam, sed non semper accidit, nempe in nonnullis, quod tenthredine pungantur, quae substantiam totam internam in pulverem redigit, et corticem solum egregie coloratum integrum relinquit.* Quibus lectis quis dubitabit, quin גפן סדם *vitis Sodomorum* hoc ipso in loco a Mose memorata, solanum sit, ejusque uvae solani baccae. Imaginem cupienti dabit herbarium Blackwellianum, tabula quidem 549 solani melongenae, et tab. 564 solani lethiferi, seu belladonnae.

Superest locus mihi dubius, Deut. XXXII, 33. et Job. XX, 16. ראש פתנים, ambigo enim, hicne ראש pro omni veneno ponatur, (*venenum aspidum est vinum illorum*, i. e. plane lethiferum) an *capita serpentum* vertendum: iterum incerto, utrum *capita* ipsa serpentum intelligantur, ad praedam erecta, an certum genus serpentum, Chaldaeis ריש חוין dictum, i. e. cerastes, cujus solum caput ex arena aut gramine eminet, reliquo tecto corpore, volucresque allicit. In loco tamen Jobi praecedentis versus parallelismus, מררת פתנים potius pro *veneni* quam *capitis* significatione facit.

Suspicor praeter haec loca lolii nomen, sed per Jod ריש, aut, ut est in quatuor codicibus Kennicottianis, defective רש scriptum, Prov. XXVIII, 19. recurrere: apta oppositio, *colens agrum suum satiabitur pa-*

(*) p. 560. summa.

ne, aut, nam et hoc לחם significare num. 1309. videbimus, *tritico*, *sed sectator otiosorum*, negligens agrum, *satiabitur lolio*.

Unde nomen ductum lolio suspicor potius, quam scio, nec me, etymologias non primum in philologia habentem, sed vix tertium a primo gradum aut quartum huic studio concedentem, ignorantiae pudet. Cum tamen et lolium tristem inducat temulentiam, botanicis etiam inde temulentum dictum, et solanum, non temulentiam modo tristem, et stuporem soporiferum, sed ipsam adeo insaniam faciat: suspicor, Orientales a *capite*, verbo denominativo temulentiam dixisse, (plane ut nos, *köpfen*, pro *inebriare*) indeque utrique veneno soporifero nomen ductum.

Nec orthographia nominis, inter ראש et רוש libera, praetermittenda, cum in ea adhaereri possit. Plerumque in textu ראש scribitur, et vero in Samaritano semper: nec tamen Hebraici codices varietate lectionis carere solent. Est ergo ראש

Deuter. XXIX, 18. sed quinque codices et una editio (Soncini 1488) per Vau רוש.

Deuter. XXXII, 33. sine varia lectione: sed supra dubium esse dixi, sitne hic *venenum* an *caput* vertendum.

Jerem. VIII, 14. sed quatuordecim codices, (manuscriptos aut impressos) jam pro רוש citat Kennicottus.

Jerem. IX, 14. sed XI habent רוש.

Jerem. XXIII, 15. sed tres habent רוש

Hos. X, 4. sine varietate lectionis.

Amos VI, 12. sine varietate lectionis.

Ps. LXIX, 22. sed quinque רוש

Thren. III, 5. sed unus רוש, aliusque a prima manu ראוש.

Thren. III, 19. sed quindecim רוש.

Contra textus in uno loco רוש habet, Deuteron. XXXII, 32. sed et ibi codices Samaritani, et sex Hebraici per Aleph habent, ראש.

Videtur ergo utroque modo scribi potuisse, quibusdam *lolio*, *solano*, *veneno*, Vau dantibus, רוש, ut a ראש *capite* ipsa scriptione distingueretur. Multa ejusmodi in linguis praecipiunt grammatici, quorum alia sequitur usus, alia negligit.

Caeterum multi ex veteribus, *amaritudinem*, aut *fel* verterunt, non puto, quod herbam amaram, absinthium, aut ipsum adeo fel corporis animalis putarent, sed quod *amarum*, atque adeo *fel*, pro venenato usurparetur Orientalibus, de quo vide dicta num. 1332. et quaestiones Arabiam

biam adituris prophetias quae ſt. 48. 49. Pro hoc ergo more et noſtrum nomen, LXX interpretati ſunt, χολήν, Deut. XXIX, XXXII, Jerem. VIII. IX. XXIII. et ὕδωρ πικρὸν Thren. III, 19. Symmachus χολήν, Pſ. LXIX, Vulgata, *fel*, Deut. XXIX. XXXII. inque Jeremia ubivis, *amaritudinem*, Amosi VI, Syrus ܡܪܪܬܐ et ܡܪܪܐ Deut. XXIX. XXXII. in Jeremia ubivis, et Amos VI, Chaldaeus Pſ. LXIX, מרירות רישי חורמנין *amara* (i. e. venena) *capitis baſiliscorum*. Verum qui ita verterunt, non de felle proprie ſic dicto, non de herbis amaris cogitarunt, ſed *venenum* intellexerunt, quae ſpecies veneni eſſet, *lolium? ſolanum?* ignorantes. Mira haec videri poſſit omnium ignoratio, verum meminerimus ראשׁ *venenatae herbae* nomen Hebraicae linguae fuiſſe proprium, (nulla enim alia habet, non Aramaea, non Arabica, ſolus Samaritanus in verſione retinet) ipſique huic linguae poſt reditum ab exſilio interiiſſe, in libris enim ſerioribus non invenitur, ſucceſſit ei aliud زوان, ζιζάνια, de quo alibi dictum.

2302. ראשׁ Ezech. XXXVIII, 2. 3. XXXIX, 1.

Ruſſi Orientales, Aſiatici.

ראשׁ in Ezechiele (*) nomen proprium eſſe gentis, viſum eſt interpretibus (magna ſane veri ſpecie: aliis tamen, Syro et Vulgata, נשׂא ראשׁ משך ותבל adpellative interpretantibus *princeps ſummus Moſchorum et Tibarenorum*. Multam nomini proprio explicando operam inſumſit Bochartus in Phalegi libro III. c. 13. p. 187. 188. 189. Sententiae ſumma probanda videtur, non alia, quae ei admiſcuit. Veriſimiliter de Araxe fluvio cogitat, cui terram gentemque facit cognominem, ejus enim nomen Arabibus eſt *Arras* (الراس): ipſe quidem Nubienſem citans (Climatis V. ſect. VI. plane ſub finem) *Ras* ſeu *Ros* nomen eſſe autumat, ſed forte accidit Nubienſi, quod ſaepe Arabibus, ut primam ſyllabam nominis *AR* perperam pro articulo haberet, et per ال ſcriberet, radicalem potius nomini barbaro. Vide grammaticam Arabicam §. 68. p. 217. 218. Apud ſcriptores etiam Byzantinos quos cito ex *Stritteri memoriis populorum, olim ad Danubium, paludem Maeotidis, Caucaſum etc. habitantibus e ſcriptoribus hiſtoriae Byzantinae* T. II. Ῥῶς occurrit ut nomen gentis Scythicae circa Taurum. Georgius monachus, ſeculi decimi ſcriptor, τοὺς Ῥῶς deſcribit ut ἔθνος Σκυθικὸν ἀνήμερόν τε

καὶ

(*) Legitur etiam Graece Jerem. XXV, 23. Ῥῶς, ſed manifeſto ſcriptionis vitio pro Βοὸς, quod habent biblia Complutenſia, inque commentario Theodoretus, eſt enim in Hebraico בוז.

καὶ ἄγροικον, (pag. 957.) Simon logotheta, (pagina Strittero 958) ἔθνος δὲ οἱ Ῥῶς Σκυθικὸν, περὶ Ἀρκτῶον Ταῦρον κατῳκημένον ἀνήμερόν τε καὶ ἄγριον. Zonaras (ibidem) ἔθνος οἱ Ῥῶς Σκυθικὸν, τῶν περὶ τον Ταῦρον ἐθνῶν.

Quod autem addit Bochartus, a Rhoſſis Araxi vicinis deſcendiſſe *Ruſſos*, gentem in Europaea Scythia celeberrimam valde dubitandum videtur in hac aut luce aut aurora hiſtoriae Ruſſicae: eſt enim recens populi nomen, qui antea *Slavi* vocabatur, a Ruſſis plane aliis et occidentalibus ei inditum: ut copioſius disputavit *Gerhardus Fridericus Müller in commentatione de gentibus, quae olim Ruſſiam habitarunt*, typis deſcripta in *Büſchingii Magazin für die Hiſtorie und Geographie* T. XVI. p. 259–348. Ruſſorum chronographum teſtem excitat p. 340., haec habentem: *a Waraegis Ruſſi cognominati ſunt, qui antea Slavi dicebantur.* Waraegi autem, de quibus inde a pagina 327. copioſe egit, exteri erant, lingua et ortu a Slavis plane diverſi, Sveci, Normanni, Gothi, (omnes a ſtirpe et lingua nobiscum Germanis cognati) qui jam armis, jam a Slavis vocati et ad capeſſendam rempublicam invitati, Slavis maxime Novogrodienſibus dominati ſunt. Horum Waraegi aliqui *Ruſſi* in annalibus vocantur, nomenque ſuum genti, cui praeerant, reliquerunt. Neſtor, ut docuit me illuſtris Schloezerus, Waraegos, quod ei totius gentis nomen eſt, dividit in *Sveonas*, *Normannos*, *Gothos et Ruſſos*. Reliqua apud ipſum legi Müllerum velim. Quae de Roſſalanis habet, quos et ipſos cognatae ſtirpis facit, dubia viſa ſunt aliis, ut Schloezero: docet tamen me Svecos Finnice *Ruſtzalainos* dici.

In *annalibus Francorum ex codice Monaſterii St. Bertini a du Chesnio editis*, circa annum 839, pag. 195. Tomi III. hiſtoriae Francicae, quos Roſſos vocat imperator Conſtantinopolitanus, in Germania Sveci agnoſcuntur. Verba tota lectu digna, ſed nonnihil obſcuritatis habentia. In animo habebam, cum in locum hunc annalium, tum in alia ſcriptorum Byzantinorum, commentari, atque de Ruſſis (روس) dicere, quos Abulfaragius p. 108. 135. 474. 491. commemorat: ſed veritus, ne in hiſtoria labar mihi peregrina, ſcripta delevi.

Sunt, et fuerunt, qui Ruſſos Waraegos ex ſeptentrione adventitios, ex aliqua fabulis Svecorum decantata *gigantum terra*, *Riſalandet*, derivarent. Sic F. H. S. D. P. in *Diſſertation ſur les anciens Ruſſes*, Petropoli 1787, quo de libro in bibliotheca Orientali nova T. V. n. 80. retuli.

Displicent etymologiae, aliquae parum verisimiles. Hi tamen ex Risalandet Russi nihil ad Russos Ezechielis.

2303. רַב *foedus?* Ps. LV, 19? Hos. VIII, 12?

Difficillimus locus Ps. LV, 19. כִּי בְרַבִּים הָיוּ עִמָּדִי, quem interpretandi tentamina varia hic non enumero nec singula expendo. In omnibus cum adhaererem, ausus sum conferre Arabicum رِبَاب *foedus*, أَرِبَّة *foedere juncti*, ac vertere, *foederibus enim juncti mihi fuerunt*, proprie, *in foederibus fuerunt mecum.* Displicebat etiam, Hos. VIII, 12. אכתב לו רֻבֵּי תורתי *scripsi illis myriadas legis meae:* ingens hyperbole, nec ut beneficium imputandum videtur, *innumeras populo leges dare.* Ergo et hic mutatis punctis רַבֵּי tentavi, *scripsi illis foedera legis meae.*

2304. רַבָּה *metropolis.*

ܪܰܒܬܳܐ Syris *metropolim* esse, in lexico Syriaco p. 843. dictum. Huc referes, cum Ammonitarum Moabitarumque metropoles vocari leges, רַבַּת בני עמון Deut. III, 11. vel simpliciter, רַבָּה 2 Sam. XII, 27. Jerem. XLIX, 3. et a Stephano de urbibus Ῥαββαταμμανα (*), atque Areopolim Moabitarum Ῥαβαθμωμα, pro Ῥαβαθμωβα. Sic et *metropolis*, *regia*, *sedes regni* esse videtur בבל רַבְּתָא Dan. IV, 27.

2305. רְבִיבִים *imbres.*

Significatio certa, licet de etymo dubitetur. Id unum addo, Jerem. III, 3. a מלקוש *pluvia serotina*, i. e. vernali, (num. 1340.) distingui sive adeo illi opponi רביבים, peculiariter ergo et proprie pluviae esse primae i. e. autumnales videntur: sed deinde usus latius patuit.

2306. רבד Prov. VII, 16.

Semel occurrit cum derivato inde מרבדים Prov. VII, 16. מרבדים רבדתי ערשי: Vertere solent, *sternere*, ex filo orationis ducta conjectura, *stragulis vestibus instravi lectum meum:* nulla linguarum orientalium auctoritate, quibus haec *sternendi* significatio ignota.

LXX.

(*) Per A scribit, quod Arabes nomen gentis urbisque عَمَّان efferunt, Abulfedae Syr. p. 46. 47. 91.

LXX. *κειρίαις τέτακα fasciis extendi lectum meum*, exque his Arabs شَدَدْتُ سَرِيرِي بِمُغُطِ الكِتَّان *funibus linteis constrinxi lectum meum*, Vulgata, *intexui funibus lectum meum*. Cogitasse videntur, de lecto non humi strato, sed pensili, quem fasciae sustinent, nempe ut ab insectis sit tutior: in calidiore tractu hi lecti maxime commendabiles, quamquam et nos illis uti haud raro soleamus. Hos quidem in versione germanica sequutus sum, *mein Bette habe ich in Gurten gehänget*, cum viderem linguas Orientales derivationem certe offerre: est enim ربق inter alia قطع *secuit;* a secando fasciae, מרבדים, dici potuerint, a fasciis denominativum duci רבד *fasciis subligare lectum*. Est et رَبَقَة Arabibus *panni segmentum*. Est hoc jam apud nos quotidianum, sed olim vel in ipsa Asia, ubi maxime necessarium ob insectorum copiam, magni luxus fuit, humi enim, in camera paulo editiore, Alcova, lecti sterni solebant. — — Permutationis literarum beneficio aut licentia si uti velis, facilius etiam haec efficeres ex ربط *ligavit*, unde مَرْبَط *vinculum: funibus subligavi lectum meum*.

Nec dissimulandum aliam *variegati coloris* significationem offerre Arabicum ربق sequenti membro egregie aptam, de חשבות enim, *versicoloribus*, *acupictis*, quid sentiam, pagina 722 dictum. ربق in conjugatione secunda est, *nigro alboque colore splendentia ubera habuit*, in quarta, *albo nigroque distinctus fuit:* verum videtur verbi propria vis in pulvereo et obscuriore colore esse, quo quidquid conspersum, illud أَرْبَق vocant. Evolve ipsa Arabum lexica. Pulvereo autem colori hic, ubi lecti laudatur elegantia, vix locus. Tentaveram hinc

2307. מרבדים Prov. XXXI, 22.

variegatas vestes vertere, sed si in pulvereo colore vis verbi Arabici, ne illi quidem loco satis apta. Varie ibi veteres, sed quorum sententias non excerpo, cum id jam fecisse Coccejum videam, nisi quod ei addo השויתא *lectum stratum*, Syrum Chaldaeumque vertere. Id mihi probari non posse, ex supra dictis intelligitur. Quid si hic a *secando*, *segmenta* sint, *fasciae*, vel *vittae*, *ornatus caussa?* Id nisi placeat, ad funes redeundum, quibus lectus insternitur. Certi nihil de vocabulo rariore habeo.

2308. רבה *jaculatus est.*

רבה jaculandi significatione, non nisi Job. XVI, 13. Genes. XXI, 20. id est ex mea sententia, in unius Mosis scriptis occurrit. Ortum videtur ex רמה, consveta Arabibus literarum B et M permutatione. Job. XVI, 13. pro רַבָּיו effero, רֹבָיו *jaculatores ejus*, svadente filo orationis. Sic LXX λόγχοις βάλλοντες. Lanceas Vulgata interpretata est, ܓܘܪ̈ܐܝܣ Syrus, ex eoque Arabs سهام, *sagittas*, sicque et Chaldaeus, omnes a jaculando, nisi quod his jaculatores essent, illis *jacula* ipsa.

2309. תַּרְבּוּת *soboles* Num. XXXII, 14.

Non a multitudine nomen habere videtur, sed a רָבָה *educavit*, Syriace ܪܰܒܺܝ. Hinc Syris ܬܰܪܒܺܝܬܳܐ *educatio*, quin et *educatus ab aliquo*, *alumnus*, *discipulus*. Eadem significatione et

2310. מַרְבִּית 1 Sam. II, 33.

accipio, *omnes qui domi tuae educantur et adolescunt*, *morientur*, ubi viri evaserint.

2311. אַרְבֶּה.

Generale locustae nomen: at Levit. XI, 22. ubi a חרגל, סלעם et חגב distinguitur, videtur locusta esse post primas exsuvias, volare incipiens, antea repens alisque carens. Vide sub חגב dicta.

Mira Andreae Norrelii somnia, qui in *diatriba de avibus esu licitis Levit. XI, 22.* (Upsaliae 1746.) veteribus contradicens omnibus, nullum sequutus linguarum orientalium usum, sed solas audacissimas conjecturas, negansque locustas in eduliis esse, ארבה *columbas* facit, סלעם *anseres*, חרגל *gallinaceum genus*, et חגב *passeres*, *quatuor in quibus incedunt* de quatuor pedum digitis intelligens. Refutatione non opus.

2312. רבך Levit. VI, 14. (vel 21.) VII, 12. 1 Paral. XXIII, 29. *in bulliente jusculo paravit.*

Non est generatim, ut vertunt recentiores, frixit, sed idem quod Arabicum ربك *commiscuit*, *peculiariter*, *bene paravit jusculo confractum intritumque panem.* Sic jam paulo melius Kimchius praeierat, eique concinens Raschi, חלוטה ברותחין *mixtum* i. e. *coctum in bulliente*, (sc. oleo, olei

olei enim mentio praecesserat.) LXX Levit. VI. verissime, πεφυραμένην οἴσει αὐτὴν, ἑρικτὰ, *mixtum offeret, in frusta contusum.* Maurus مسبوطة *in bulliente coctum.* Arabs Polyglottus ignotum hac significatione lexicis habet رفتكة, vitiose, ut suspicor descriptis Saadiae literis Hebraicis רפיכה (*), quae Arabice esse debuissent, رفكة. Videtur illi رفكى idem esse quod ربكى.

2313. רִבְלָה Numer. XXXIV, 11. 2 Reg. XXIII, 33. Jerem. XXXIX, 5. LII, 10. forte et Ezech. VI, 14.

Urbs antiquissima et nobilissima, Mosi jam memorata, a qua fines Palaestinae incipiunt, sed cujus hodiernum nomen ignoramus. Ex Num. XXXIV, 11. non male collegeris, ab oriente Phialae, ex qua Jordanes oritur, sitam fuisse. Regioni Chamathae, de qua num. 763. actum, adscribitur 2 Reg. XXIII, 33.

Male Judaei, merito a Cellario p. 463. T. II. geographiae notati ac repudiati, jam Antiochiam faciunt, jam Daphnen, utramque a Palaestinae finibus remotissimam: qui error late manavit. Vulgata Num. XXXIV, 11. *descenderunt in Rebla contra fontem Daphnin:* Arabs, *tendet ab Apamea* الي دفنة *Daphnen.* Scholiastes Graecus ad Jerem. LII, 9. Ἡμὰθ ἡ νῦν καλουμένη Ἀντιόχεια. Δεβλαθα δὲ (nempe per D דבלה legerunt LXX) τὸ αὐτῆς προάστειον ἡ Δάφνη.

Pro רבלה LXX in Jeremia דבלה legisse vixdum monui: eodem errore et Ezech. VI, 14. דבלתה scriptum esse pro רבלתה suspicor, Hieronymus ad h. l. *multi putant, eundem esse locum, de quo in Jeremia* (XXXIX, 5.) *scriptum est, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha. Potest et ob vicinam similitudinem Daleth et Res, Hebraicarum literarum vel Deblatha vel Reblatha adpellari.* Ephraemus etiam Syrus hic ܕܦܢܐ habet, ex communi errore Daphnen interpretatus. Eximia ex ממדבר רבלתה prodit sententia, *vastatum iri Palaestinam a deserto inde, quod ei ab Oriente est, Reblam usque terminum ejus borealem.*

2314. רֶבַע *quarta pars.* Numer. XXIII, 10.

Sic omnino verto, consvetae explicationi accedens, maxime cum et Arabibus رُبْع *quarta pars* sit, et castra Israelitarum, de quibus sermo,

(*) Nempe خ Judaei per כֿ exprimunt, ك per כ.

mo, in quatuor partes divisa fuerint. Numer II. Est tamen de LXX dicendum, δήμους Ἰσραὴλ vertentibus. Id quidem possit nomen significare, ad radicem רָבַע *cubuit* relatum, hinc enim رَبْع *domus, mansio*, et ما أوسع رَبْعَهُم *quam late patet habitatio eorum.* Displicet, sed rationem reddendam censui. Varia lectio nulla, nisi quod Samaritani מרבע habent, quod possis et *quartam partem* vertere, et *quadratum*, ut idem sit quod مُرَبَّع: *quadratum Israelis* forent, tota castra Israelitarum quadrata forma disposita.

2315. רבע Genes. IV, 7.

Cubandi significatio certa, et vero proprie, ut Arabes suum ربض explicant, *pectori humi posito, pedibusque incubuit*, ut facere quadrupeda solent; unde fit, ut non de homine, sed de quadrupedibus ponatur. Sic et non dubitans Genes. IV, 7. accipio, ubi peccatum saevae ferae, ante ostium cubanti et insidianti comparatur. At ratio reddenda Graecae versionis, ἡσύχασον, *quiesce*, verbo his vocalibus, רָבַע elato. ربص et تَرَبَّص est, *exspectavit*, vide lexica et ex Corano exempla habe Sur. II, 226. 228. XXIII, 125. LII, 29. Ex mente LXX interpretum deus svadet Caino, ut moram coeptis injiciat, exspectetque donec ira subsidat.

2316. רֶגֶב Job. XXI, 33. XXXVIII, 38.

Glebas lexicographi recentiores vertere solent, eximie apta significatione posteriori loco, Job. XXXVIII, 38. sed nulli linguarum Orientalium glebas hae literae significant. Veteres ambigebant, ut in radicum libro Kimchius, inter *glebas*, *valles* humidas, et *silices*. Ex his *glebas molles vallis* composuit Schultensius, sed nullo linguarum Orientalium usu, quam enim adfert radicem رغب alia plane est, nec solent غ et ج apud Arabes permutari.

Veterum auctoritatem si sequamur, רגבים *silices*, vel generatim, *lapides* erunt, quae significatio primo loco Jobi XXI, 33. apta, lapidum enim tumulos in sepulcris congerebant Arabes, quos رُجَم vocant. Literaene, ut frequens Arabibus, ב et מ permutatae? sub ipsa enim radice רגם Orientalium linguarum nulla silices habet. Sic ergo Job. 21. LXX. χάλι-

χάλικες χειμάῤῥου, Vulgata, *dulcis fuit glareis Cocyti*, cap. 38. LXX κεκόλληκε ὥσπερ κύβον λίθοις, *cohaeret ut cubus aliis lapidibus*, Syrusque ܦܫܝܡܐ. Et quidem vel huic loco Job. XXXVIII, 38. significatio non inepta, possis enim vertere, sive, *et in lapidum morem cohaeret pulvis*, sive, *et glareae cohaerent*. Mobilis olim glarea pluviis rigata, cohaeret, fitque tanquam massa solida.

Syrus Jobi 38. ܓܒܐ ܕܢܚܠܐ LATERA vallis vertit, quae deglutiant sepultum: (a dulcedine deglutitionem dulcium dici arbitratus.) Nempe in lateribus vallium, i. e. praeruptis montium, mortui sepeliuntur. Possit pro hac versione adferri رجب *id quod inter costas et pectus summum (sternum) intercedit*. Nec tamen vel hoc placet.

Media explicatio ex reliquis verisimilior, nulla certa: aliquid nos fateamur ignorare, aut non certo scire.

2317. רֶגֶל *torrens* Job. XXVIII, 7.

De rivis alio tempore spumantibus, alio jam exsiccatis, dicitur, הנשכחים מני רגל, *quorum pes oblitus est*. Varias explicationes, partim coactas, non enarro. Syris ܪ̈ܓܠܐ *pedes*, sunt *torrentes in rivum vel fluvium minorem confluentes*. Vide quae in lexico Syriaco scripsi p. 848. Exsiccantur ergo rivi, quorum obliviscuntur torrentes montium, eos alentes. Vide versionem germanicam. Sic et alia corporis humani membra, *caput*, *brachia*, fluviis dant Hebraei. Vide sub זרוע et ראש scripta.

2318. אַרְגָּמָן *purpura*.

De purpura ipsa post Braunium, qui de ea doctissime et peritissime egit in libro I. capite 14. de vestibus sacerdotum, verecundiae est, dicere: de sola etymologia, ad alia etiam nomina Hebraica patente, aliquid addendum. Solebant Arabum aliqui, teste Diodoro Siculo l. III. c. 33. mortuorum corpora in colle posita, lapidibus cum risu tantisper impetere, quoad congestu lapidum obruerentur, unde sepulcra illis lapidum tumuli. Sic et in chrestomathia Arabica pag. 95. mulier, sepulcra duo mentitura, duobus collibus multos lapides adgessit, ut speciem sepulcrorum referrent. Hinc factum ut a רגם, رجم *lapidibus obruere*, *tumulum struere ex lapidibus*, generatim sepulcra dicerent: habet Golius, رجم *sepulcrum*, *tumulus*, *cippus*, رجام *lapis qui collocatur ad sepulcrum*, *cippus*,

cippus, رُجْمَة *sepulcrum*. Cochlea purpurea, si eam in manu teneas altera graciliore extremitate erecta, cippi sepulchralis et vero ornatioris similitudinem refert: hincne Phoenices et Hebraei ipsam primo cochleam cippum vocarunt, ut apud Batavos haec ipsa cochlea *Epitaphium* dicitur? a cochlea deinde et ad ipsam purpuram nomen transiit? Jam si ארגמן ad radicem רגם referendum, et his accedo, qui

2319. רִגְמָה Ps. LXVIII, 28.

purpuram vertunt, Hieronymo, Menachemo, Coccejo aliis: addendi his, qui *principes*, *potentes*, *magnates*que interpretati sunt, LXX. Vulgata, Syrus, tres Arabes. Multis tamen *purpura* hic displicuit, forte quod ארגמן ad radicem ארג referri soleret. Horum explicationes, aut Houbigantianas textus ex conjectura emendationes, enarrare longum, ad metam properanti.

2320. רגן *riguit*, *torpidus fuit*, *remansit*, *febricitavit* Deuteron. I, 27. Ps. CVI, 25. Jes. XXIX, 24.

Utcunque explicant ex conjectura, nullo linguarum Orientalium usu, *murmurare*, *susurrare*. Praeiverunt in Deuteronomio LXX Vulgata, Chaldaeus: sed aliter ibi Samaritanus, *discordes fuistis*, Aquila, *προσηρίσατε provocastis ad iram*, sic et, alio tamen verbo usus Theod. *παρεπικράνατε*.

De usu linguarum Orientalium si interroges, Arabibus, (Aramaei enim verbum non habent) رجن est *subsistere*, sed et مَرْجُونَة *rigor febrilis*. Prima forte vis verbi in *rigore*, et *torpore*, possitque illuc et رَجِين *venenum lethale* referri, a torpore mortifero quem inducit dictum.

Utraque significatio Arabica locis Hebraicis, in quibus רגן legitur, apta. Deut. I, 27. ותרגנו באהליכם vertere possis, *febricitastis*, i. e. *morbo aliquo et insania correpti estis*, vel etiam, *torpidi remansistis*, *diriguistis in tentoriis vestris*. Posterius praeplacet. Jes. XXIX, 24. רוגנים ילמדו לקח possit esse, sive, *febricitantes*, i. e. *delirantes*, sive, *tardi ac torpidi discent doctrinam*. Aurium quisque judicio haec inter arbitrabitur.

נִרְגָּן quaere sub n. 1648.

2321. רגע *rediit, aestuavit mare, felix fuit.*

Varia habent et partim contraria de significatione hujus verbi cum lexicographi tum Rabbini, de quorum parte retulit Schultensius in Originum libro I. cap. 10. ad conjecturas incertas recte ablegans: ipse transpositione literarum usus رعج contulit, cujus prima vis sit in tremulo motu et commotione vehementiore. Mihi non opus esse videtur literarum ulla transpositione, sed Hebraicum רגע idem esse, quod Arabicum رجع *rediit*, et transitive, *reduxit*. Hinc explicabis הלוך להרגיעו ישראל Jerem. XXXI, 2. *it ad reditum*, i. e. redit in patriam, Israel: XLVII, 6. *gladie Jehovae, quousque non quiesces? ingredere in vaginam tuam,* הֵרָגְעִי וָדֹמִּי *redi* (in vaginam) *et quiesce:* XLIX, 19. L, 44. ארגיעה אריצנו *redire, currere eum faciam*, i. e. cito redire faciam victorem. L, 34. *Jehova geret caussam Israelitarum* למען הרגיע את הארץ ad *reducendum* terram, i. e. ut redire incolas terrae in eam faciat: Jes. XXXIV, 14. *Lilith* huc *redibit*, i. e. *domi suae erit*, LI, 4. *lex a me exibit, et jus meum ad lucem gentium* ארגיע *redire faciam*, vel, *respondebo*, nam et *redire facere verbum* i. e. respondere, رجع est Arabibus.

Peculiariter Arabes de reditu maris in aestu ponunt, ut Abulfeda n. 293. de Obolla, *cum venit illis aestus maris*, ترجع الما في كل نهر *redit aqua in hos fluvios omnes* (antea in refluxu subsidentes.) Sic et Hebraicum verbum poni videtur Job. XXVI, 12. Jes. LI, 15. *reducens mare sonantibus fluctibus*, (hic quidem de aestu maris Erythraei redeunte, qui Aegyptios submersit,) Jerem. XXXI, 35. ubi inter statuta aeterna dei naturaeque est, רגע הים ויהמו גליו *reducens mare sonantibus fluctibus ejus*. Vide haec loca in versione germanica, notasque adjectas: nec omnia pono exempla, in versione germanica evolvenda.

Redire (ارجع) seu *reportare* mercimonium Arabibus dicitur, cum lucrosum est, (ut Germanis, *einbringen*) indeque مُرْجِعَة *boni successus res*. Nec quietis notionem verbo ejusque derivatis abjudicarim, forte a reditu in patriam domumque. Huc referendum רֶגַע, ubi sive de felicitate, sive ut alii volunt, de quiete ponitur.

2322. רֶגַע *momentum*, *iterata pluvia.*

Momentum ubi nomen ſignificat, referendum videtur ad *paſſus* vel *greſſus* notionem, quam رَجْعٌ habet. A redeundo vel eundo paſſus dicitur, *paſſus unus*, eſt, *momentum temporis.*

Haec tamen notio vix locum habet Jeſ. XXVII, 3. לִרְגָעִים אַשְׁקֶנָּה *quovis momento rigo illam*, ſc. vineam: id enim vineae perniciosum. Ergo *iteratas* ibi *pluvias* intellexerim, ut idem ſit quod Arabicum, رَجْعٌ *pluvia una poſt aliam.*

Dedi de verbo quae collegeram, multa adhuc perpurganda aliis relinquo. Veterum explicationes omnes enarrare nimis longum.

2323. רגש Pſ. II, 1. *tumultuari*, *fremere*, *clamare*, *φρυάττειν.*

Judaei fere volunt, verbi ſignificationem eſſe, *congregari*, *conveni-re*, idque in lexica receptum, praeeunte Kimchio in libro radicum. Hac quidem ſignificatione reliquis linguis Orientalibus ignotum (*): ſolam forte exceperis Chaldaicam, Buxtorfii tamen lexicon legenti nomina a רגש derivata, *multitudinem* deſignantia, non a conveniendo ſed ſtrependo ducta videbuntur.

Ego malim eſſe, *fremere*, *alta voce clamare*, indeque et *tumultuari*, quod pluribus in linguis ſignificat. Chaldaeis ſine dubio eſt, *ſtrepere*, *exclamare*, *rugire* etiam, aliquoties enim pro Hebraico שאג ponitur, ut Pſ. XXXVIII, 9. et de *rugitu leonis* Jerem. XII, 5. In Thalmudico illo, quod ad Marc. III, 17. ex tractatu Megilla citavit Lightfootus, *venit Schechina*, *audiit vocem* ריגשא *tonitru* eſſe videtur, licet dubitet Lightfootus: Arabibus certe رجس *tonuit coelum*, *concuſſum fuit valido fragore*, aque tonitru ductum nomen Βοανεργὲς (בני רגש) videtur, quod Marcus c. III, 17. interpretatur, υἱοὶ βροντῆς. Idem verbum Arabicum رجس cum derivatis de barritu cameli vehementiore, ſtrepituque ac fremitu maris uſurpatur: Syris ܪܓܫ cum derivatis, *ſtrepitum*, *fragorem*, *fremitum* denotat. Bene ergo LXX למה רגשו גוים Pſ. II, 1. verterunt, *ἱνατὶ ἐφρύαξαν ἔθνη*, pro quo verbo Graeco Syrus interpres Act. IV, 25. ipſum verbum Hebraicum reddidit, ܠܡܢܐ ܪܓܫܘ ܥܡܡܐ. Vide plura in

(*) Caſtellus quod ſub Syriaco ܪܓܫ habet, *congregavit*, ex lexicis Hebraicis translatum, nec exemplo Syriaco firmatum.

in lexico Syriaco. A ſtrepitu, fremitu, clamore, et *tumultuari* dici poteſt, praeplacet tamen in pſalmo prima ſignificatio: *quare fremunt*, aut ſi malis, *boant*, *rugiunt gentes*. Danielis etiam VI, 7. 16. הרגישו על מלכא de *clamore minaci*, aut fremitu acceperim, *inſonuerunt regi*, vel, *fremuerunt contra regem*. Verſu ejusdem capitis 12 eſſe poſſit, *ſtrepero agmine, et cum tumultu, concurrerunt*, aut ſi malis, *ſenſerunt*, *reſciverunt*, *et invenerunt Danielem precantem*, ex Syriaco ܐܪܓܫ *ſenſit*, *cognovit*, *reſcivit*.

Ex verbi notione jam et nomina

2324. רֶגֶשׁ Pſ. LV, 15.

ſtrepitum interpretor, multitudinis domum dei euntis: atque

2325. רִגְשָׁה Pſ. LXIV, 3.

tumultum, vel, *fremitum*. Tumultum praeivit Hieronymus, Symmachus, κίνησιν.

2326. רָדָה Jud. XIV, 9. *fregit*.

Dominari, conſveta verbi ſignificatio, certa, iisque adſentior qui a *calcando pedibus*, quod ردي Arabibus, ܪܕܐ Syris ſignificat, *dominari* ductum arbitrantur. Vix tamen hinc expedies Jud. XIV, 9. וַיִּרְדֵּהוּ אֶל כַּפָּיו. Quod Vulgata habet, inque lexica receptum eſt, *ſumſit in manus ſuas*, aptum filo orationis, ſed uſu linguarum Orientalium non confirmatur. Poſſis mutatis punctis וַיֹּרִדֵהוּ tentare, *deſcendere fecit mel in manum ſuam*, a ירד, ſed non licet ob finem verſus, רָדָה הַדְּבַשׁ. Ergo monuerim, ردي (*calcavit*) inter alia et eſſe, *fregit*, verterimque, *fregit favum mellis*, i. e. decerpſit partem ejus, *in manus ſuas*. Chaldaeus per כסח *avellere* reddidit.

Syris ܪܕܐ *fluxit*, quo ipſo verbo uſus Syrus vertit, ܘܪܕܐ ܗܘܐ ܕܒܫܐ ܒܐܝܕܘܗܝ *fluebat mel in manus ejus* (neglecto ſuffixo,) et in fine verſus, *quod ex cadavere leonis* ܪܕܐ ܕܒܫܐ *mel fluxiſſet*, ſicque et ex eo Arabs. Obſtat verſioni ſuffixum, ſed expediri hoc dubium poſſit, ſi וַיַּרְדֵּהוּ efferas, *fluere fecit mel in manus ſuas*. Prius tamen praeplacet.

2327. רדם, Niphal נרדם, תרדמה.

Somni altioris et nomen significationem et verbum habet, atque adeo deliquii Daniel. VIII, 14. Non habent eam reliquae linguae Orientales, excepta Chaldaica: sed orta videtur a رتم *occlusit*, *obturavit*. Ab obturatione sensuum et somnus altior solito, et deliquium nomen accepit.

In loco perquam vexato Pf. XLII, 5. quatuor codices Kennicottiani habent, ארדם עד בית אלהים. Forte sic legens in sua psalmorum versione reddidit Hieronymus, *tacebo usque ad domum Dei.* Mihi quidem de hac lectione sic videtur: obturatio sensuum, somnus naturali altior, potest et *exstasis* dici, sicque ἐκστασιν LXX vertunt Genes. II, 22. XV, 12. Pf. LXVIII, 28. Sic, אֶרָּדֵם adpellatum, foret, *attonitus*, *stupore numinis perculsus, in sancta exstasi, ibam ad aedem dei.* Non spernenda sententia: sed lectio consveta sub numero 440. explicata verior videtur.

2328. רדף *expulit* Jes. XIV, 6.

רדף sine dubio *persequi*, sed hinc et fluxit Syriacum ܪܕܦ *expulit*, plane Graecis διώκειν utrumque significat. Hinc מֻרְדָּף Jes. XIV, 6. verto, *qui gentes proculcabat expellitur* (ex toto terrarum orbe) ac sequentia, mutatis vocalibus, בַּל יֶחְשַׂךְ *non retinetur.*

2329. רָהַב *festinavit*, *fugit*, *timuit*, *timorem incussit*, *festinare fecit*, *ursit*, *tumultuatus est.*

Verbo, indeque derivato nomini רַהַב, *superbiae*, *ferociae*, *fortitudinis* notionem dare solent, quibusdam locis satis aptam, sed usu et suffragio linguarum Orientalium destitutam. Chaldaico quidem רהב tribuitur, sed sine certis exemplis. Consentiunt veterum multi, mihi dubitare liceat, atque exponere, quae offerunt linguae Aramaea, et Arabica, atque ad Hebraicum verbum nomenque transferre.

Arabibus رَهَبَ est, *timuit*, ad timorem etiam cultumque dei religiosiorem frequenti translatione, unde monachis et religiosis nomen; in transitivis conjugationibus, *timorem incussit*, *terruit*, indeque أَرْهَبُ *terribilis*, راهِب et مَرْهُوب *leo*, nempe, *terrorem incutiens.* Syris

ris ܪܗܒ idem, sed accedente, quae forte prima est, *festinandi* notione, (ܐܪܗܒ *festinare fecit*, ܪܗܝܒܐ *celer*, ܪܗܶܒ *festinavit*, *ursit)* quin et *tumultuandi* Marc. V, 38. 39. tumultu forte a festina concursatione dicto.

Hinc jam, quod primo loco ponere lubet, Prov. VI, 3. est, *urgere*, proprie, *festinare facere*, Jes. III, 5. איש ברעהו ירהבו, sive, *tumultuabuntur unus contra alterum* (sic Vulgata) sive, *urgebunt*, *invitum vi cogent* ad capessendum magistratum, de hac enim vi et coactione versus sequens loquitur. Jes. LX, 5. ex varia lectione VIII codicum Kennicottianorum ופחד ורהב לבבך *pavebit et timebit cor tuum.* Ps. CXXXVIII, 5. תרהיבני בנפשי עז *formidendum me facis hostibus*, *animoque meo fortitudinem das:* (quamquam hanc hujus loci versionem haud satis mihi ipsi placere non diffitear.) Veteres plerique *multiplicas*, putantes, רהב idem esse quod רוב literarum Vau et He permutatione, Hieronymus, *dilatabis*, ut תרחיבני legisse videatur. Cant. VI, 5. (al. 4.) *averte oculos tuos a me* שהם הִרְהִיבֻנִי *quoniam mihi timorem incutiunt.* Sunt aliqui oculi ita micantes et fulminantes, ut nostros dejiciant, nec eorum intuitum ferre queamus, inque praecedente versu dictum, *pulchra et terribilis es.*

2330. רַהַב Jes. XXX, 7. LI, 9. Ps. XL, 5. (LXXXVII, 4.) Job. IX, 13. XXVI, 12.

Ex notionibus radicis, usu linguarum Orientalium firmatis, quas sub numero praecedente attulimus, si nomen רַהַב explices, erit,

Jes. XXX, 7. *timor:* voco eam, רהב הם שבת *timor* i. e. timidi *sunt*, *sedendo*, non ad bellum gerendum obviam ire hostibus audentes. Malim tamen aliter dispertitis literis, רָהַב הַמַּשְׁבִּית, *timet*, seu potius *fugit fiduciam addens*, Aegyptius, in quo Israelitae confidunt. Vide adpendicem T. XIV. bibliothecae Orientalis p. 97-99.

Jes. LI, 9. *terror.* *Nonne tu es* המחצבת רהב *percutiens terrorem*, i. e. terribilem Israelitis Aegyptiorum exercitum. Sic et Ps. LXXXIX, 11. *tu terrorem* i. e. *terribiles Aegyptios*, *contrivisti ut confossos.*

Job. XXVI, 12. *tumultus aestuantis maris.* De fluxu et refluxu maris sermo: *potentia sua reducit*, i. e. aestuare facit *mare*, et *prudentia sua* מחץ רהב *percutit*, *subsidere facit*, *tumultum maris.*

A timore ac terrore *Deum*, *idola*, dicunt Hebraei. Sic quidem accepi, copiosiusque in collegio critico sententiam dixi, Ps. XL, 5. *beatus*,

tus, *qui confidit in Jehova*, ולא פנה אל רהבים *nec convertit se ad terriculamenta superstitiosa*, *idola*, *ac declinantes ad mendacia*. Possit et tentari, *non convertit se ad timidos*, *confidit in Jehova*, *nec desperat*, sed praecedenti explicationi favet quod sequitur, *et declinantes ad mendacia*. Sic et Job. IX, 13. *sub Deo incurvantur* עזרי רהב *adjutores*, vel, *cultores terroris*, i. e. *idoli*.

2331. רַהַב propriumne nomen Aegypti, Jes. XXX, 7. LI, 9. Ps. LXXXVII, 4. LXXXIX, 4?

Ex recentioribus non pauci fuerunt, quibus רַהַב nomen Aegypti proprium visum, svadentque quae indicavi loca, de Aegypto Aegyptiisque agentia. Invaluit sententia Bocharti maxime auctoritate, qui Phalegi libr. IV. c. 24. p. 259. 260. volebat, *Rib*, ϱιβ, Aegyptiis pirum esse, indeque Delta, insulam Nili, ob formam piri dici רהב, Arabice الريف. Haec quidem et breviter damnavit Schultensius ad Job. XXVI, 12. et copiose refutavit Christianus Müller in satura observationum p. 96. Nempe, (ut recte monet Müllerus,) falsum est, *Rib* Aegyptiis pirum esse, atque adeo in hunc usque diem lexicon Copticum pirum solis Bocharti conjecturis debitum, non habet: ne pira quidem habet Aegyptus, unde nec ab eorum similitudine Delta nomen *Rib* accipere potuit. Wanslebius in itinerario Aegypti mscr. quod bibliotheca nostra academica habet, p. 37. auctor est, *pira Damasco in Aegyptum deportari*, *sed rara esse*. Accedit his omnibus gravius: non RIB Aegypti nomen, sed ريف, seu الريف i. e. *ager cultus*, quo nomine Arabes cultam Aegypti partem et aratam vocant, desertis oppositam, idque nomen nihil ad רהב ut sui quemque oculi docebunt. Vide biblioth. Or. prior. T. VII. p. 30. 31. Abulfedae Aegyptum p. 4. et maxime notam ei adjectam 40.

Aliam רהב, nominis Aegypti, etymologiam dedit Müllerus, a خَوْف *timor*, quod sit nomen deserti Aegyptum inter et Palaestinam: verum in scriptione nominis erravit. Provinciae limitaneae Aegypti, cujus metropolis Bilbeis, nomen est, sive حَوْف *margo*, sive جَوْف *vallis depressa*, (incerta enim scriptio) hoc ergo nomen nihil ad timorem. Vide notam 43. ad Abulfedae Aegyptum. Aliam dedit Forsterus in literis ad me scriptis, a PH-OYAB *soli sacra* terra.

Ety-

Etymologias video, ſed hae mihi non ſufficiunt: nullo enim auctore aut exemplo, conſtat RAHAB unquam Aegyptum vocatam eſſe, ريف (ריף) enim, notum Aegypti nomen, ut jam dixi, nihil ad רהב. Veterum interpretum nullus geographiae mediocriter peritus, רהב pro nomine Aegypti habuit. Magna eſt in geographia Aegypti auctoritas LXX interpretum, ſed his nuſpiam רהב Aegyptus, nec omnino pro nomine proprio habuerunt. Syrus, Aquila, Symmachus, Theodotio, Vulgata, Hieronymus in commentariis, nunquam רהב Aegyptum vertunt. Solus Chaldaeus, pſalmorum interpres, perquam recens et indoctus, Pſ. LXXXVII, 4. מצראי *Aegyptios*, vertit, et LXXXIX, 11. ſcripſit, רהבא *is eſt Pharao impius*. Ergo, donec novae quid lucis adfulſerit, hoc Aegypti nomen, quantumvis blandiatur, abdicandum.

At quid verbis אזכיר רהב ובבל *memorabo Rahab et Babylonem* Pſ. LXXXVII, 3. faciemus, in quibus ob filum orationis רהב vix poteſt nomen niſi proprium eſſe? Haud expedio quidem, nec tamen nomen ſi eſt proprium, ſequitur, ut nomen Aegypti ſit. Syrus per Chet רחב legens, ܪܚܒ ſcripſit, quod foret Adiabenes Aſſyriae, vel etiam Rahabae ad Euphratem, nomen. Vide biblioth. Or. priorem T. XII. p. 191–193. Nullus tamen codex hucusque ſuffragatus eſt.

2332. רֹהַב Pſ. XC, 10. *celeritas*, *fuga*.

Ex *feſtinandi* ſignificatione רָהְבָּם *feſtinationem*, *celerem fugam annorum* interpretor, i. e. cito praetereuntes et fugientes annos. Conſentire contra me veteres non diſſimulo, ac vertere ac ſi idem eſſet, quod רֻבָּם, non quidem aliter legentes, nulla certe in codicibus Hebraicis varietas lectionis hucusque obſervata, ſed quod ignotum ſibi רהב ex רב interpretarentur: LXX τὸ πλεῖον αὐτῶν, Syr. ܣܘܓܐܗܘܢ, Chald. סוגעיהון, *plurima pars eorum*: ſed malim linguarum Orientalium certum uſum, quam hariolationes ex alliterationibus ſequi. Lexica quae habent, hic non concordia, non colligo.

2333. מַרְהֵבָה ex var. lectione Jeſ. XIV, 4.

Jeſ. XIV, 4. editio Theſſalonicenſis, a Doederlino collata, מרהבה habet, i. e. *exactrix*, *feſtinare faciens*, *urgens*, hac eximia ſententia, *ceſſat jam exactrix*, *quae ſaeve antea operas ſerviles exigebat*. Vitium eſſe poſſit typographicum, cum ex nullo citetur codice Hebraico ſive Kennicotti

nicotti sive de Rossii: nec tamen negligendum duxi, cum sic verterint LXX et Syrus, ὁ ἐπισπουδαστής, ܡܣܪܗܒܐ.

2334. רהה Jes. XLIV, 8. *vacillavit.*

Vide Coccejum, cujus dictis addo رَهْيَأَ quadriliterum a رهي esse, *vacillavit.* אל תרהו verto, *ne vacillate,* vacillationem de anxia dubitatione accipiens. Ad cogitationem etiam Arabes verbum transferunt.

2335. רְהָם *multitudo.* Genes. XVII, 5.

Ex hoc nomine, et אב, compositum nomen אברהם *pater multitudinis,* sic enim ipse Moses interpretatur; אב המון גוים *pater multitudinis gentium.* Obsoletum Mosis jam tempore vocabulum fuisse videtur, quod in interpretatione aliud pro eo המון substituit. Aliquid in linguis Orientalibus praesidii, nec tamen quantum vellem. أَرْهَمَ est, *pluit,* رِهْمَةٌ pluraliter رِهَام *pluvia,* nec tamen, quam vellem, in imbris morem effusa, sed, *leniter delabens, lenis et continua.* Magis ad rem facit رُهَام *numerus copiosus.* Ex solis lexicis verbum novi, legere non memini, nec exempla harum significationum, qui alias solet, addidit Castellus. Syris ܪܗܘܡܐ *murmur:* a murmure dici continuo stillans pluvia potuerit. Utinam aliquis exempla adferret Arabici Syriacique verbi. Mire Hieronymus T. IV. 281. in commentario ad Galat. IV. *Abraham in nostra lingua pater electus cum sonitu refertur,* praeeunte Philone T. II. p. 13. πατὴρ ἐκλεκτὸς ἠχοῦς, auctore sane in philologia Hebraica non gravi, *sonitus* tamen, quam habet notio, cum Syriaca convenit. Non dissimulandi defectus cognitionis nostrae linguae Hebraicae.

2336. רוב Ps. XVIII, 15.

Jaculandi significatione hic accepit Kimchius, nullo certo exemplo, quae enim adfert, aut dubiae sunt interpretationis, aut mutatis vocalibus ad רבה referri possunt. Equidem mallem, וברקים רב *et fulmina, multitudinem,* i. e. *multa fulmina,* ut vertit Chaldaeus. Multitudinis notione et LXX, Syrus, Hieronymus acceperunt, sed liberiore interpretatione verbum ponentes, *fulmina multiplicavit.*

2337. יָרֵב Hos. V, 13. X, 6.

His quidem accedo, qui *adversarium*, *hostem* interpretantur, ut idem sit quod יָרִיב. Sciendum tamen, LXX et Syrum pro nomine proprio habuisse regni vel regiae, *ad regem Jareb:* sed est geographiae omnino ignotum. Priore loco Theodoretus et Ephraemus *Aegyptum* intelligunt, ex historia. Placuerit forte his, qui RIB nomen Aegypti fuisse volunt: sed plane obstat alter locus c. X, 6. in quo vix alium quam Assyriae regem intellexeris.

2338. רוד Genes. XXVII, 40. Jerem. II, 31. Hos. XII, 1. Ps. LV, 3. *voluit*, *vagatus est*.

Verbum Arabicae linguae frequentissimum ac cuivis tironi notum, sed in quo ita dissident veteres, atque adeo lexicographi, ut manifestum sit, eos non nisi conjecisse. Verissimam sententiam primus, quantum scio, dixit Ludovicus de Dieu ad Jerem. II, 31. sed quam plane ut meam meisque verbis expono. In Hiphil idem est Arabico رود, in quarta, أراد, *voluit*, quo verbo vix aliud in lingua Arabica notius aut frequentius. Hinc jam

Genes. XXVII, 40. כַּאֲשֶׁר תָּרִיד *cum volueris*, *excuties jugum ejus*; i. e. ubi primum tentaveris, aususque fueris rebellare, jugum fratris excuties. Magna hic veterum dissidia, et eorum, qui Arabica ignorabant, et, quod mirere, interpretum Arabum: תֹּרִיד *descendere facies*, extulerunt LXX et Vulgata, nullo tamen codice plene תוריד habente, ἔσται δὲ ἐὰν καθέλῃς καὶ ἐκλύσῃς τὸν ζυγὸν αὐτοῦ, *tempusque veniet*, *quo excutias et solvas jugum ejus*, hi forte reliquis verisimilius, nisi quod in כאשר vertendo adhaerent. Syrus, ܐܢ ܬܬܘܐ *cum poenitentiam egeris*, (num ex *plangendi* notione quam multi verbo gratis dederunt?) Chaldaeusque, *cum filii fratris tui transgredientur verba legis*. Non pauci recentiorum, *cum planxeris*, nullo linguarum Orientalium usu. Vel ipsa conjectura displicet, plangentis non est vincula fortiter disrumpere. Arabs Polygl. اِسْتَوْلَيْتَ Erpenianusque تسلّط, *cum dominatus fueris*, *excuties jugum ejus*, collato רדה dominari, hoc totum Rabbinicum, Kimchius etiam in radicum libro verbo significationem ממשלה *dominationis* dedit, ex quo in non pauca lexica recepta. Ne placet quidem sententia, quis

quis enim dubitat, quin fratri desinas servire, ubi ei domineris? quis doceri a propheta opus habeat? Est fere tale vaticinium, quale, *quando morieris desines vivere.* Samaritanus denique textus lectionem mutat, תאדר, *cum fortis vel gloriosus fueris*, suo pro more, et nullo codice Judaico consentiente.

Hinc et רדנו Jerem. II, 31. explicat Ludov. de Dieu, *volumus, obstinatum nobis est.* Verum est in Kal, qua in conjugatione رود nunquam est, *velle.* Ergo

II) notemus رود esse, *pabulari, palare, discurrere et commeare huc illuc,* peculiariter de feminis discursantibus poni solitum. — Totum caput imaginem feminae sistit, furore Venereo correptae, vagae et vel deserta pererrantis, stupri cupidine. Jam ergo verto: *vagabimur*, quocunque lubet, *non veniemus ad te.* Praeivit Chaldaeus, אטלטלנא *vagamur*, inque rei summa Aquila, *procul recessimus* (in Hexaplis Syriacis ܐܬܪܚܩܢ) et Vulgata; *recessimus.* — — Dominandi hic iterum significatione ex רדה arrepta LXX *οὐ κυριευθησόμεθα*, vel, *οὐ δουλευθησόμεθα.*

Ex eadem vagandi palandique significatione et Ps. LV, 3. accipio, ut idem sit, quod sequens הום de quo n. 553. actum. Psalmum cecinisse tempore rebellionis Absolomi profugus Davides videtur: hic jam אריד בשיחי ואהימה *vagor querulus ac dolens, ac deserta pererro.* — — Hic quidem locus est, ex quo potissimum *plangendi* significationem exsculpserant, verbo in lexicis datam, sed linguis Orientalibus ignotam — Valde et hic discordes veteres, ut in conjecturis accidere solet, nullo tamen planctum lexicographorum habente: LXX et Vulg. *ἐλυπήθην*, *contristatus sum*, Symmachus, conferens forte ירד, *κατηνέχθην*, exque eo Hieronymus, *humiliatus sum*, Chaldaeus, אתרעם *querulus sum.*

Hos. XII, 1. ויהודה עוד רָד עם אל non ita ut praecedentia expedio, nec mihi de eo liquet. Verisimillimum, quod habet Ludovicus de Dieu, *vult cum Deo*, i. e. consentit cum Deo, aut *volendi* verbo fortius accepto, *firmiter et cum proaeresi adhaeret deo*, *obstinatus est* (si verbo audacia detur) *cum Deo*, ut idem sit, quod in sequenti membro נאמן *firmus*, stabilis. Sic fere Chaldaeus, מתקפין בירואת יי *obfirmant se in timore dei.* Probabilis sententia, turbat tamen quod رود in quarta quidem, nunquam in prima conjugatione, quae Kal Hebraeorum respondet, est, *velle.* Rabbinorum, ut Raschii, *dominatur cum deo*,

ex

ex רדה, plane displicet. Dathe, *vagi oberrant a Deo*, ex vagandi, et palandi notione: sic tamen dicendum fuisse videtur, מֵאֵל. LXX aliter legerunt. Hieronymus רד idem esse opinatus quod ירד, et efferens, עַד רַד, in Vulgata vertit, *Judas testis descendit cum Deo*, inque commentario, *RAD et descensionem et fortitudinem significat, pro quo Aquila transtulit ἐπικράτεια* (imperium). Ergo et Aquila ad רדה dominari referebat, ut alii multi. Haec quidem parum satisfaciunt. Ausimne conjecturam promere: رود inter alia *lenem modestumque incessum* denotat, unde et *pabulari*, *pasci* dictum: vertendumne, *adhuc incedit cum deo? deum nondum deseruit.*

2339. רודנים Genes. X, 4. 1 Paral. I, 7.

Nomen coloniae seu populi Graecae originis, ex varia lectione, sed quae mihi falsa videtur. Rhodios LXX interpretati sunt: Rhodani, fluvii Galliae adcolas Bochartus, libr. III, c. 6. Phalegi. Mihi ipsum nomen suspectum, a quo interpretando abstineo. Caeterum vide spicilegium geogr. Hebr. T. I. p. 121–124.

2340. רָוָה.

Arabibus روي de omni largo potu, aquae etiam, et rigatione, Syris ܪܘܝ peculiariter de ebrietate ponitur. Hebraeis utrumque significat, exque ipsa orationis serie dispiciendum, quae ei notio optime conveniat: nec adstipulor Coccejo, ebrietatis notionem, quam persaepe veteres interpretes expresserunt, plane excludenti. Placet sane, estque linguae Aramaeae usui consentaneum, quod Vulgata Prov. XI, 25. habet, *qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Jes. XXXIV, 5. praeplacet sane Graecum, ἐμεθύσθη ἡ μάχαιρά μου ἐν τῷ οὐρανῷ, ut sanguine ebrius, eoque ferocior dicatur gladius, et Jerem. XLVI, 10. *inebriabitur sanguine ipsorum*, quam, *satiari sanguine.* Nec nimis hic, ut fecit Coccejus, morum doctrina premenda: ebrietas in figurata oratione aliquando et in laude esse possit. Sed haec omnia, utramque significationem linguis Orientalibus habentibus, quovis in loco ex serie orationis et gustu existimanda. Sic quidem et Ps. XXIII, 5. כוסי רויה nolim vertere, *poculum meum est rigatio*, sed, *ebrietas*, i. e. vino nobili plenum, quo inebriari possim. Et hic LXX Syrusque de ebrietate acceperunt.

2341. רָז *arcanum.* Jes. XXIV, 16.

רָזִי לִי רָזִי לִי Jes. XXIV, 16. ad radicem רזה, رزي *emaciavit*, relatum, *maciem* interpretantur lexicographorum plerique, praeeunte Kimchio: *macies mihi*, *macies mihi!* Non placet auribus hac orationis ſerie macies, eſtque vel hoc nomine ſuſpecta verſio, quod veterum nemo de ea cogitavit.

Chaldaeis רָז eſt, *myſterium, arcanum,* ſicque Dan. II. aliquoties de ſomnii arcana ſignificatione, ſatisque inſtantibus ponitur, Syris ܪܳܙ et ܐܪܳܙ (utroque enim modo, quin et ܪܐܙ ſcribi ſolet) idem. Sic quidem *arcanum* erit, *arcanum fatorum*, *triſte vaticinium*, plane ut et Arabes غَيْب de *futurorum arcanis* ponunt: *haec inter laeta triſte mihi arcanum meum*, nempe quod ſtatim ſequitur, nova peccata novas poenas provocatura. Vide verſionem germanicam. Praeierant, τὸ μυστήριόν μου ἐμοὶ, Aquila, Symmachus, Theodotio, (ex quo, ut in commentario jam monuit Hieronymus, et ſeptuagintavirali verſioni, hic hianti, inſertum) Vulgata, *ſecretum*, vel, *myſterium*, Syrus et Chaldaeus ipſo vocabulo רָז et ܐܪܳܙ ſervato. Monuerat adeo in radicum libro David Kimchius, patrem ſuum ad Chaldaicum רז retuliſſe, ut ſit, דבר סוד verbum arcani: Raſchiusque, *ſecretum poenae et ſecretum ſalutis* interpretabatur.

2342. רוּחַ, הֵרִיחַ Jes. XI, 3. Job. XXXIX, 25.

הֵרִיחַ eſſe *odorari*, non nego, his tamen duobus locis ea ſignificatio parum apta. Jes. XI, 3. ſi puncta ſequaris, וַהֲרִיחוֹ ex quibus verbum infinitivi modi eſt, vertendum, *ſpiritum ducere ejus erit*, i. e. *ſpiritum ducet*, *halabit*, *in timore Jehovae*, ex Arabico أَرَاحَ *halitum duxit.* Praeteritum ſi facias, וְהֵרִיחוֹ verterim, *perſpirabit eum timore dei:* ſic quoad ſententiae ſummam LXX. ἐμπλήσει αὐτὸν πνεῦμα φόβου θεοῦ, Vulg. *replebit illum ſpiritus timoris domini.*

Job. XXXIX, 25. (28.) מרחוק יָרִיחַ מלחמה Vulgata, quam plerique ſequuntur, vertit, *procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* Non ſatis placet phraſis: malim, *ſpirat bellum*, i. e. *anhelo curſu*, *halitum iratis naribus efflans*, *ruit in bellum* &c.

2343. רוּחַ.

לֶדֶת רוּחַ, *parere ventum*, Jes. XXI, 18. esse videtur *empneumatosis*, *mola ventosa*, qua quae laborant, *diu et sibi et peritis medicis gravidae videntur, tandemque post omnes verae graviditatis molestias et labores ventum ex utero emittunt*. Vide plura, et medicos morbum describentes, in syntagmatis commentationum Parte II. p. 165. Oppositum explicationi, rariorem morbum esse, verum et a rarioribus sed stupendis poetae imagines mutuantur. Biblioth. Or. prior. T. XXII, p. 21. Idem et significare videtur לדת שקר Ps. VII, 15.

רוח פה *halitus oris*, Ps. XXXIII, 6. idem quod in praecedente membro, דָּבָר, *verbum*. Sic et Jes. XI, 4. Proverb. I, 23. Displicet sane Jes. XI, 4. de quo alii cogitant, pestilens halitus.

2344. רִיחָה Jes. XV, 5. num *Jericho?*

Jericho Arabibus رِيحَى. Hocne nomine vocatur Jes. XV, 5? Vide biblioth. Or. T. XIV. adpend. p. 5. 6. et expende, ubi non sententiam dixi, sed dubitavi. Quae tamen consvetae verbi בְּרִיחָה *fugitivi eorum* opposueram, partim disparuerunt, postquam in multis codicibus Kennicottianis et de Rossianis nomen cum Jod plurali, בְּרִיחֶיהָ, inventum.

2345. רום Jes. XXX, 18. *quaerere*.

רום nota *altitudinis* significatione vix aptum his Jesaiae, ירום לרחמכם, unde factum, ut vel lectionem ex conjectura mutare mallent Houbigantius et Lowthus, sed nullo eam codice confirmante. رام pro روم Arabibus est, *quaesivit*, *expetivit*, *voluit*, *tentavit* (Luc I, 1. Act. XXVI, 21.) et مَرَام *propositum*, *voluntas*. Hinc consvetam lectionem vertes, *quaerit*, vel, *vult misereri vestrum*, *modo possit*.

2346. רמות Ezech. XXXII, 5.

Ad quam radicem referendum, aut quibus vocalibus animandum sit, ex interpretatione pendet; quae quidem dubia. Punctorum auctor, ad radicem רום referens, רָמוּת scripsit, eumque sequutus, Lutherus, *Höhe (altitudinem)* Coccejus *praecellentiam* vertit: parum verisimiliter.

 Aliter

Aliter legiſſe videntur, per Daleth, דמות, LXX. ſanguinem vertentes: *ἀπὸ τοῦ αἵματός σου*, quo et referenda videtur, ſequax illorum, ſed exquiſitiore vocabulo uſa, Vulgata, *ſanie tua*. Hucusque tamen non repertus codex, Daleth habens, nec דם in plurali דמות flectitur, ſed דמים. Ergo in lectione conſveta manendum videtur.

Hanc ſi puncta רִמּוֹתֶךָ ſequi lubeat, explicuerim, *reliquias*: (implebo valles reliquiis tuis) collato Arabico, رَمِيمٌ quod Golius exponit: *redundans res, quaeque ſuperat, peculiariter poſt mactati cameli diſtributionem, os ejus aliquod, aut articulus: item ſepulcrum*: videoque hanc verſionem in Cocceji lexicon a Schultzio editum, immigraſſe.

Non equidem eam abdico ante XXX et quod excurrit annos datam: veriſimilis tamen, poſtquam auctoritatem punctorum migrare auſus ſum, videri coepit verſio Syri, *implebuntur valles* ܢܚ̈ܠܐ ܒܣܪܝܘܬܟ *putredine tua*, i. e. putrefactis tuis cadaveribus, ac forte latinus interpres, *ſaniem* vertens, non LXX ſequutus eſt, non aliter legit, ſed hoc ipſum voluit. Sic ad rad. רמם, (quam vide) referendum, punctandum רִמָּתֶךָ, aut ſi lectionem רמותיך ſequaris, ex 28 codicibus a Kennicotto adlatam, רִמּוֹתֶיךָ, *vermibus tuis*, i. e. *cadavera tua, vermibus plena et exeſa, integras valles tenebunt*. Haec inter ſuſpenſus, in verſione Germanica reddidi: *und die Thäler mit deinen faulenden Ueberbleibſeln anfüllen*.

2347. רון *recogitare, deliberare*.

Abeſt a lexicis Hebraeorum, licet ſemel in textu maſorethico non intellecto obvium, et bis ex varia lectione, quam ipſam intelligi neceſſe eſt. Arabibus quidem رُونٌ *eſt extrema conſultatio*, in ſummo periculo, et adverſitate fortunae. A varietate lectionis ordiamur:

1) 2 Sam. XIX, 10. ubi Hebraica כל העם נדון Syrus vertit, ܘܗܘܐ ܟܠܗ ܥܡܐ ܪܐܢ ܒܟܠܗܘܢ ܫܒܛܐ ܕܐܝܣܪܝܠ *et fuit omnis recogitans* (a radice ܪܢܐ quae literis radicalibus eſt noſtrae רון cognata) *in omnibus tribubus Iſraelis*, exque illo Arabs, يَفْكُرُونَ. Egregie aptum ſequentibus: *dicendo, rex eripuit nos ex manu hoſtium, et Philiſtaeorum, jamque fugit ex terra ob Abſalonum*. In nullo tamen codice נרון per Reſch hucusque inventum.

2) Ge-

2) Genes. VI, 3. pro ידון codex Kennicotti 478, (Romanus, qui ei seculo XIII scriptus videbatur) ירון. Non equidem valde probem lectionem, explico tamen: *non amplius solicitus erit spiritus meus pro hominibus*, curam illorum deponet, non laborabit amplius.

3) In ipso textu masorethico legitur Proverb. XXIX, 6. יָרוּן, nulla lectionis varietate, nisi quod unus codex (228, Romanus anno 1295 scriptus) ירוץ habet, eximia quidem sententia, (*justus currit et laetatur*, i. e. intrepidus, laetusque, tutus a laqueis viam suam currit) sed tamen consveta, ac codicum consensu prope certa lectio explicanda. Reddiderunt prope omnes, ac si esset a רָנַן *laete exclamavit*, LXX. ἐν χαρᾷ ἔσται, recentior anonymi versio a Villoisonio edita, ἀλαλάξει αἰῶνα, Chald. דָּיֵץ *exsultat*, Syrus et Vulgata ܢܫܒܚ, *laudabit*. Obstant tamen non vocales modo, sed et consonantes, ex lege enim grammatica יָרֹן a רנן sine Vau et per Cholem scribendum fuisset. Mihi quidem רון رون aptissimum hic videtur praecedenti, *perfidia viri tendicula est maligna*, sive vertas וצדיק ירון ושמח *sed justus deliberat*, (omnia circumspicit, caute agit) *et laetatur*, sive etiam, quod malim, *in summo periculo consilium capit*, *et laetatur*, i. e. funes sibi tensos ac pericula prudenti consilio exit.

Solus hic Schultensius, sed aliter rem instituens, Arabicum رون seu potius رين in subsidium vocavit, vertens, *at justus vel succumbens triumphabit*, (proprie, justus *succumbit et laetatur*). Non nego رون esse quoque *vinci*, quamquam et *vincere*, quod huic forte loco aptius, sed displicet sententia, *succumbit fraudibus et laetatur*.

2348. רוע.

Frequentissimum Arabibus verbum روع cum derivatis, *terrendi* significatione, a prima, ut videtur, *tremoris*. Hinc Hebraeis רַע *malum*, proprie, *terribile*, et תְּרוּעָה *clangor buccinae terribilis, clamor bellicus*. Ex hac Arabica significatione רעו עמים וחתו, sive active, *terrete* nos *populi*, (terrorem nobis incutietis, sed hoc solo defungemur) sive, ut Syrus vertit, passive, *terremini gentes*. Favet explicationi sequens חתו. Eadem terroris tremorisque notio et perquam apta Prov. XI, 15. XVIII, 24.

Ad

Ad hanc radicem relatum Jesaiae illud, רֹעָה הִתְרֹעֲעָה הָאָרֶץ cap. XXIV, 19. vertunt, Syrus Chaldaeusque, *commovendo commovetur*, vel, *intremiscendo intremiscit terra*, LXX. ταραχῇ ταραχθήσεται, quod Arabs reddidit, *quatietur concussione*. Praefero. Alii ad רעע retulerunt, quod *frangere*, interpretantur. Sic quidem ex veteribus Theodotion et Vulgata.

הֵרִיעַ de tuba positum, *tuba clanxit*, quomodo a תקע diversum, ex Numer. X, 7. 9. intelligitur: הריע est *tuba clangere ad aciem seu bellum*, תקע *tuba clangere*, *ad convocandum populum*. Notandum hoc ad Hos. V, 8. Gibeae et Ramae, quae urbes ad regnum Judae pertinent תִּקְעוּ בַשּׁוֹפָר *tuba canunt ad convocandum populum*, ad Bethaven a tergo Benjaminis הָרִיעוּ *clangunt ad bellum*, *inque acie*: in regno decem tribuum bellum, sed proxime a Juduaea, in cujus finibus populus, ne quid hostile ingruat, congregatur et ad arma vocatur, non ad aciem.

2349. רָזוֹן *emacians morbus.*

Est quidem ex derivatione a רזה, Arabicoque رزى *extenuatus, enervatus fuit morbo*, proprie *emacians morbus*: psalmo tamen CVI, 15. de morbis ponitur divinitus Israelitis immissis, multa uno die millia perimentibus. Hic ergo certe non *macies* intelligenda, sed pestilentes morbi. Ausus sum, hanc significationem et ad Jes. X, 16. transferre, ubi de peste Assyriis immissa sermo, praeivitque Syrus ܐܘܒܕܢܐ *internecionem* vertens: vereri tamen incipio.

In psalmo CVI per antiphrasin LXX et Syrus satietatem vertunt: apte ad historiam, de qua agitur, sed artificium antiphrasis suspectum.

רָז vel רָזִי Jes. XXIV, 16. quaere paulo ante num. 2341. sub radice רזה.

2350. רְחֹבוֹת הַנָּהָר *Rahaba ad Euphratem*. Genes. XXXV, 37.

Est رحبة (Rahaba) Arabum, quam in indice geographico, vitae Saladini adjecto Abulfedae verbis descripsit Schultensius. Sita ad Euphratem Cercusium inter et Anam, vetus trans fluvium, nova cis illum. Non compilo, sed ad illum ablego: unum ex eo enoto, *Rahaba Malich Ibn Taub* eam Arabibus dici, non, ut putabat Bochartus, *Rahabam regis* Idumaei ex ea oriundi, sed *Malichi filii Taub*, multo recentioris, a quo eam conditam ferunt. Nec id obstat, quin a Mose jam commemorari potuerit,

rit, conditores enim urbium dicuntur Arabibus, jam restauratores et ornatores, jam qui eas muniverunt moenibusque cinxerunt. Invenies in tabulis Euphratis d'Anvillianis sub gradu lat. 35, 10. cis fluvium, novam Rahabam.

Caeterum plures Asia urbes habet רחוב vel רחבות dictas, proprie, *forum*, vel, *platea*: multae initio urbes forum aut platea fuerunt. Arabibus non paucarum urbium, maxime ad Euphratem Tigrimque, nomen سوق, idem significans.

2351. רחבות עיר Genes. XI, 11.

Nomen proprium antiquissimae in Assyria urbis, quod adpellative foret, *Plateae civitatis*, quo civitatis nomine adjecto ab altera רחבות הנהר distinguitur. Certi de ea et explorati nihil habemus, varieque veteres vertunt, Ephraemus Syrus, cujus in geographia harum regionum aliqua auctoritas, Syriacum ܪܚܒܘܬ ܡܕܝܢܬܐ interpretatur, ܚܕܝܐܒ *Adiabenen*, quae olim *ingens civitas* fuit *ad Auzabam seu Lycum fluvium*, teste Ammiano. Vide plura in spicilegio geogr. Hebr. exterae T. I. p. 240–244. Conjiciebam tum, jam paulo scribo fidentius, Adiabenen Ammiani esse eam, quae nunc *Altuncuperi* dicitur: sita illa ad Zabum minorem, seu potius in insula hujus fluminis, habetque ab uno latere magnum pontem, illum ipsum credo, in quo Ammianus hostias caesas tradit. Vide Niebuhrii itinerarium T. II. p. 340.

2352. בית רחוב, רחוב.

רחוב, Numer. XIII, 21. seu, ut Judic. XVIII, 28. vocatur, בית רחוב, regio Rechob, sita ad terminum borealem Palaestinae, intra tamen illam, atque a Phoenicibus habitata, Jud. I, 31. vicina Chamathae, ut ex Num. 13. intelligitur, atque ut ex Jud. 1. discimus, in vallibus, Libano credo aut Antilibano subjectis. Estne illa *Damascenes Rahaba*, (رحبة دمشق) quam Schultensius in indice geographico vitae Saladini subjecto ex lexico geographico memorat?

Ab hac diversa בית רחוב 2 Sam. X, 6. cujus milites stipendiarios Ammonitae contra Davidem conduxerunt, erat enim Aramaeorum. Ambigi possit inter רחבות הנהר, num. 2350. et רחבות עיר n. 2351. Pro illa facit, quod loco *Syrorum regionis Rechoboth*, 1 Paral. XIX, 6. *Syri Mesopotamiae*, ארם נהרים memorantur: pro hac, in Assyria sita, quod Ps. LXXXIII, 9. Assyrii opem filiis Loti, i. e. Ammonitis ferunt. Equidem

dem interpretationem libri Samuelis ex psalmis, coaevo libro, praetulerim alteri, ex recentiore libro chronicorum. Vide *historiam belli Nesibeni* §. 16. p. 99–102. *commentationum per annos 1763–1768. oblatarum.*

2353. רחב Pf. LXXXVII, 4.

Jam supra p. 2239. monitum, Syrum per ח legisse, ܪܚܒ. Sic esse possit, sive Rahaba ad Euphratem, sive Rahaba Assyriae, Adiabene. Quamquam potuerit nomen urbis et per adspiratam literam fortiorem ח, (ح) et per simplicem ac molliorem ה scribi. Schultensius in indice geographico docuit, *Rahabae ad Euphratem* nomen in mappa Constantinopolitana per He, رهبة, scribi: idem et contingere in psalmo potuerit.

2354. רחף Genes. I, 2. Deut. XXXII, 11. Jerem. XXIII, 9.

Movendi, palpitandi, intremiscendi, indeque et *volandi, flandi* notiones, quas verbo dare solent, egregie fateor aptae, tribus locis: praeiveruntque ex veteribus Genes. I, 2. LXX, Aquila, Symmachus, Theod. Vulgata, *ferebatur*, Chaldaeus, Samaritanus, uterque Arabs, *flabat*, Deuteron. XXXII, 11. Vulg. Arabes, Samarit. Jeremiae XXIII, 9. LXX, Chald. Syr. Vulg. *commota sunt*, vel *intremuerunt*. Unum est molestum, facitque verisimillimam alioquin interpretationem dubiam, quod hanc significationem reliquae ignorant linguae Orientales, quod enim Castellus sub Syriaco ܪܚܦ habet, *motatus est more avium incubantium, Genes. I, 2.* ex consveta Hebraici verbi interpretatione sumtum, nec Syriaco exemplo firmatur. Has ergo Orientales linguas, Syriacam maxime, interrogemus, videamusque, num quid opis ferant.

Syris quidem ܪܚܦ est,

1) *delapsus est, decidit*, e. g. ignis de coelo, fulmen, unde et ܪܚܦܐ *lapidem calidum* vocant *in lac injectum.* Ex hac significatione Gen. I, 2. erit, *spiritus*, vel, *ventus Dei descendebat super aquam.* Sic fere Josephus, Ant. I, 1, 1. πνεύματος δὲ αὐτὴν (γῆν) ἄνωθεν ἐπιθέοντος, γενέσθαι φῶς ἐκέλευσεν ὁ θεός.

2) *incubavit* ovis vel pullis *avis*. Hoc Ephraemus Syrus, Op. T. I. p. 157. 158. ad Genes. I, 2. transtulit, ubi harmonice Syriaca versio habet, ܘܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܡܪܚܦܐ. Non placet *incubare, incubando fovere*, sive de vento vehementiore sive de spiritu dei positum. Melius

locum

locum tueri possit in Deuteronomio, *ut aquila incubat pullis suis:* sic praeivit Chaldaeus מתחופף.

3) *tenerrimo amore fovit, misericordia amplexus est.* Hoc ad Deut. XXXII, 11. transtulerunt LXX. ἐπὶ τοῖς νοσσοῖς ἐπεπόθησε, *pullos suos amat;* perquam verisimiliter: minus bene ad Genes. I, 2. Jonathan, *spiritus misericordiae a Jehova flabat.*

Tentavi hinc Jerem. XXIII, 9. *omnia ossa mea condolent:* possis et ex Arabico رخف vertere, *mollescunt omnia ossa mea.* A mollescendo et, *palpitare*, dici potuerit. Valde tamen hic placet consueta versio.

2355. רחץ *lavit (corpus).*

In codice Hebraico de sola corporis ejusque membrorum, ut כבס (num. 1094.) de vestium lotione ponitur: Arabibus رحض latius patet. De 1 Reg. XXII, 18. pagina 603. dicta non repeto.

2356. רָטָה *projecit.*

יִרְטֵנִי Job. XVI, 11. si ad radicem רטה referas, his adsentior, qui vertunt *projecit me.* Praeiverunt LXX ἀσεβέσιν ἔῤῥιψέ με, eademque manente sententia, sed molliore verbo. Syrus et Vulgata, *tradidit.* Prima vis Arabici رطأ, quod et sine Hamza رطا pro رطو iisdem manentibus significationibus scribere solent, esse videtur, *projecit:* huc redeunt *projecit missile* (vide Castellum), *ejecit* merdam, atque etiam *coivit cum muliere*, proprie, *prostravit* illam. Rem ipsam habet Simonis, sed clarius dicendam existimavi.

2357. רטש *humi stravit, congessit, accumulavit.*

Allidere verti solet ex Vulgata, obscuriore verbo et multis male intellecto. Prima vis verbi esse videtur, *humi prosternere*, quam per ἐδαφίζειν in prophetis minoribus expresserunt LXX, Hos. XI, 15. XIV, 1. Nahum. III, 10. Hinc Jes. XIII, 18. vertere possis, *arcus eorum juvenes prosternunt.* At a sternendo, faciunt Arabes, ارطس *congesti fuerunt atque impositi lapides super aliqua re:* hinc de cadaveribus positum, maxime parvulorum, ut Jes. XIII, 16. Hos. X, 14. stragem significare tantam videtur, ut cadaverum acervi fiant, cadavera cadaveribus insternantur. Arabicum ارطس cum على construi solet, eadem constructione Hoseas, אם על בנים רטשה *mater super filios prostrata*, humi prostrata super filiis jacet.

2358. ריפת Genes. X, 3.

De hoc populi Japhetitici nomine ignorantiam professus sum meam, aliorum sententias retuli, et dubitavi, in Spicilegio T. I. p. 64-67.

2359. רכב *conscendit.*

Est omnino, ut lexica habent, *equo, curru*, apud Arabes etiam, *navigio vehi*: verum haec omnia in aliam, latius etiam patentem, notionem coeunt, *adscendere, conscendere, (equum, currum, navigium)*. Hanc permultis locis, ex Trommii concordantiis discendis, LXX per ἐπιβαίνειν, bis per ἀναβαίνειν expresserunt, estque adeo, ubi Arabs prophetarum ex Graecis interpres, pro ἐπιβαίνειν ركب reposuit, ut Hab. III, 8.

Hac latiore *conscendendi* significatione accipio Deut. XXXII, 13. ירכיבהו על במתי ארץ *conscendere eum fecit excelsa terrae*, qui enim Palaestinam devicerunt Israelitae, pedites, non equites. Sic et saepissime ركب Arabibus de itinere pedestri ponitur, ut, cum Taabbata-Scharran caedem ulturus iter pedes ingreditur.

In conjugationibus transitivis ركّب et اركب est, *rem alteri imponere*. Sic et aliqui veterum hoc ipso quem dixi loco Deuteronomii ירכיבהו acceperunt: Vulg. *constituit*, Syrus, *habitare fecit eum super excelsam terram*. Hinc הרכב ידך 2 Reg. XIII, 16. *impone manum tuam arcui*. Sic Vulg. et Syrus, *pone manum super arcum*

2360. רֶכֶב *equus?*

Nota currus significatio vix locum tueri posse videtur 2 Sam. VIII, 4. ubi *omnibus* רכב *nervi succisi* dicuntur, *centum modo servatis*. Hicne ergo equi intelligendi? sive per figuram orationis, curru pro equis posito, qui ei juncti, sive vocabulo simpliciter et equum, quo vehimur, significante. Curruum nulla mentio praecesserat; licet eos habeat liber chronicorum. LXX aliquoties רכב ἵππον vertunt, Exod. XVII, 4. Jos. XVII, 16. 18. 1 Reg. XVI, 9. 2 Paral. XXI, 9. Jes. XXXVI, 9. Ut verbum רָכַב utrumque significat, *equo* et *curru vehi*, ita et nomen רֶכֶב plerumque *currus* aliquando et *equus* esse potuerit. Syris ܪܟܫܐ *jumentum in quo sedetur*, 2 Reg. VII, 14. pro סוס positum. 2 Reg. VII, 14. שני רכב סוסים non *duo currus* esse videntur, quibus exploratores vix uti possint, sed *duo paria equorum*. Sic Syrus, *duo juga equorum*. Vulgata

ta simpliciter *equos* habet, *adduxerunt duos equos.* 2 Sam. XIII, 5. שלשים אלף רכב vix possunt *triginta curruum millia* esse, sed, si sana lectio, *triginta equorum millia*, ita ut quisque 6000 equitum praeter eum, cui insidebat, equum alios quatuor subsidiarios haberet. Copiosius haec dicta in jure Mosaico T. III. p. 301 – 304. (*).

2361. רִכְבָּה Nahum. II, 14. *strues lignorum? pyra?*

Conjecturam promo, non dico sententiam. רִכְבָּהּ si sine Mappik efferas, רִכְבָה, esse possit *strues lignorum*, a *componendo*, *imponendo*, quod רכב Arabibus, quin et aliis Orientalibus, ipsis Rabbinis significat, dicta, ipsa illa pyra, in qua Sardanapalus se suasque uxores combussit. Ablego ad bibliothecam Orientalem priorem, T. XX. p. 194. 195. In versione bibliorum germanica conjecturam sequi non ausus sum. Dathius, sed mutata lectione, cubile vertit.

2362. רמז *innuit* Job. XV, 12.

Pro ירזמון tres Kennicotti, duo de Rossii codices ירמזון habent, sicque et idem verbum retinentes verterunt Syrus ac Chaldaeus. Chaldaeis, Syris, Arabibus רמז est, *innuere*, *indicium facere*, *oculis*, *manu*. Bona sententia, quid *innuunt oculi tui*.

2363. רָמָל *arena grossior*. Levit. II, 14. XXIII, 14.

Notissimum Arabibus et frequentissimum رَمْل *arena*, peculiariter, qualis in desertis Arabiae esse solet, grossior: inde رَمْلِيّ *arenosus*, رَمْلَة *cumuli* vel *colles arenae*. Hinc obscuro כַּרְמֶל Levit. II, 14. XXIII, 14. de quo sub numero 1219. dictum, lucem adfundi posse putem, si mutatis vocalibus, גרש כְּרָמָל *contusum in arenae grossioris morem* granum frumenti vertas, et elliptice כְּרָמָל *ut arena grossior*, eadem manente sententia. De גרש vide scripta num. 409. et de more antiquo, grana in mortario contundendi et comminuendi, num 1246. et vero maxime Joannem Becmannum in *Beytrag zur Geschichte der Erfindungen* T. II. p. 1. 2. Praeivisse Levit. II. videri possit Saadias, هَدَفٌ vertens, quod ipsum *tumulum arenaceum* significare solet: sed vertunt alii, *pinguia*, nullo quidem, praeter hunc ipsum locum, significationis exemplo allato. Timide eum cito ac dubitans.

2364. רִמָּה *vermis, putredo.*

Jobi XVII, 14. videtur non de vermibus poni, ſed de *putredine, humo in quam homines, animalia, et vegetabilia corruptione reſolvuntur*, inque rei ſumma idem eſſe, quod praecedentis membri שחת *corruptio.* Arabibus رَمَّ *computruit*, رِمٌّ idem quod ثَرَى *terra, pulvis.* Vermes matrem vocare indecorum. De ſententia dicti vide notas germanicas.

2365. רמס *proculcavit, manu prehendit.* Jeſ. XXVIII, 3.

Verba Jeſaiae, cur aliter quam jubent accentus conſtructa, ביד וברגלים תרמסנה verterim, *manu prehendemini* i. e. *decerpemini*, et *pedibus proculcabimini*, rationes reddidi in biblioth. Or. priore Supplem. T. XIV. p. 83. 84. Arabicum رمش *palpavit manu, digitis accepit.*

2366. רנה Prov. I, 20. VIII, 3.

תָּרֹנָּה malim mutatis punctis ad radicem רנה referre, quod He paragogicum poſt tertiam perſonam futuri rariſſime obſervavi, תִּרְנֶה. Hoc duo ſignificare poſſit, ſive

1) *attentis oculis obſervat* praetereuntes, *illisque*, ut ita dicam, *amice inſidiatur.* رَنَا pro رنو eſt, *defixis oculis obſervare:* ſive

2) *inſonat;* ſed exquiſitiore verbo poſito. Arabibus رَنَاءٌ *ſonus* eſt, peculiariter, *muſicus*, رَنْوٌ *motus muſicus*, ipſumque adeo verbum aliquando, *vocem exſultantis edidit.* Sic quidem de ſono muſico accipientes LXX. ὑμνεῖται, eosque ſequuti Syrus et Chaldaeus.

Prius in verſione germanica ſequutus ſum, ſed jam dubitare incipio, maxime cum רנה Job. XXXIX, 23. (al. 26.) *ſonare* ſignificet. Vide ibi Schultenſium.

2367. רֶסֶן urbs Aſſyriae Geneſ. X, 12.

Copioſius de hoc, magnae olim urbis, nomine actum in Spicilegio T. I. p. 247–253. quo ablego. Reſenam vel Reſaenam interpretatur Ephraemus, quod ſi ſequaris, non celebris Reſena Meſopotamiae, ſed alia Aſſyriae, Syris communi nomine ܪܝܫܝܢ dicta, intelligenda, ex Aſſemano ibi deſcripta. ܪܝܫ ܥܝܢܐ *(caput fontis)* aliud nomen urbis eſt, ſerius ei a ſitu ad fontes fluminis inditum. Nondum liquet.

2368.

2368. רעב *esurire, trepidare, metuere.*

Verbum Hebraeis sub *esuriendi* notione frequentissimum, Syri non habent, nec Chaldaei, (quae enim sub *Chald.* Castellus in heptaglotto dedit, Rabbinicae linguae sunt, aut Thalmudicae) nec hac certe significatione Samaritani: duplex habent Arabes per Ain et per Gain scriptum.

1) رغب generatim, de *cupiditate* et *aviditate* ponitur, speciatim de *aviditate cibi, voracitate.* Huc Hebraicum רעב, sed paulo adstrictiore significatione, *esurivit*, referendum.

2) رَعَبَ *terruit*, رَعِبَ *territus fuit*, *metuit*, *trepidavit.* Haec quidem significatio aptior videtur loco Jes. VIII, 21. ubi non de fame, sed de summa desperatione sermo fuerat: *qui promissis dei non credit, ibit in terra* נקשה ורעב *dura expertus atque trepidus, et fiet, cum timebit* &c. Vide versionem nostram germanicam.

2369. רעל *tremuit* Nah. II, 4.

Tremendi notionem, quam verbo ἅπαξ λεγομένῳ dare solent, confirmat usus Syrorum. Vide lexicon Syriacum. Arabes ad hastam transferunt, quam ita jaculamur fortiter, ut tremens adhaereat: رَعَلَ *valide ac vehementer hasta confodit.*

Iisdem et رَعِلَ *desipuit:* hucne referendum תרעלה *temulentia?* Ps. LX, 5. cum οἶνον κατανύξεως vertunt LXX, non *vinum compunctionis* intelligendum, ut vertit Vulgata, *sed vinum altum soporem inducens:* sic in sua versione Hieronymus, *potasti nos vino consopiente.*

2370. הרעים 1 Sam. I, 6.

Hunc locum germanice cum verterem, למען הרעימה ex Arabico رَغِمَ *fastidivit*, de eo intelligebam, *quod marito Hanna Feninnam fastiditam faceret.* Sed jam video, melius conferri posse idem verbum in quarta, أَرْغَمَ *lassavit, vexavit, contumelia adfecit*, unde رُغْم *contumelia*, vel etiam Syriacum ܪܓܙ *iratus fuit*, *ut ad iram provocaret* eam.

2371. רעמה Genes. X, 7.

Bocharto Rhegma Arabiae ad sinum Persicum, Büschingio Reama felicis Arabiae. Vide dubitata in Spicilegio T. I, p. 193–196.

2372. רעמסס *Raamses*, *nomen regionis et urbis in Aegypto* Genes. XLVII, 11. Exod. I, 11. XII, 37. Num. XXXIII, 3. 5.

In disputatione de situ Raamses, valde implicata, conjecturisque atque etiam manifestis erroribus intricatiore facta, duo ante omnia distinguenda sunt,

1) *nomen regionis*, Genes. XLVII, 11. quod aut synonymum est גשן, Gosenitidis, aut, quod potius reor, parti Gosenitidis in qua primum Jacobus domicilium invitatus fixit, proprium.

2) *urbis*, quam Israelitae post aliquot secula cogente Pharaone aedificarunt, Exod. I, 7. ex quo tamen non sequitur, ut urbs *Raamses* antea non fuerit, forte enim *aedificare* hic idem est, quod, *munire*, *moenibus cingere*. Vide sub בנה scripta. Notandum hoc, ne illis, qui Raamses Heliopolim interpretantur, opponamus, Heliopolim Josephi tempore jam fuisse. (Genes. XLI, 45.)

Quae רעמסס intelligenda, ubi ipsa illa nocte quae primogenitis Aegypti exitialis fuit, ex Raamses egressi dicuntur, Exod. XII, 37. Num. XXXIII, 3. 5. tertiam inde stationem ad sinum Arabicum habituri, non constat: regio esse potuerit, ejusque terminus occidentalis, proximus a regia, unde ex his locis effici nequit, urbem Raamses tribus a sinu Arabico abfuisse stationibus, regiaeque Pharaonum proximam; potuerit et ipsa urbs esse, in qua quidem non Israelitae habitarint, (munitissimam enim regni urbem Nomadibus suspectae fidei, quique Aegyptum deserere vellent, non sane permissurus erat Pharao) sed in quam, magno firmatam praesidio aut potius exercitu, Pharao hoc ipso tempore concesserat, atque in qua res agebatur. Id quidem mihi veri perquam simile, eoque sumto lucebit historia exitus Israelitarum. Caeterum pro certo habeo, urbem Raamses in regione Raamses sitam, ejusque metropolim fuisse: sic in omni fere geographia Aegyptia urbes primariae nomis cognomines.

Aliam distinctionem facit, qui de hoc nomine copiose et docte, sed parum feliciter in quarta de terra Gosen dissertatione egit P. E. Jablonskius, inter רַעְמְסֵס urbem, et רַעְמְסֵס provinciam, situ, ut putat, et etymologia (huic enim in quaestione mere geographica omnia tribuit,) diversissimas: sed hanc solis punctis nixam, quae ante seculum sextum non fuerunt, plane refugio, ac ne religiosissimus quidem punctorum adorator masorethicorum admiserit, ratus potius, idem nomen salva grammati-

ti-

tica utroque modo punctari poſſe. Recepit tamen in ſuum, quod mirere, Simonis onomaſticum, pag. 603.

Jam non de regione quaero, cujus fines ſine auctore deſcribere difficile, ſed de urbe, de qua quidem diverſiſſimae ſunt eruditorum ſententiae, nulla ſatis certa et ad conſentiendum cogente.

1) Arabs Polyglottus, is vero eſt Saadias, non contemnendus auctor, quippe qui ipſe in Aegypto vixit, ubique عين شمس *fontem ſolis*, i. e. Heliopolin interpretatur, de qua vide Abulfedae Aegyptum num. 67. noſtraſque notas: idemque fecit Arabs Erpenii Exod. I, 11. Nec mirum: haec enim exitus hiſtoriam legenti Aegyptio ultro ſe, pene ſine cogitatione et deliberatione, non quaeſita offert, prima in hunc usque diem ſtatio religioſarum catervarum, quae Cahira quotannis Meccam contendunt, eandemque viam tenent, quam tenuiſſe Iſraelitae videntur. Accedit, quod trium fere diaetarum ſpatio a ſinu Arabico abeſt, duarumque horarum intervallo a primaria Aegypti urbe Cahira, paulo majore ab ea, quam Moſis tempore regiam fuiſſe plerique ſumunt, Memphi, ſed quod tamen eques citato curſu regis mandata perferens unius credo horae tempore emetiri admiſſis habenis calcaribusque ſubditis potuerit.

Hanc quidem ſententiam ſuam fecit, vir magnus ſed in tota de terra Goſen diſputatione infelix, Jablonſkius, ornandoque perdidit. Primo non contentus vicinitate regiae, Heliopolim ipſam regiam fecit, hoc uſus argumento, Heliopolitani ſacerdotis filiam Joſephum duxiſſe, (Geneſ. XLI, 45.) quaſi vero non poſſis uxorem niſi ex ea urbe ducere, in qua habites. Deinde etymologiarum ex lingua, cujus quantillum novimus? Coptica prodigus, quaeſtionem ex his geographicam decidit. Heliopolis eſt רַעְמְסֵס i. e. *ſolis ager*, a PH *ſol*, et ΜΕΣΣΗ, *ager*, ſed neutiquam caput regionis Raamſes, ac ne quidem in illa ſita, hanc enim aliquot dierum itineribus, atque adeo ultra Nilum in Fijjumam ſummovet, (unde certe Iſraelitae tertiis caſtris ad ſinum Arabicum pervenire non potuerunt.) Haec ergo regio רַעְמְסֵס nomen nacta eſt a ΡΩΜΙ *homo*, et ΣΩC *paſtor*.

His Jablonſkianis demtis quid de Heliopoli ſentiam, ſi quaeras: mihi quidem veri diſſimillimum, eam Raamſes eſſe: Aegyptio enim nomine און dicebatur, (vide pag. 44. 45.) quod ipſe ex lingua Aegyptia veriſſime interpretatus eſt Jablonſkius: quid ergo eſt, cur aliud

aliud urbi nomen quaeramus Aegyptium? Veri quidem dissimillimum, Mosen qui eam און dixit, alibi eodem in libro, atque adeo paulo post, רעמסס vocaturum.

Caeterum notandum omnes prope qui de exitu Israelitarum ex Aegypto vel obiter dixerunt, nihilque de רעמסס distinctius professi sunt, magno tamen consensu sumsisse, circa Heliopolim initium profectionis factum; eum quoque anonymum, cujus fragmenta religionem christiianam oppugnantia ex bibliotheca Guelferbytana edidit beatus Lessingius. Sed quo id jure aut indicio faciant, plane non video. Tertia sine dubio statione Heliopoli ad sinum Arabicum perveniri potest, et quidem, cum immensae sint planities, cum maximo etiam exercitu, sed idem et fieri aliis ex Aegypti locis potest, initio itineris aeque opportunis. Quod autem Exod. XIII, 17. legimus, proximum iter per Philistaeam fuisse, id quidem inspecta bona Aegypti delineatione non videbis, atque adeo alia, non ad Philistaeam deflectente, sed plane mediterranea via, in hunc usque diem catervae itineratorum Heliopoli Palaestinam petentes, utuntur.

Ergo haec meae quidem sententiae summa, Raamses neutiquam esse Heliopolim.

2) *Heroopolim* LXX interpretatos esse Genes. XLVI, 28. 29. auctor est Jablonskius: quod quidem secus se habere suis quisque judicare potest oculis loco inspecto, in quo omnino nomen רעמסס non legitur, sed גשן.

De eadem vero Heroopoli, urbe primaria Aegypti adversus Asiam limitanea, cum et alii aliquid suspicari possint, relatum legentes, Raamsesam Pharaonis jussu munitam esse, ipseque adeo d'Anvillius, de Avari disputans, in hanc pronus fiat sententiam, Raamsesam Heroopolin esse: ante omnia dispiciendum, possitne esse? Deinde ad reliqua accedemus.

Vide ergo ante omnia, quem nolim describere d'Anvillium, inde a pagina 121. Aegypti. Heroopolis secundum plerosque veterum haud procul ab extremo sinu Arabico, cui Heroopolitano nomen dedit, abest, *sexta gradus parte*, id vero est $2\frac{1}{2}$ milliaribus germanicis. Hunc si ei, (urbi deletae, cujus vestigia et rudera nondum satis certa invenerunt itineratores) situm tribuas, id quidem certum est, ex ea non egredi Israelitas Aegyptum relicturos, tertiaque demum statione ad sinum Arabicum castra ponere potuisse: at urbs esse potuerit Pharao-

raonum jussu ab Israelitis centum circiter ante eorum exitum annis munita, atque a regione, cujus primaria aut erat, aut fiebat, denominata.

Ab omnibus autem, qui ante ipsum de vetere geographia commentati sunt, dissentiens, nec sane contemnendis argumentis, licet non omnia me ad adsentiendum cogant (*), d'Anvillius, Heroopolim multo longius ab eo sinu, cui nomen dedit, summovet. Vide ejus *mémoires sur l'Egypte* inde a pagina 121, et delineationem Aegypti praemissam, in qua Heroopolim *intra octo et novem milliaria germanica* ($8\frac{3}{4}$) ab extremo sinu Heroopolitano invenies. Hoc sumto situ, possit et urbs esse, ex cujus vicinia prima Moses castra movit, permittente atque adeo imperante post stragem primogenitorum Pharaone: et in qua, magno firmata praesidio, rex illo tempore, metuens fugam Israelitarum, resque ex proximo gesturus, fuerit. Sic quidem omnia perquam expedita, exitus historiam legenti: novem milliaria germanica tribus statio-

(*) Primi eorum non possum non mentionem facere, quod ex re Hebraica desumtum est. Josephum citat, narrantem, Jacobo ex Palaestina venienti filium Josephum obvium fuisse Heroopoli, ex quo consequi videatur, ut Heroopolis non in extrema ad Orientem Aegypto, sed magis in media sita fuerit, juxta viam, qua ex Palaestina in Aegyptum itur. Hoc quidem argumentum, ut ipse proposuit, nullius plane, ne levissimi quidem est momenti, nulla enim Josephi in rebus tam antiquis auctoriras de quibus Moses nihil prodidit, ex quo solo se haec omnia haurire fatetur, nec ullas alias habere rerum memorias. Magnopere errarunt eruditi eum testem citare soliti: interpres esse bonus potest, non testis, non auctor. At gravior ejus loco auctor exsistit, interpres Graecus Alexandrinus qui Genes. XLVI, 28. 29. *τὸν δὲ Ἰούδα ἀπέστειλεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ πρὸς Ἰωσὴφ, συναντῆσαι αὐτῷ καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ραμασσῆ. Ζεύξας δὲ Ἰωσὴφ τὰ ἅρματα αὐτοῦ συνήντησεν Ἰσραὴλ τῷ πατρὶ αὐτοῦ καθ' Ἡρώων πόλιν.* Nihil quidem horum in Hebraicis est, sed sola nominatur גשן, at Graeco interpreti in ipsa viventi Aegypto, ejusque perfecto cognitori, id certe credemus, ita sitam fuisse Heroopolin, ut Jacobus ex Palaestina venens, eam in via attingere potuerit: jam cum duae sint ex Palaestina in Aegyptum viae, juxta mare per desertum Gofar, sed valde molesta ac difficilis, et mediam per Aegyptum, quam nunc Cahira in Palaestinam proficiscentes tenere solent, verisimillimum, ad hanc sitam fuisse Heroopolim. Verisimillimum, inquam, hoc sufficiat: certum enim dicere non ausim. Potuerit et alia per ambages via, sed mollior, ac planior, curribusque ex Aegypto missis, (novae tum rei, et cui non omnes viae illo tempore aptae,) aptior eligi, atque hanc ob caussam magis ad Orientem ac prope ad ipsum sinum Arabicum deflecti.

tionibus Israelitarum, quarum tertia est ad sinum Arabicum, egregie sufficiunt; Pharao autem illos, cum dimissionis poeniteret, facile et insequi potuit, et assequi, maxime cum pro more Aegyptiorum in urbe munita non mediocre praesidium, sed magnum aliquem exercitum haberet. Haec ita verisimilia et expedita, ut velim vera esse, remque ita gestam.

Abdicanda tamen erit Heroopolis, si vera est elegantissima Forsteri conjectura, בעל צפון Heroopolim esse, quam supra suo loco vide, ad בעל צפון enim tertiis demum castris ex רעמסס egressi Israelitae perveniunt.

3) Aliis, nullo quidem nominum concentu, sed historiae aliqua similitudine Raamses visa est *Avaris*, de qua quae Manetho memoriae prodidit ipsius verbis excerpsit Josephus l. I. contra Apionem, §. 14. Sic quidem sentiunt Clericus ad Exod. I, 11. et Christianus Müller in Satura observationum philologicarum p. 189. ipseque aliquo sententiae flexu eandem cum Heroopoli suspicatus, d'Anvillius, p. 124. quod Avaris ex theologia Aegyptiorum urbs sit Typhonis (hoc quidem unde habet? ex theologia nomen accepisse refert Manetho, at de Typhone nihil dicit) qui Typhon Heroopoli fulmine sit percussus. Manetho ergo tradit, gentem exteram pastoritiam, Hycsos vocatam, Aegypto potitam, quam miserrime vexabat, regem etiam creasse, cui nomen, Salatis, atque de hoc regnum contra exterorum arma, Assyriorum maxime, munituro, pergit: *urbem autem egregie sitam in Saite nomo, ab oriente Bubastii fluminis inveniens*, (ἐν τῷ νόμῳ τῷ Σαΐτῃ — — πρὸς ἀνατολὴν τοῦ Βουβαστίου ποταμοῦ) *cui ex antiqua aliqua theologia nomen erat Avaris* (Αὔαρις) *hanc exaedificavit fortissimisque muris reddidit munitissimam, praesidium insuper 240000 armatorum* (πλῆθος ὁπλιτῶν εἰς εἴκοσι καὶ τέσσαρας μυριάδας) *in ea collocans. In hanc quidem aestate se conferre solebat* &c. Addit, post plures quam quingentos annos hos ab Aegyptiis superiore Aegypto pulsos tandem in ipsa urbe Avari incerto belli exitu a Thommose obsessos fuisse, atque pactione facta Aegypto excessisse in Judaeam. Hic quidem quae in historia sunt fabulosa et confusa non attingo, dudum ab aliis tractata: atque etiam hoc manifestum, in nomine nomi aut vitium scriptionis ingens admissum, librarii forte Josephive culpa, aut praeter illam quam in occidentali Delta novimus Sain, aliam fuisse ab ortu Bubastii fluminis.

Jam,

Jam, ut meam ſententiam dicam, id unum ſcio, nihil me ſcire. Raamſes eandem urbem eſſe, quam, multa admiſcens mendacia, Avarim vocat Manetho, in veriſimillimis habeo; maxime quod eam exteri non ſolum muniviſſe, ſed ex ea egreſſi dicuntur, at hoc ſcientes, quid profecimus? Avaris ubi ſita? Ad Orientem Bubaſtici fluminis! id vero jam antea de רעמסס quis non noverat, nuspiam Iſraelitas exeuntes Nilum trajeciſſe legens. Vide quae ſupra ſub גשן ſcripſi. Ad quo ab Oriente Nili loco ſita? Id aeque ac Raamſes ſitum ignoramus. Mira haec in tanta urbe videri poſſit ignorantia, cum rudera ſupereſſe in hunc usque diem, itineratorum oculis ſe offerentia, illosque miraculo perculſura, audax ſperare incogitantia poſſit. Si cui vero cogitare contigerit, is minus ſperabit: non credet Manethoni, una in urbe praeſidium 240000 armatorum, et vero illo populorum initio ac tenuitate, collocatum fuiſſe; ſed et intelliget urbis quantumvis magnae, non ſaxis, ut in ſuperiore Aegypto, ſed lateribus aedificatae et munitae, rudera poſt tot annorum millia deſiderari, fruſtraque quaeri poſſe. Sic ipſius Babylonis rudera praeterit viator, nec animum advertit, ipſo id nuper de ſe faſſo Niebuhrio. Et tamen Babylonis muri lateribus igne coctis conſtructi erant, at lateres, quibus Aegyptii, ſeu potius eorum juſſu Iſraelitae muniebant, nullo igne cocti, ſed ſolis aeſtu ſiccati. quos non mirum poſt tot annorum millia pluviis quantumvis raris, nebulisque diffluxiſſe.

2373. רענן (oleum) *viride* Pſ. XCII, 11.

Vertunt fere, *perfuſus ſum oleo viridi.* De *oleo viridi*, et *viridis olivae* actum p. 1388. ſed nihil inde huic loco lucis, videtur ergo alia conſtructio tentanda, ſive, *ſenectus mea viridis erit pinguedine*, (a qua ſententia proxime abſunt LXX) ſive, *humectus ſum oleo*, (plenus ſum ſucci) *et virens*. Dubito.

2374. רפא *faſcia*, LXX. 1 Reg. XX, 38.

Pro ויתחפש באפר על עיניו 1 Reg. XX, 38. Graeci habent, *κατεδήσατο ἐν τελαμῶνι* (vel, *ταλαμῶνι*) *τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ*, *obligavit faſcia* (chirurgica ut puto, vulnerari enim antea ſe juſſerat) *oculos ſuos*, ne agnoſci a rege poſſet. Videntur legiſſe, ויחבש רפא על עיניו, et רפא de faſcia chirurgica, a ſanando ſic dicta, accepiſſe. Bona et filo orationis apta ſententia, nullus tamen ita codex. De *τελαμὼν*, *faſcia*, ad quod vocabulum aliqui eruditorum adhaeſerunt, vide Bielii lexicon T. III. p. 429.

2375. רְפָאִים *mortui.*

Mortui unde ita dicti, obscuriusculum et incertum, tentanturque varia. Mihi si idem facere liceat, retulerim ad רפאים, nomen proprium gentis Cananiticae, giganteae staturae, quae olim in specubus habitavit, Num. XIII, 34. Deut. I, 28. (Vide ענק num. 1935.) His specubus cum deinde pro sepulcris uterentur, (e. c. Genes. XXIII.) nomen priscorum incolarum ad novos, conditos ibi mortuos transiit. Jam dixeram sententiam in nota 24 praelectionibus Lowthi de poësi adjecta.

Caeterum רפאים, *gigantes*, nunquam de gigantibus antediluvianis ponitur, sed de solis stirpis Cananiticae.

2376. רפף *tremuit* Job. XXVI, 11.

Ad hanc radicem referendum ἅπαξ λεγόμενον, *columnae coeli* יְרוֹפָפוּ *intremiscunt*, non, ut fieri solet, ad רוף. Arabibus رَفَّ *palpitavit*, رَفْرَفَ *motitavit* alas, Chaldaeis רפרף *motitavit*, *intremuit*, sicque a Chaldaeo Job. IX, 6. pro יתפלצון ponitur.

2377. רצה, הִרְצָה Levit. XXVI, 34. 41. 2 Paral. XXXVI, 21. Job. XX, 10. Jes. XL, 2.

Rationem mihi reddendam video, cur aliquoties verbo, *rependendi*, *solvendi debitum* significationem dederim. רצה, *acceptum habuit*, Arabibus in transitivis conjugationibus est, in secunda رَضَّى *contentum reddidit*, in quarta أرضى idem, seu aliis verbis, *dedit quod placeret*, hinc apud Thalmudicos, הִרְצָה *numeravit* pecuniam. Contentum creditorem reddimus, debitum rependentes.

Haec significatio eximie apta videbatur his Mosaicis, אז ירצו, vel potius mutatis punctis, אז יַרְצוּ את עונם *tunc rependent culpam suam*, seu, ut Dathii verbis clarius dicam, *tunc luent peccatorum suorum culpam*. Concinit, quod sub Samaritani nomine in Hexaplis legitur, ἱλάσονται, expiabunt peccata sua. Jam et Jes. XL, 2. נרצה עונה erit, *poenae peccatorum ejus solutae sunt*, seu ut iterum Dathii verbis utar, *peccata ejus expiata sunt*. Sequitur ut explicatio, *quoniam accepit duplum pro omnibus peccatis suis*, i. e. duplum poenarum dedit. Job. XX, 10. בניו ירצו דלים *filii ejus placabunt pauperes*, *poenas pendent quas pater debebat*.

Trans-

Transtuleram hoc anno 1762. in commentatione de anno ſabbatico §. 9. ad Levit. XXVI, 34. אז תרצה הארץ שבתותיה *tunc rependet terra ſabbata ſua*, תִּרְצֶה efferens, quia ſtatim in Hiphil ſequitur, וְהִרְצָת *rependet ſabbata ſua.* Video tamen, id diſplicere poſſe ob locum parallelum 2 Paral. XXXVI, 21. ubi in Kal legitur (*), עד רצתה *donec accepta habuerit terra ſabbata ſua:* ſententia eodem redibit, *terra ſabbatis ſeptuaginta quae ei debebantur contenta erit.* Ita ipſi terrae debitum ſolvitur. Diſpiciant, judicesque ſint lectores.

2378. רָצַח *fregit, occidit.* Pſ. LXII, 4.

Prima vis verbi, Hebraeis ſolis *occidendi* ſignificatione frequentiſſimi, in *confringendo* eſſe videtur, a frangendo caede dicta. رضخ *confregit, comminuit,* رضّخ, *contudit, confregit caput ſerpentis.* Conſueta occidendi ſignificatio vix apta his pſalmi LXII, 4. תרצחו כלכם כקיר דחוי גדר הדחויה, quis enim dixerit, *occidere aliquem ut murum ruentem?* At ex prima ſignificatione concinnius erit, *frangemini, ut paries inclinatus et murus corruens,* aut ſi activum תְּרַצְּחוּ praeferas, *frangitis ut murum inclinatum et ruentem.*

2379. רֶצַח *fractio.*

Hinc jam et nomen רֶצַח non caedes erit, ſed *fractio:* Pſ. XLII, 11. רצח בעצמותי *contuſio in oſſibus meis*, i. e. *oſſa contuſa* et *fracta.* Praeiverunt ibi ex veteribus LXX, ἐν τῷ καταθλᾶσθαι τὰ ὀστέα μου, Vulg. *dum confringuntur oſſa mea*, Syr. ܟܕ ܡܬܪܥܥܝܢ ܓܪܡܝ. Ezech. XXI, 27. רֶצַח ex filo orationis eſt, *fractio murorum* adhibitis arietibus.

2380. רצע *perforavit*, מַרְצֵעַ *ſubula.* Exod. XXI, 6. Deut. XV, 17.

De verbi nominisque ſignificatione dubitari nequit, credi tamen illam potius, quam ex linguis Orientalibus confirmari video: ergo et harum conſenſum addere liceat. Golius ſub رصع haec habet huc pertinentia: *confodit penetrante cuspide*, atque inde, *firmiter adhaeſit.* Abulfaragio pag. 5. hiſtoriae dynaſtiarum plane eſt, *adfixus fuit*, ورصعت *adfixae ſunt ſtellae fixae in orbe coeli octavo.* Aliae etiam Arabici verbi ſignificationes, *auro inſerto gemmisque texuit veſtem*, conj. 6. *congreſſi ſunt libidinoſi paſſeres*, a transfigendo et acu conſuendo ortae.

2381.

(*) Poſſis tamen et hic mutatis punctis רַצְּתָה ſcribere.

2381. רֶצֶף nomen proprium urbis Jef. XXXVII, 12. 2 Reg. XIX, 12.

Abulfeda p. 119. pluribus urbibus nomen رُصَافَة esse, memorat, earumque novem adeo Jacutus numerat, ut in addendis monuit Koehlerus. Harum una est *Resapha Heschami* ab Abulfeda loco citato descripta, sita in deserto e regione Raccae. Videtur eadem esse ac Ῥησαφα Ptolemaei p. 139, prima ei urbs Palmyrenes. Egit et de ea d'Anville p. 36. 37. *Euphratis et Tigris*, inque tabula adjecta situm expressit. Verisimiliter haec est Resapha ab Assyriis devicta, quippe statim post vicinas ei ab altero Euphratis latere Carras (חרן) nominata. Est tamen teste eodem Abulfeda alia trans Tigrim Resapha, non procul Bagdada, de qua cogitari possit. Priorem praefero.

2382. רָקַב *putruit* Job. XIX, 20.

Putrescendi notio, quam verbo et lexica dant, et interpretes, vix in dubium vocari posse videtur: est tamen, quod mirere, soli linguae Hebraicae et Rabbinochaldaicae propria, reliquis eam ignorantibus, Syriacaque et Arabica alia omnia sub רקב habentibus. Praeter loca in lexicis citata ex varia lectione insigni occurrit Job. XIX, 20. pro obscuro דבקה LXX interpretibus ἐσάπησαν habentibus, ac si legissent רקבה. Eximia sententia, בעורי ובבשרי רקבה עצמי *in cuti et carne mea ossa mea putrescunt*, historiaeque morbi Jobi aptissima, ipsa enim ossa in elephantiasi emoriuntur et excidunt. Vide auctores citatos in introductione ad Vetus Test. §. 10. num. 8. Praetuli in versione germanica, rationibus redditis in bibliothecae Or. prioris Tomo VIII. p. 182. 183. Sperabam et in codicibus hanc lectionis varietatem inventum iri, sed spes me fefellit, nullo nec Kennicottiano nec de Rossiano eam habente. Placuit tamen vel sic, qui post collationem Kennicottianam in Jobum commentatus est, S. R. Dathio.

2383. רָקָב, *putredo*, *tinea?* *uter?*

Putredinis significatio indubia. Addit aliam, *tinea*, Bochartus Hieroz. T. II. libr. IV. c. 25. p. 618. monens, Hebraicum עָשׁ *(tinea)* Chaldaeo esse רקוביתא Job. XXVII, 18. et רוּקְבָא *tineam* Jes. LI, 5. Sic quidem Job. XIII, 28. Hos. V, 12. רקב et עָשׁ ut synonyma componi videntur, quamvis priore loco, *a tineis erosum* praeplaceret.

In

In hoc quidem Jobi loco ſatis concordes, *utrem* habent LXX, Syr. Arabs, πάλαιοῦνται ἴσα ἀσκῷ, Syrus vocabuli ejusdem tenax ܐܝܟ ܙܩܐ ܕܒܠܐ exque eo Arabs, مثل السقاء *ut uter qui veteraſcit.* Significare id omnino poteſt, eſt enim Syris, Chaldaeisque ܙܩܐ et רוּקְבָא uter: nec mala ſententia; utri a tineis conſumto aut ariditate rugoſo comparari poſſit Jobi morbo laborans, rugis totam cutim arans. Vide et ſimilem rugarum ex aerumnis deſcriptionem, Pſ. CXIX, 83. Refero, quae alii habent, non judico.

Ipſae tineae ab utre nomen accipere potuerint, cujus formam primo referunt, ex lana enim ſaccum ſibi pro domo faciunt, utri ſimillimum, in quo degunt, difficiles adeo agnitu. Sed et haec etymologica in vocabulo, reliquarum linguarum luce parum colluſtrato, interrogantis et dubitantis, non ſententiam dicentis, exiſtimari velim.

2384. רְקָמוֹת Pſ. XLV, 15. *acupicta aulaea.*

רקמות Pſ. XLV, 15. vix eſſe poſſunt, ut plerumque ſumitur, *acupictae veſtes*, regina enim regi adducitur, non ברקמות, *in acupictis*, ſed לרקמות *ad* vel *in acupicta.* Erunt ergo hic potius *aulaea acupicta, poſt quae thalamus jugalis.*

2385. רקע, *calcavit, malleavit, firmavit, ſolidavit.*

Expandendi ſignificationem verbo dare ſolent, aptam ſatis, ſed ignotam linguis Orientalibus: fateor, eſſe aliquando, *mallei ictu extendere metalla*, ſed id non ab expandendi dilatandive prima notione ortum videtur.

Ezechieli quidem רקע ברגל Ezech. VI, 11. XXV, 6. manifeſte eſt, *gravi pedis ictu terram percutere, tundere:* quod percutere ſeu tundere ubi malleo fit, eſt, *malleare* metalla, quo quidem fit, ut metalla in laminas tenues diducantur, Exod. XXXIX, 2. Num. XVII, 4. 2 Sam. XXII, 43. ex priore notione ארקעם erit, *proculcabo illos.* Syris ܪܩܥ et eſt, *comprimere*, Luc. VI, 38. pro πιέζειν poſitum.

Syris ܪܩܥ et, *firmare, ſolidum vel firmum facere*, Arabsque Antiochenus hoc ipſum Syriacum verbum Pſ. CXXXVI, 6. ثبّت *firmat*, reddidit.

Jam ubi de Deo dicitur רקע שמים, erit, ſive, *calcans coelum*, ſive, *firmans coelum*, quorum utrum praeſtet non hujus loci eſt disputatio, ſed interpretis.

2386. רקיע *firmamentum? scabellum?*

Ex his, quae de verbi significatu, usu linguae Hebraicae et Syriacae firmata diximus, nomen רקיע non erit, expansum, sed sive

1) *scabellum Dei*, cui pedes ejus insistunt. Ezechieli quidem c. I, 21. 22. est pavimentum currus tonantis dei. Hoc quidem in versione germanica sequutus sum, imaginem, grandem sane, in notis germanicis ad Genes. I, 6. explicans. Hoc, quod nobis sublime est, coelum, scabellum pedibus dei subjectum.

2) sive, *firmatum*, seu ut vocabulo Vulgatae utar, *firmamentum.* Fluxit hoc ex LXX, στερέωμα primo statim loco Genes. I, 6. et saepe alias vertentibus. Sic et ibidem Arabs Polyglottus جَلَد *duritiem*, Maurus جَلِيد *durum.* Admiscuit vetus philosophia suum errorem, *coelum solidum esse, ex crystallo.* Sic jam Josephus Ant. I, 1. κρύσταλλον περιπήξας αὐτῷ. Potuerit tamen et hoc demto errore aeternum ac stabile coelum, atmosphaera etiam nubes sustinens et portans, *firmamentum* dici.

Primo quidem loco Genes. I, 6. רקיע vix potest nisi atmosphaera esse, nubes portans, sicque et Ezech. I, 21. 22. ubi basis est currus dei tonantis, a Cherubis portati. Sol, luna, et stellae cum in רקיע השמים esse dicuntur, Genes. I, 14. &c. aut latius sumitur nomen, aut optice ponitur.

2387. רק *misericordia* Ps. XXII, 6.

De loco difficili quae ante tredecim annos conjeceram in bibliothecae Orientalis T. XII. p. 140. ea abdico: praeplacet enim jam, quod alii ex Arabismo habent, רק hic esse misericordiam. رَقّ a mollitie est, *tenero adfectu, misericors fuit, condoluit,* رِقَّة *misericordia.* Sic עת מצא רק erit, *tempus, quo inveniri misericordia potest.* Recepi ergo in novam editionem versionis germanicae, anno 1789: *zur Zeit, da Barmhertzigkeit gegen eine Sündfluth zu finden ist.*

2388. רשע.

Non designare videtur, ut verti solet, *impium*, non relationem ad deum, sed *injustum, injuriam inferentem, reum.* Liquet hoc ex frequentissima oppositione nominum צדיק et רשע, ut, Genes. XVIII, 23.

25.

25. (ubi רשע non eſt impius in deum, צדיק vere pius, ſed opponuntur ejus ſceleris, propter quod Sodoma puniebantur, rei, et ab eo innocentes) Deuteron. XXV, 1. 1 Reg. VIII, 32. Hab. I, 13. Pſ. XXXVII, 12. 21. 32. Proverb. XVII, 15. Job. XL, 8. Adde alia loca, quibus non poteſt impium in deum ſignificare, ſed reum vel injurioſum. Exod. II, 13. ויאמר לרשע, *dixit adgreſſori, illi qui injuriam faciebat ſocio:* ex duobus qui manu verberibusque contendunt, non ſolet alter religioſus eſſe, impius alter, nec de eo quaeri. Num. XXXV, 31. רוצח אשר הוא רשע למות *homicida qui reus mortis eſt.* Pſ. CIX, 7. בהשפטו יצא רשע *judicio cum rem experitur, litigans, egrediatur reus*, ſeu ut Vulgata hic habet, *condemnatus.*

Hinc et הרשיע, ut jam notarunt lexica, permultis locis eſt, *damnare, reum declarare*, Exod. XXII, 8. Deut. XXV, 1. 1 Reg. VIII, 32. Pſalm. XXXVII, 33. XCIV, 21. Proverb. XVII, 15. Job. X, 2. XV, 6. XL, 8. (al. 3.) Quin et ſic in Kal Pſ. XVIII, 22. לא רשעתי מאלהי vertendum videtur, *non reus pronuntior a deo meo.*

LXX plerumque רָשָׁע vertunt, ἀσεβὴς, ex quo fluxit conſveta lexicis verſio, *impius*: ſed forte hi ἀσεβείας vocabulo latius utuntur, pro omni *ſcelere, delicto, injuria*, quippe quod et ſaepe pro זִמָּה et חָמָס poſuerunt: exempla non enoto, dabit enim Trommius. Sic iisdem aliquoties et צדיק *juſtus*, eſt εὐσεβὴς, Jeſ. XXVI, 7. (Arabe Graecum εὐσεβῶν reddente, صَدّيقين) XXIV, 16. idque eo usque pertinuit, ut eleemoſynae, quae Orientalibus, צדקה *juſtitia*, Manichaeis, εὐσέβειαι dicerentur. (Beauſobre hiſtoire des Manichéens T. II. p. 777.) Eſt tamen ubi et magis proprie ἀδικεῖν, ἄδικος, ἔνοχος verterunt. Vide Trommium exempla daturum.

Syrus interpres ſuum ܥܘܠܐ jam pro Graeco ἀσεβὴς ponit, ſed rarius, jam et pro ἄνομος, Act. II, 23. ἄσπονδος, 2 Timoth. III, 3. ἄδικος, 1 Petr. IV, 18.

Philologorum non paucis, et vero doctiſſimis, ut Schultenſio, prima vis verbi viſa, *irrequietus, turbulentus fuit*, argumentumque adferunt, Jeſ. LVII, 20. ubi *mali* (רשעים) eſſe dicuntur, ut *mare turbidum atque agitatum.* Hic quidem locus probandae ſignificationi vix ſuffecerit, poſſis et latine ſcribens, malos ac ſceleratos mari turbido comparare, nec tamen inde conſequetur, ut, *malus, ſceleratus*, ab irrequieto

 motu

motu nomen acceperit. Ergo diu diffisus sum: sed vidi, Syriacae linguae usu significationem firmari, 1 Macc. IV, 27. ubi LXX *συνεχύθη* *perturbatus est animo*, Syrus ܐܬܪܥܫ habet. Egregie apta significatio loco Jobi, c. XXXIV, 29. ubi opposita sunt ישקט *tranquillum facit*, et ירשיע *turbat*: *Deus si quem tranquillum ac securum reddit, quis conturbabit?* Eandem significationem et ad haec Jobi, difficilia visa, שם רשעים חדלו רגז c. III, 17. Schultensius transtulit, *ibi irrequiete jactati cessant concuti*, satis probabiliter, quamvis et possis intelligere, *damnatos* judicio humano, forte, injuste damnatos, qui in sepulcro desinant timere. Sed forte neutra opus medicina, possisque ex consveta vocabuli significatione, *malos*, intelligere, in sepulcro alto somno sepultos, nec timentes. Non omnia verba Jobi, querulaeque vitam exosi laudes sepulcri, ad nostri temporis, nostrorumque theologorum sententias exigenda. — Possis et transferre ad 1 Sam. XIV, 47. ubi de Saulo, ubique victore, dicitur, *quocunque se vertebat* ירשיע *turbabat hostes* i. e. *terrorem illis incutiebat*, nec tamen displicet Cocceji, aliorumque, *reos agebat* hostes i. e. vincebat.

Aliud etymon offert Arabia, a cupiditate insatiabili et injusta: رَثَعَ *magna cupiditate et aviditate fuit*, hinc, رَثَعٌ *malitia*. Dubitare in etymologicis, et plura promere, quae inter optes, liceat.

2389. רשף Deut. XXXII, 24. Habacuc III, 5. Ps. LXXVI, 4. LXXVIII, 48. Job. V, 7. Cant. VIII, 6. *ales*, *sagitta*.

Copiosius de vocabulo disputavi in, *Beurtheilung der Mittel die man anwendet die ausgestorbene Hebräische Sprache zu verstehen* p. 298–307. questus, significationem, quae mihi verior videbatur, quamque veterum haud pauci praeiverant, in plerisque lexicis praetermissam. *Prunas*, *carbunculos*, habere solent, non ex usu aliquo linguarum orientalium, sed de hoc non conqueror, cum illae nos hic quodammodo destituant. Habet Castelli lexicon sub Samaritano רשף, *incendit*, citans Deut. XXVII, 15. male, locum enim si inspicias, videbis, pro ויכבל poni, potiusque vertendum esse, sive, *pro stulto habuit*, *contemsit*, sive, *stolide contra deum egit*.

Mihi quidem verisimillimum רשף *alites*, *aves* esse, quod magno consensu Job. V, 7. praeiverunt, LXX (sed specifico nomine posito, *νεοσσοὶ*

σοὶ γυπός, Symmachus, τὰ τέκνα τῶν πετεινῶν, Aquila, υἱοὶ πτήνους, alius, νεοσσοὶ ἀετοῦ, Vulgata, *avis*, Syrus ܒܢ̈ܝ ܦܪܚܬܐ, exque eo Arabs ابناء الطير *filii volucrum.* Eximie loco apta ſententia, *homo ad laborem natus eſt*, ובני רשף יגביהו עוף *ſed alte volant filii alitum.* Non habent, fateor, linguae Orientales ſub his literis avium nomen, derivationem tamen offerunt a رسف in oct. ارتسف *ſublatus fuit in altum.*

Habacuc III, 5. *ante illum ibat peſtis* ויצא רשף לרגליו *et egrediebantur alites, ad pedes ejus*, vultures, aliaeque volucres rapaces, proſtratorum hoſtium carnibus ſe exſatiaturae, ſtragesque ſequi ſolitae. Sic quidem praeiverunt, Syrus, (ܦܪ̈ܚܐ) Aquila, Symmachus, Theodotion, editio graeca quinta, et alius anonymus graecus.

Deut. XXXII, 24. ולחמי רשף *eſca alitum*, quorum cadavera avibus rapacibus cibo cedunt: (αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι). Sic LXX licet mutata conſtructione, βρώσει ὀρνέων, Vulg. *devorabunt eos aves*, Onkelos אכילי עוף.

Pſ. LXXVIII, 48. *tradidit jumenta eorum grandini*, ומקניהם לרשפים *et greges eorum, alitibus.* Greges grandine proſtrati vulturibus eſca facti ſunt.

Pſ. LXXVI, 4. ad aliam ſignificationem transfertur: רשפי קשת, *alites arcus*, ſunt ſagittae: ſicque et accipio Cant. VIII, 6. *alites* i. e. *tela ejus ſunt tela ignea.* Amori tela dant plurium gentium poetae. Placere hic *prunae* poſſint, notionem ſi fulcirent linguae orientales: diſplicet tamen ſententia, *prunae ejus ſunt prunae ignitae*, omnes enim prunae ignitae.

Plura, etiam de Judaeorum nonnullis magiſtris conſentientibus verboque *volandi* dantibus ſignificationem, in libro citato legi velim, nec hic repeto.

Mirum ſub his literis רשף diverſiſſimas coiiſſe orientalibus notiones, *attolli* (ارتسف) *volare*, Syris, *ſerpere*, Samaritanis, *ſtultum eſſe.* Judaeorum fabulam ex רשף diabolos feciſſe, habent jam lexica, aliaque in libello antea citato adnotavi: explicationisne fons Syriacum ܪܫܦ *ſerpere*, ut *ſerpens* ſit, diabolus? Scio plerosque aliam figmenti rationem reddere.

2390. רשש *contrivit*, *contudit*, *dissolvit*. Malach. I, 4. Jerem. V, 17.

Sic, recte, ut mihi videtur, in lexico suo Simonis רֻשַּׁשְׁנוּ Malachiae vertit, *contusi*, *dissoluti*, id est, *eversi sumus*, urbes nostrae murique diruti, collato Arabico رَسَّ et Syriaco, ܐܬܪܨܨ. Addere liceat, ex veteribus jam praeivisse, LXX κατέστραπται *eversa*, seu, *destructa est* Idumaea, et Vulgatam, *destructi sumus*. Huc et refero Jerem. V, 17. יְרֹשֵׁשׁ עָרֵי מִבְצָרֶיךָ *evertet urbes munitas tuas*, praeeuntibus LXX ἀλοήσουσι τὰς πόλεις τὰς ὀχυρὰς ὑμῶν, Vulgata, *conteret urbes munitas tuas*, et Chaldaeo יְפַגֵּר.

Kimchius aliquid tale in libro radicum habebat, sed dubitans, et male vertens, eradicabit, ac si idem esset, quod יְשָׁרֵשׁ, itemque Reuchlinus, hic quoque dubius. Postea haec interpretatio in lexicis omitti coepit, locum faciens alteri *depauperandi*, *pauperem faciendi*, quam utrobique Syrus expressit, in Malachia Chaldaeus, exque hoc sumserunt Rabbinorum multi.

2391. רֹתֶם 1 Reg. XIX, 4. 5. Job. XXX, 4. Ps. CXX, 4. *genista (Arabica et Aegyptia.)*

רֹתֶם, aut si malis ad analogiam Arabici رَتَم positis vocalibus רֶתֶם, non juniperum esse, sed *genistam*, post ea, quae Celsius scripsit p. 246-250. partis primae Hierobotanici, et Schultensius ad locum Jobi, certum videtur et exploratum: receperuntque jam lexica meliora. Copiosius nuper de רתם disputavit Oedmannus in *Sammlungen aus der Naturkunde, zweytes Heft, cap. 8.* monens, genistam, quam in Arabia Aegyptoque visam descripsit, Forkålius, non plane eandem esse cum Hispanica, ut antea Celsium sequutus credidi, crediderantque plures. Praecipua Oedmanniana excerpsi in parte quinta novae bibliothecae Orientalis, p. 44-47. rationes etiam reddens, cur in quibusdam ab eo dissentiam.

Gratum me facturum lectoribus puto, quae in *Flora Aegyptiaco-Arabica* de genista Arabica habet Forskålius, pag. 216. integra describens, quod liber paucis ad manus est, ac locis sacri codicis, in quibus nomen occurrit, lucem adfundit.

"66) *Genista, Raetam*; foliis simplicibus; ramis alternis, striatis; „fructu ovali, unoloculari."

"Flo-

"Flores albi, sessiles. Semina duplici serie, velut in bilocularibus, „non tamen pariete separata."

"Rosettae vidi plantam e desertis allatam; postea abundantissime „crescentem inveni circa *Suës* in campis arenosis, altitudine fruticuli. „Arab. *Raetaem beham.*"

"Radix perquam amara; decoctum bibunt Arabes dolore cordis (hy„pochondria) laborantes. Herba in aqua macerata vulneribus imponitur."

"Annon haec genista eadem cum Hebr. רתם? In Hispania Arabi„cum nomen a prisco usque Saracenorum aevo servatum hodie *Retama* „sonat. (Confer Osbeck itiner.)"

"Vitae pauperrimae symbolum est Job. XXX, 4. 5. et hominis in „deserto palantis, cui nullum superest alimentum nisi hujus radicis, quam „Arabum nemo gustare cupit propter amaritiem (*). Designat quoque „ipsa loca sterilia, tristia, sine arbore et umbra; ipse frutex ramis spar„sis, raris, miserum est refugium in aperto et fervido campo. (Confer „1 Reg. XIX, 4.) Igni injecta *fragore tonat*, velut juniperus, haec no„ta apprime convenit animo iracundo et immiti. Ps. CXX, 4."

2392. רתקות *catenae? laminae?* Jes. XL, 19.

רתקות כסף *catenas* plerique *argenteas* intellexerunt, at Vulgata *laminas argenteas*. Possit id nomen significare a رتق *clausit*, *inclusit*, *ferruminavit*. Bona prodit sententia: idolum aeneum aut auro obducit aurifaber, aut laminis argenteis. Catenis religare Dei imaginem, vix decorum.

2393. רְתֵת *blaesum* Hos. XIII, 1.

רְתֵת ἅπαξ λεγόμενον plerumque ad Chaldaicum Syriacumque רתת *tremuit* referunt, vertuntque, cum loqueretur Ephraemus tremorem, i. e. horrenda. Praeiverunt et veterum plerique *tremorem*, licet aliter instituentes et constructionem et sententiae interpretationem. Equidem ex Arabico رَتّ *blaesa et impedita lingua fuit*, *balbutivit*, reddidi *cum Ephraemus balbutiret de religione*, i. e. prave loqueretur, dei cultui cultum vituli adjungens, sub vituli imagine Deum verum coli jubens. *Balbutire* dici-

(*) Hic dissentit Oedmannus, existimans pauperes accensis radicibus genistae corpora calefecisse. Verum, idne saevae paupertatis indicium? Faciunt et divites in desertis Arabiae aliam igni materiam non praebentibus. Vide hac de lite notata in biblioth. Orientali.

dicitur orientalibus, qui de religione aut falsa loquitur, aut dubia. Vide num. 1900. *Cum balbutiret in religione Ephraimus, Deum verum coli jubente Jeroboamo, sed sub vituli imagine, hoc ei bene cessit, principatum in tribubus Israeliticis obtinuit: at cum reus fieret Baalis cultu, mortuus est, i. e. poenas dedit.* Forte ipsum *balbutire* a tremore linguae dictum.

Simonis quod in lexico enotavit, (ipsum enim Kromayeri librum nancisci non possum) *vitulum ejusque cultum a Jeroboamo institutum intelligit I. A. Kromayer in Specimine fontium S. S. apertorum ad l. c. collato Arabico* ثَوْر *vitulus*, magna se veri specie, ut pleraque Kromayeri viri ultra modum seculi sui docti, commendat, estque oppositioni ad cultum Baalis aptissimum: obstat tamen, quod ثَوْر *bos*, soli Saadiae privum, sic שׁוֹר vertere solito, Arabibus aliis ignotum. Vide Schnurrerum de pentateucho Arabico Saadiae, et priorem bibliothecam Orientalem T. XVI. p. 69. 70.

2394. שְׁאָג *rugitus* masculi leonis Jes. V, 29. Keri.

Ob rationes in bibliotheca Or. priore T. XIV. p. 111. redditas, Keri ושאג Jes. V, 29. וְשָׁאַג effero, שְׁאָגָה לוֹ כַּלָּבִיא וְשָׁאַג כַּכְּפִירִים *rugitus est illi ut leaenae, et rugitus ut leonum juvenum* (Veneri aptorum.) Sic opponuntur sibi invicem שְׁאָג *rugitus leonum* masculini generis, et שְׁאָגָה *rugitus leaenarum.*

2395. שאה *attendit, attente consideravit.* Genes. XXIV, 21. (Samar. Deuter. XXXIII, 3.)

Haec significatio verbi addenda videtur receptis in lexica. והאישׁ מִשְׁתָּאֵה לָהּ Genes. XXIV, 21. satis unanimes vertunt, LXX *κατεμάνθανεν αὐτήν*, Vulg. *contemplabatur eam*, sic et Syrus ܡܬܒܩܐ ܗܘܐ ܒܗ̇ et Chaldaeus, מִסְתַּכַּל *curiose adspiciebat eam:* quos sequutus et ego verterim, *vir attente et curiose spectabat eam.* Arabibus سأو et de *solicitudine* ponitur, et de *intentione.* Forte hanc significationem literarum permutatione adscivit ex שׁעה, Arab. سعى *spectavit, respexit, solicite attendit*, certe aliam utrumque verbum significationem communem habet, est enim et سأو et سعى *cucurrit.*

Tex-

Textus Samaritanus Deuteron. XXXIII, 3. habet, ושאו מדברתיך quod ex eadem notione verti possit, *solicite attendebant* (proprie, *spectabant*) *oracula tua*. Auscultandi verbum si malis, conferre possis, شأى quod in octava est, *auscultavit*: *auscultabant oraculis tuis*, i. e. auscultantes solicite illa audiebant.

2396. מְשׁוֹאָה, Job. XXX, 3. XXXVIII, 27. Sophon. I, 15. (מְשֹׁאָה.)

Ter componuntur שֹׁאָה וּמְשֹׁאָה, *vastatio et vastatio*, seu, *et locus vastus*. Malim מְשֹׁאָה efferre, *vastatio post vastationem*, ita ut utrumque nomen sit, שֹׁאָה *vastatio*, nomine מְשׁוֹאָה quod in lexica receptum, plane abdicato. Quamquam, si Mem partem nominis facere velis, possis et מְשׁוֹאָה *summa devastatio* nomen facere formae rarioris מְכֹאָל (num. 314.) eodem manente sensu. Sed prius praeplacet.

2397. שאנן *tranquillus*, *ferociens clamor*, *tumultus*, *laetum canticum*.

Certa et verbo et nomini maneat *tranquillitatis*, indeque *felicitatis* notio, quam ei lexica dare solent, Schultensiusque ad Job. III, 18. ex Syriaco ܫܠܐ *tranquillavit*, ܫܠܝܐ *pax*, *tranquillitas*, illustrat: Arabica enim, quod mirere, lingua, in vulgatissimo Hebraeis verbo ac nomine nos destituit.

At et ex שָׁאוֹן, *strepitus*, *tumultus*, alium aliquando significatum adsciscit, FEROCIENTIS *clamoris* superborum nimisque beatorum. Haec 2 Reg. XIX, 25. et Jes. XXXVII, 29. legens, *quia furis contra me*, et שַׁאֲנַנְךָ . . . . . *adscendit in aures meas*, de tranquillitate, solaque felicitate cogitare possit? Sunt ibi potius *ferocientes et blasphemae Assyrii regis voces*, sic Chaldaeus utrobique אתרגושתך *tumultus tuus*, quo ipso nomine et alias pro שָׁאוֹן uti solet, pauloque liberius Syrus ܓܘܕܦܟ *blasphemia tua*, Vulgata *superbia tua*. — — Eodem modo de *ferociente clamore* vel *protervo victoris epinicio* accipi putem, Ps. CXXIII, 4. ubi שאננים et גאיונים *superbi*, componuntur. Vertit ibi Aquila, ὀνειδίζοντας, Syr. ܡܨܚܢܐ *contemtores*.

Symmachus Pf. LXVIII, 18. אלפי שאנן legens (fic et five LXX five Aquila) χιλιάδας ἠχούντων vertit: plane ut pro שאון ἦχος ponitur, Pf. LXIV, 8.

Forte et ad alia codicis facri loca haec ferocientis aut laeti clamoris notio transferenda, et alteri felicitatis adjungenda, fed de eo dispicere interpretis librorum facrorum eft, non lexicographi.

2398. שְׁאֵר, *vindex, vindicta* Jef. XIV, 22. Jerem. LI, 35.

Arabibus verbum ثَأَرَ cum fuis derivatis de vindicta fanguinis ufitatiffimum, ثَأْرٌ *ipfa vindicta fanguinis, fanguis pro fanguine effufus*, ثَائِرٌ *vindex fanguinis*, idem qui Hebraeis גואל. Volunt aliqui, ductam a *fervendo* et *bulliendo* fignificationem, quam ثَارَ pro ثَوَرَ habet: mihi verifimilius, ortam, a שָׁאַר, *fuperfuit*, fuperftitis cognati erat fanguinem caefi ulcifci. Sic accipio Jef. XIV, 22. *exfcindam Babyloni nomen* וּשְׁאָר *et fuperftitem*, ita ut fuperftes vindicem fanguinis includat, nifi malis mutatis vocalibus שְׁאֵר fimpliciter *vindicem*, ثَائِر Arabum intelligere. Jerem. LI, 35. חמסי ושארי על בבל *injuria mihi illata, et vindicta mea fit fuper Babylonem*, vindex mihi exfiftat, ulcifcaturque injurias, caedesque in me commiffas. Auribus certe noftris non probatur, quod alii habent, *injuria mea et caro mea*, (praeeunte Vulgata) vel, *injuria mea et reliquum ex me, fit fuper Babylonem.* Mire hic diffentire videas veteres: LXX αἱ ταλαιπωρίαι μου, Chald. בזזי *depraedatio mea*, Syrus ܩܢܝܢܝ *poffeffio mea*, vel *grex meus.* Haec unde? Conjecturae effe videntur de vocabulo, in quo laborabant, factae.

2399. שְׁאֵר et שְׁאֵר בְּשָׂר de cognatis pofitum.

שְׁאֵר et שְׁאֵר בְּשָׂר de *cognatis* in legibus Mofaicis poni, notum. Pofterius nolim vertere, ut fieri folet, *caro carnis ejus*, (id fi voluiffet Mofes, potius בְּשַׂר בְּשָׂרוֹ fcripfiffet) fed, *reliquum*, i. e. *pars carnis ejus.* Multa de hoc nomine, et quam late pateat aut angufte? disputata funt, occafione legum de connubiis inceftis Levit. XVIII. XX. prohibitis. Vix hae lites interpretum lexico inferri poffunt, nimis copiofa disputatione opus habiturae: expofui de illis fententiamque dixi, in *Abhandlung*

von

von den Ehegesetzen Moses, welche die Heyrathen in die nahe Freundschaft untersagen, editionis secundae, anno 1768 factae, §. 16. 17. 18. Illuc ablegaverim lectores.

2400. שְׁבָא *Sabaei*, Genes. X, 7. 28. XXV, 3.

Tres Sabaeorum populos in enumeratione gentium post diluvium Genes. X. Moses habet,

1) סְבָא Africanos, Hamo ortos de quibus sub litera ס num. 1687. dictum.

2) שְׁבָא Genes. X, 7. Hamo hos quoque ortos, sed ab illo remotiores, sunt enim filii seu colonia Ragmae, coloniae Aethiopum. De his in Spicilegio geographiae T. I. p. 197–201. dubitatum, certi enim nihil habemus de situ aut regionis aut urbis, quam hi Sabaei habitarunt.

3) שְׁבָא Genes. X, 28. quos ad Joctanitas, Semi posteros refert. Hi sine dubio celebres felicis Arabiae Sabaei, quorum metropolis Mariba. Vide Bochartum l. II. c. 26. Phalegi, et nostrum Spicilegium T. II. p. 182–184. Horum regina Salomonem adiit, quam sibi quidem et Africae Habessini vindicant: sed eorum historiae et hic et alibi perquam suspectae fidei.

Habemus praeter hos

4) Sabaeos, שבא, qui boves asinasque Jobi diripuerunt, servos occiderunt. Job. I, 14. 15. Vix hi esse possunt nobiles felicis Arabiae Sabaei, nimis a sedibus Jobi, quascunque ei attribueris, remoti, quam ut improvisum in greges ejus impetum facere potuerint; nec divitis populi, agros suos seu potius hortos colentis, rapinas longinquas exercere, sed Nomadici, per deserta errantis. Mihi quidem vel hanc ob caussam non magna gens, sed minor aliqua tribus intelligenda videtur, quod cum verbo feminini generis construitur, ותפל שבא ותקחם. Nomina populorum masculina, at tribuum minorum Arabibus haud raro feminina. (Grammat. Ar. p. 174.) His ergo adsentior, qui eos Abrahami ex Ketura posteros fuisse censent, Genes. XXV, 3. (*Jokschan*, Abrahami ex Ketura filius, *genuit* שבא ודדן.) Tempori, quo Jobus vixisse fingitur, consentaneum, tribum jam aliquam Nomadicam hoc Saba, Abrahami nepote, ortam ac numerosam fuisse. Vide introductionem in Vet. Test. T. I. P. I. p. 40. 41.

Suſpectum videri poſſit, quod iidem filii שבא ודדן hic Jokſchano tribuuntur, qui Geneſ. X, 7. Ragmae, Cuſchi filio. Verum multae in Oriente tribus cognomines, ortu diverſiſſimae, nempe quod plures tribuum progenitores eodem nomine fuerunt, idque poſteris reliquerunt. Norunt, qui Arabum ſcripta genealogica manu verſarunt.

2401. שֵׁבֶט Pſ. II, 9. Jeſ. X, 15.

תְּרֹעֵם Pſ. II, 9. ſi vertas, (ut mihi quidem praeplacet) *franges eos*, שבט ברזל, quo hoſtes confringuntur ut vaſa figuli, non ſceptrum erit, ſed *baculus ferreus*, i. e. *clava ferrea* aut *ferro munita*, qualem Herculi tribuere fabula ſolet. Ipſe Hercules Phoenicum Deus, certe Davidi non ignotus, nec clavis pugnare inſvetum Orientalibus. Arabes Troglodytae, Megabarei dicti, apud Diodorum Siculum l. III. c. 33. *ὁπλισμὸν ἔχουσι — — ῥόπαλον τύλους ἔχον περισιδήρους*, *clavis armati ſunt ferro obductis*. Clavam in coelo Hercules geſtat et Orion.

Jeſ. X, 15. ſi legas, כהניף שֵׁבט ואת מרימיו, cujus lectionis teſtes quaeres apud de Roſſium, שבט erit *manubrium ſerrae ligneum*, *quo illa movetur trahiturque*, ac ſententia: *gloriabiturne ſerra contra moventes ipſam*, *ac ſi ipſa moveret manubrium et eos qui ſerram movent*. Alia omnia, ſi conſvetam lectionem teneas.

2402. שְׁבָט *Februarius* Zach. I, 7.

Non niſi ſemel hoc nomen Hebraice occurrit, frequens Syris, a quibus ad Arabes tranſiit. Menſis eſt Hebraeorum undecimus, in Februarium noſtrum incidens, licet communi errore pro Januario habeatur, ac ſaepe in calendariis Judaicis Januario reſpondeat. Vide commentationem de menſibus Hebraeorum. Arabibus سُبَاط et شُبَاط eſt, *nomen menſis Syromacedonici*, *ſcil. Februarii*, vide Golium et teſtes ab eo excitatos. ܫܒܛ Syrorum in Februarium incidere, inſigni exemplo demonſtratum in commentatione, quam dixi, de menſibus Hebr. p. 34. lexicoque Syriaco. Derivationem ignorare, quam de ea conjicere malim.

2403–2406. שבל vel שבל cum derivatis.

Praecipua de his vocabulis agendi cauſſa eſt שִׁבֳּלֵי Zachar. IV, 12. et pravis punctis adfectum, et male a lexicographis commentatoribusque omnibus intellectum: de שֹׁבֶל enim שְׁבִיל, שִׁבֹּלֶת illis in rei ſumma ac-

ce-

cedo, quae alii lexicographi habent, maxime Coccejus. Sunt tamen antequam שבל Zachariae adgredi possim, aliqua etiam de his notioribus perpurganda, quae et debuissent a lexicographis moneri. Quis enim non miretur, se sub eadem radice, *viam*, *spicam*, *fluctum*, *caesariem*, invenire? De spica quidem, fluctu, caesarie, facile conjecturam faciet, at quomodo haec cum *via* sub eandem radicem coeant, aegrius expediet. Ergo de his primo aliqua leviora atque etymologica. Haec mihi tria nomina, ut et illa, quae Arabia sub radice سبل habet, in duas classes dividenda videntur, 1) quae vere sunt a radice שבל, 2) quae radicem שבל simulant, suntque ad radicem בלל referenda.

Ergo vere ex radice שבל esse autumo

2403. שְׁבִיל *via*

Jerem. XVIII, 15. Ps. LXXVII, 20., سَبِيل Arabibus, illisque frequentissimi usus, sed nescio quid verbum, unde ortum est, significaverit. Ne in prima quidem conjugatione verbum سبل occurrit, in reliquis autem conjugationibus manifeste est denominativum. Hoc ergo nomen sub *viae* notione Arabibus frequentissimum, Hebraeis rarum, bis modo occurrens, in poetica oratione, et locum suum prope relinquens notiori דרך, plane easdem significationes habenti: apud Syros ܫܒܝܠܐ *via*, nomen rarius, verbumque denominativum, ܫܒܠ *direxit*, *in via duxit*.

Reliqua omnia ad radicem בלל *fundere*, refero, et vero ad ejus conjugationem Schafel, שַׁבֵּל, sed ex qua, ut saepe in linguis orientalibus, per errorem loquentium novum verbum ortum, universim invaluit. A fundendo ergo, nisi fallor, ortum

2404. שִׁבֹּלֶת.

fluctus, *flumen*, *inundatio*, ac deinde, quod vento agitatae fluctus referunt, *aristae*. Et hae significationes reliquis Orientis linguis notae, ut سبل *pluviam effudit coelum*, سَبَل *pluvia*, *arista*, سُنْبُلَة *arista*, ܫܒܠܐ *signum virginis in zodiaco*, nempe quod spicam manu tenet, *spica* &c. &c.

Unum lexicis addo, שבלת הנהר Jes. XXVIII, 12. varie ab aliis intellectum, mihi esse, *inundationem fluminis*, i. e. Euphratem, qualis circa

circa Babylonem verno tempore et mense Junio ripas supergressus, restagnat, inque maris morem campis innatat.

2405. שֹׁבֶל

fluens caesaries, de quo egregie disputavit Coccejus.

Verum haec omnia non sufficiunt explicando nomini שׁבלי Zachar. IV, 12. quod equidem, si mihi liceret puncta ei subjicere, quae vera videntur, a singulari conciperem,

2406. שֶׁבֶל vel שֶׁבֶל *adolescens*, *juvenis*.

Semel, ut dixi, occurrit, Zach. IV, 12. Qui puncta adjecit שִׁבֳּלֵי ad singularem שִׁבֹּלֶת *spica*, retulit atque sic et diu ante puncta, *spicas olivarum*, reddidit latina vulgata. Verum, quis unquam *spicam olivarum* audivit? quis vidit? quis animo concipere potest? Nec enim in spicae morem, sed baccas segregatas, olivae efferunt.

Ramos olivarum habent LXX, Arabs ex illis factus, et Syrus; sed quomodo שבל vel שבלת *ramum* significare possit, difficile est expedire. Mutaruntne spicam in ramum? Id si fecerunt, si res sua sponte dissimillimas unam pro altera substituerunt, quis eos sequatur? Verum et aliud praeter grammaticam, indocilem adversariam, ramis obstat: versu enim capitis tertio ad candelabrum ab utroque latere stabant *duae olivae* (שנים זיתים) et vixdum propheta versu undecimo interrogaverat, *quid essent duae olivae* ad utrumque latus candelabri. Hanc igitur quaestionem repetens versu, qui proximus est, duodecimo, credine potest *olivas* mutare in *ramos olivarum*? Mirum, hoc neminem interpretum recentiorum vidisse.

Ergo, si seriem orationis sequaris, שבלי זיתים idem erunt, quod antea זיתים, non pars aliqua olivae, sed olivae ipsae. Conjiceres forte, esse *filios olivae*, id est, *juvenes et adolescentes olivas, ex alia oliva ortas*, aut utcunque *arbusculas olivas*: maxime cum decimo quarto FILII *olei* (בני היצהר) dicantur.

Atqui hoc ipsum quod velimus, שבלי modo aliis punctis adfectum egregie significare potest. Arabiae شبل est, *crescere*, *adolescere*, in conjugatione quarta, *educare*, *pullos habere*, unde شِبْلٌ *catulus*, *pullus*. Ergo ad literam verterim, *duo adolescentes olivarum*, i. e. duae juvenes olivae, recens natae, non arbores jam sed arbusculae. Germanice egregie dicere, *junge Oelbäume*, quod forte latine non aeque licuerit,

rit, nisi audeas. Puncta autem mutanda censuerim. ش Arabum plerumque est שׁ Hebraeorum, nec a שִׁבֹּלֶת jam derivo, quod in plurali שִׁבֲּלֵי habet: ergo me judice nomen in singulari erit שֶׁבֶל vel שָׁבָל, in plurali שְׁבָלִים, in statu constructo, in quo hic occurrit, שְׁבָלֵי.

שָׁבָל שֶׁבֶל שְׁבָלִים שְׁבָלֵי.

2407. שבר *spithama dimensus est.* Job. XXXVIII, 10.

Omnibus reliquis obscurioris verbi explicationibus praefero Schultensianam, quam in commentario quinto loco posuit, ex شبر *spithama dimensus est.* Sic tamen ex analogia utriusque linguae per Sin potius scribendum videtur, וָאֶשְׂבֹּר.

2408. שֶׁבֶר et מַשְׁבֵּר *de parturitione positum.* Jes. LXVI, 9. XXXVII, 3. 1 Reg. XIX, 3. Hos. XIII, 13.

Cum in nota ac certa significatione adhaesisse aliquos videam, ac dubitasse, derivationem et propriam significationem addo. Statim ante partum *frangitur*, seu rumpitur, *secundina*, cujus liquor effluit, nos germani dicimus eadem fere phrasi, *die Wasser sind gebrochen.* Hinc intelliges XXXVII, 3. *jam eo usque venerunt filii, ut secundina rupta sit, sed vires desunt ad pariendum:* terribilis status puerperae, summis in cruciatibus morituraе! et c. LXVI, 9. *num secundinam frangi jubebo, nec partum adjuvabo?* Vide biblioth. Or. priorem T. XXII. p. 44. Habent et Arabes مثبر, non ut est in lexicis, locum pariendi, sed, ipsum pariendi actum, quo de vocabulo vide scripta num. 11.

2409. שַׁבָּת *sabbatum.*

Sabbatum Syris pro hebdomade poni, indeque dies hebdomadis, *primum*, *secundum*, *tertium*, *quartum sabbati* dici notum. Est haec posterior phrasis (pro priore enim non male citari solet Levit. XXIII, 15.) Hebraismo ignota. Habent quidem LXX Ps. XXIV, (23.) 1. ψαλμὸς τοῦ Δαυὶδ τῆς μιᾶς σαββάτου, et Ps. XCIV, (93.) 1. ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαυὶδ τετράδι σαββάτου: verum haec non sunt ex Hebraico versa, sed serius psalmorum titulis Graecis adjecta, idque jam monuit, docens in Hexaplis non legi, Theodoretus.

2410. שׁבת *quievit, ſtabilis fuit,* משׁבת Jeſ. XXX, 7.

Quieſcendi notione verbum cum Hebraeis commune habent Syri et Chaldaei: Arabes duplex pro Hebraico verbum habent, 1) سبت *quievit*, unde et ſabbatum, سبت, 2) ثبت *ſtabilis, firmus fuit*, in ſec. *ſtabilivit.* Transtuli ad locum difficilem Jeſ. XXX, 7. ubi aliter diſtinctis in voces literis lego, רָהַב הַמְּשַׁבֵּת *fugit ſtabiliens*, i. e. auxilio advocatus, in quo confidunt, Aegyptius. Rationes facti reddidi in biblioth. Or. Adpend. Tomi XIV. p. 97–99. monens et LXX ac Syrum משׁבת legiſſe videri, ac vertere, illos quidem ἡ παράκλησις αὐτῶν, quaſi diceres, tranquillos et quietos eos redditurus, hunc, *fiducia veſtra.*

2411. תשׁבת Job. XXI, 34. ex alia lectione, *quietatio, ſolatium.*

תְּשׁוּבֹתֵיכֶם Job. XXI, 34. vertitur, *reſponſiones veſtrae*, ex phraſi הֵשִׁיב דָּבָר *reſpondit*: veriſimili conjectura, ſed tamen conjectura, nec enim nomen hac ſignificatione alibi occurrit, eſtque potius ex conjugatione Kal, *reverſio, converſio.* Citant quidem et aliud exemplum, ex Job. XXXIV, 36. ſed ibi potius eſſe videtur, *convertere ſe ad homines vanos*, vel, *mendaces.*

Ad radicem שׁבת retulerunt LXX τὸ ἀφ᾽ ὑμῶν καταπαῦσαί με οὐδέν, quod equidem verterim, *quietatio veſtra* i. e. *ſolatia veſtra mihi data, nihilum ſunt.* Ex conſveta quidem lectione hoc locum habere nequit, at ſine Vau octo codices Kennicottiani תשׁבתיכם habent, quod poſſit ita mutatis vocalibus explicari, et concipi a ſingulare, תַּשְׁבַּת *quietatio, ſolatium.* Mallem quidem per Jod, תַּשְׁבִּיתֵיכֶם, quae forma nominis ex Hiphil facti magis conſveta; ſed nullus ita codex.

2412. שׂגים *ſcoriae*, ex var. lect. Pſ. CXIX, 118.

Pro שׂוגים plures quam quadraginta codices Kennicottiani ſine Vau שׂגים habent, quod poſſit שִׂגִים efferri, ut idem ſit quod סגים. Egregia prodit ſententia, *rejeciſti omnes a lege tua ſcorias*, omnia aliena ei *admixta ut adulterinum metallum reprobas.* In ſequente certe verſu de ſcoriis ſermo. Vide plura in T. XIX. biblioth. Or. p. 155.

2413. השגיח Jes. XIV, 16. Pf. XXXIII, 14. Cantic. II, 9.

Satis conftanter lexica, *intueri*, *refpicere*, vertunt, Kimchium fequuta, qui interpretatur, הבטה בהתבוננות, *intueri cum attentione*. Significatio tribus locis fatis apta, nec tamen ufu linguarum Orientalium firmata, praeter Rabbinorum Chaldaicam, quae faepe verbis ex Hebraifmo adfcititiis fignificationes dat ex confveta Rabbinorum interpretatione. Syri, Samaritani non habent.

Plus effe, quam ראה *videre*, ex Jef. XIV, 16. certum, quod varie exprimere veteres tentarunt: LXX θαυμάσουσιν ἐπὶ σὲ, Vulgata, *ad te inclinabuntur*. Utrumque verifimile. Sic et παρακύπτειν LXX habent Cant. II, 9. eftque haec fignificatio, modo de ea ex ufu linguarum orientalium conftaret, pfalmo 33 egregie apta.

In Golii lexico, hic non exfcribendo, سجح tres potiffimum notiones, cognatas inter fefe, habet, 1) *lenis fuit*, 2) *pulcher fuit* 3) أسجح *pepercit*, *condonavit*. Habes hic aliquid plus, quam *videre*, quod cum intuitu et contemplatione conjungi poffit, locis etiam tribus fatis aptum. Jef. XIV, 16. Babylonem qui vident ex fummo faftigio deturbatam et vaftatam, *leniter illam intuentur*, *miferatione etiam tacti*, *vindictae*, *qua fatiati funt*, *non ultra cupidi*. Pf. XXXIII, 14. alto ex folio deus *leniter ac benevole refpicit* mortale in terris genus. Cant. II, 9. five *lenitatis et condonationis* ideam complecti poffit, ut leniter intueatur deceptam amicam, eique condonet, five *pulcritudinis*, ut pulcram per feneftram faciem oftendat. In hoc membro quod eft, משגיח, in fequenti erit, מציץ, *effloreſcit*, *pulcro flori fimilis*.

2414. שִׂגְשֵׂג, vel שַׂגְשַׂג *corrupit*. Jef. XVII, 11.

Quadriliterum ἅπαξ λεγόμενον תְּשַׂגְשֵׂגִי Jef. XVII, 11. recentiores fere ad שגא vel שגה referunt, qua fub radice et lexica habere folent, vertuntque, *crefcere facis*. Ex veteribus nemo praeivit, in fententiae tamen fumma concinit Syrus, *die quo plantabis*, *prodibit flos ejus*. Per Schin lectum, ex שגה *erravit*, LXX, *die quo plantabis* πλανηθήσῃ, *errabis vel decipieris*.

Alii de degeneratione vel corruptione acceperunt: Vulgata, fed liberius nomine pro verbo pofito, *in die plantationis tuae labrufca*, quod in commentario explicat Hieronymus, *quia germen alienum blafphemiae contra Jefum feminafti*, *ideo non vindemiabis uvam*, *fed labrufcam*. Chal-

daeus: *postquam sanctificati estis, ut essetis populus, corrupistis opera vestra.* Id quidem ad radicem שׂגשׂ relatum significare quadriliterum possit: Arabibus سَحْسَن *alterata, corrupta, et turbida fuit aqua*, Syris ܣܚܣܚ *corrupit* in negotio religionis et fidei. Sententia erit: *pulcram plantas arborem, sed inseris ei peregrinum germen*, (verae religioni peregrinas religiones admisces) *statimque, ut plantasti, corrumpis*. Sequutus sum in versione germanica, inque notis explicui: nec tamen desino, verbum obscurioribus adnumerare.

[Aliqua, in lexicis sub radice שׂרד poni solita, quaere sub שׂרד.]

2415. שׂרד *nubes atra?* Jerem. XV, 8.

In versione verborum Jeremiae, *super matrem adolescentis venire feci vastatorem meridie*, sunt, quae mihi certe cum eum verterem, displicebant. Vastator cur non potius ipsi venit juveni? cur matri ejus? quid ad rem, meridie veniat an vesperi? In sequente versu sermo, de tenebris interdiu ingruentibus, seu, ut fortius dicitur, de sole interdiu occidente. Suspicabar ergo in biblioth. Or. T. XV. p. 176., שׂרד *atra nox*; legendum, *noctem venire feci ipso meridie super matrem adolescentis*: sed conjecturam a nullo codice confirmari videns, abdico; de sententia verborum adhuc dubito, possit enim et שׂרד *atra nubes* esse coelo obducta. A سَدّ *obstruxit*, Arabes faciunt, سُدّ *atra nubes*.

2416. שׂרד *occavit*, Jes. XXVIII, 24. Hos. X, 11. Job. XXXIX, 10. (Proverb. XI, 3.)

Magno consensu recentiores, *occare*, vertunt, estque significatio tribus locis egregie apta. Veteres non tam unanimes, sunt tamen, qui praeiverunt, aut praeivisse videntur. Symmachus in Jesaia, *βωλοκοπήσει*, in Jobo, *ὁμαλίσει*, *complanabit*, Syrus in Jesaia ܢܦܠܚ. Hieronymus latius de omni fractione glebarum accepit, sive rastro fiat sive sarculo: in Jesaia vertit, *sarriet*, in Hosea, *confringet sulcos*, in Jobo, *confringet glebas*, adque Jesaiae locum in commentario haec adnotavit: *vomere sulcos resolvet, jacentesque glebas rastro franget et sarculo.*

De etymo sic mihi videtur. سَدّ Arabibus est, *obturare, occludere*, ab *occludendo semine* occatio Hebraeis dicta, plane ut Latinis. Cicero de Senectute c. 15. *quae (terra) cum gremio mollito ac subacto semen sparsum* ex-

excepit, primo id occoecatum cohibet; ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est.

Forte et pro וְשָׁדַם Prov. XI, 3. יְשָׁדֵּם efferendum, *occat*, i. e. in transversum ductis lineis diruit. Sed de hoc loco vide p. 1773. 1774. scripta.

2417. שַׁד ,שָׁדַיִם (a rad. שדה) *ubera*, (*pectus?*)

Habent Syri sub ܬܕܐ pluraliter ܬܕ̈ܝܐ, Arabes sub ثَدْي, vix ergo dubitandum, quin sit radicis שדה, quae, ut jam monuerunt alii, Chaldaeis (שדא) est, *effundere*. Sic et ثَدِيَ *rigavit*. Ex etymo ergo proprie sunt ubera mulierum, lac effundentia, sed latius etiam viris tribui, et pectus significare videntur Jes. XXXII, 12. עַל שָׁדַיִם סֹפְדִים, masculini enim generis est סֹפְדִים. Non erat, cur in eo adhaererent interpretes, est enim usui Arabum Syrorumque consentaneum. Illis ثَدْي, ut docent Geuhar et Camus, *cum viri tum feminae est*, de ܬܕܐ Schafius in lexico, *mamma et viri et feminae*, ac sine dubio Apoc. I, 13. de pectore virili ponitur. Sic quidem et Ps. XXXII, 4. Syrus accepit, לְשַׁדִּי efferens, *reversus in pectus meum dolor*, cui tamen in hac versione non adsentior.

Ob derivationem a שדה mallem singularem per Kamets שָׁד scribere, quam, ut Thren. IV, 3. editiones habere solent, שַׁד.

2418. שַׁדַּי.

Multa de derivatione et significatione nominis antiquissimi, quo verus summusque Deus, postea Jehova vocari volens, pene ut proprio distinguebatur, sententiarum divergia. Non omnes enoto, de quibusdam retulit Ikenius in dissertatione prima earum, quas anno 1749 sub titulo, *dissertationum philologico theologicarum* edidit, ad quam liceat mihi lectores ablegare. Insignis locus est Exod. VI, 3. *Abrahamo Isaaco et Jacobo adparui ut* אֵל שַׁדַּי, *sed nomine meo, Jehova, non innotui illis:* huic antiquitati nominis tribuendum, quod frequentissimum est in libro Jobi, alterum, יהוה, vitante, ubi Jobus, amici ejus, Deusque ipse loquuntur. Vide *introductionem in Vet. Test.* T. I. p. 42. 43.

Equidem duas inter significationes ambigo, verisimiliores mihi visas: lexica illis carent, sed praeiverunt aliqui veterum. Ipsa forma no-

-minis ad radicem nos tertiae radicalis He quiescentis שָׁדָה, deducit. Nec vero שָׁדָה *fudit*, *effudit*, confero, ut sit effusor seu largitor bonorum omnium, quam significationem non paucis locis parum aptam esse monet Ikenius: sed Arabicum شدا pro شدو et شدى duas interpretationes offerens, quas inter ambigo.

1) شدا in conjugatione I. 5. 16) est *adscendit summum rei, in summo consedit*: Sic erit, *summi coeli sessor*, dignum vero deo nomen, idem quod עֶלְיוֹן *altissimus*, cum quo et Ps. XCI, 1. apte componitur. Est, ubi LXX praeiverunt, Ps. LXVIII, 15. vertentes, ὁ ἐπουράνιος, et XCI, 1. ὁ θεὸς τοῦ οὐρανοῦ. Vulgata Ezech. I, 24. *sublimis Deus*.

2) Verum idem verbum et est, *texere*, *stamina ducere*, (ut שְׁרָא Thalmudicis, *nere*, *fila ducere*.) Deus, creans omnia et regens, stamina ducere omnium rerum dicitur (*): sic erit: *deus creator et rector mundi*, *sua providentia omnia texens*. Sic quidem Graeco jam interpreti Job. VIII, 3. est, ὁ τὰ πάντα ποιήσας. Forte et huc referre possis, quod idem Jobi interpres alias pro שַׁדַּי habet, παντοκράτωρ, ut sit, *omnium rerum dominus ac monarcha*, *regens omnia*: verum potest et hoc nomen aliter explicari, *omnipotens*.

Haec duo inter nomina, vero deo a falsis distinguendo aptissima, ambigens, proximum tamen ab illis locum relinquo

3) perquam receptae, ornataeque ab Ikenio, tertiae versioni: POTENS, *omnipotens*, ex Arabico شَدَّ *validus fuit*, *praevaluit*, شَدِيد *validus*. Sic Genes. XVII, 1. Vulgata, *ego Deus omnipotens*, ex qua in Reuchlini lexicon, versionemque Lutheri et alias fluxit. Videtur a Judaeis accepisse Hieronymus, in sua etiam psalmorum versione Ps. LXVIII, 15. *robustissimus* reddens: multi enim Judaeorum, quorum scripta nos legimus, ita; Abenezra in hoc ipso Psalmo, תַּקִּיף interpretatur. Syrus quoque Job. VI, 4. ܚܣܝܢܐ *fortis*. Qua autem via Judaei veteres Arabismi ignari Hieronymi jam tempore ad hanc potentiae notionem devenerint, pro certo non dixerim, suspicor, eos, ut sub sequente numero habebimus, nomen ad דַּי referentes, deum intellexisse qui omnibus rebus faciendis sufficiat, i. e. omnia facere possit.

4) Permulti veterum recentiorumque ad דַּי *sufficientia* retulerunt, שׁ pro praefixo habentes, ut sit, *sufficiens*, *qui omnibus sufficit*. Sic ali-

(*) Vide et scripta de נָסַךְ *texere*, num. 1601.

aliquoties LXX *ἱκανὸς* vertunt, Ruth. I, 20. 21. Job. XXXI, 2. XXXIX, 32. Ezech. I, 24. itemque Aquila, Symmachus, Theodotion: Saadias Geneſ. XVII, 1. الكافي *ſufficiens*.

Plane diſplicuit non paucis, ob ש otioſum, et tamen ubique additum: quid enim opus erat pro, *ſufficiens*, ſemper languide dicere, *is qui eſt ſufficiens?* Verum haec peribit objectio, ſi melius explices: *is qui ſufficit*, eſt, *unicus Deus, praeter quem deo alio opus non habemus*. Jam vix poterit ש abeſſe, eritque uno vero deo dignum nomen. Eſt tamen aliam ob cauſſam ſuſpectum Schin praefixum: שדי nomen veri dei antiquiſſimum, uſitatum ante Moſis tempora, inque Jobi libro frequens, at ש praefixum in pentateucho Jobique libro, aut nuſpiam legitur, aut rariſſime et dubie, ſeriorisque videri poſſit Hebraismi eſſe. Ab hoc uno ſi diſcedas, non ita contemnenda eſt ſignificatio, ut viſa eſt Ikenio. Lege Geneſ. XVII, 1. digne dictum videbitur Abrahamo, ex polytheismo egreſſo, unique ſe deo circumciſuro: *ego ſum Deus, praeter quem alio non opus. Eſto mihi integer, ac me cole.*

5) Mirari ſubit, quomodo acciderit, ut LXX אל שדי Geneſ. XXVIII, 3. XLIII, 14. XLVI, 3. verterint, *ὁ θεός μου*. Putaruntne, שַׁדַּי idem eſſe, quod שֶׁלִּי? Ne hoc quidem dici poteſt, namque et *θεὸς αὐτῶν* reddunt Exod. VI, 3. et *θεός σου* Geneſ. XVII, 1. XXXV, 11.

2419. שְׁדֵמָה plur. שְׁדֵמוֹת conſtr. שַׁדְמוֹת, Deuteron. XXXII, 32. 2 Reg. XXIII, 4. Jeſ. XVI, 8. XXXVII, 27. Jerem. XXXI, 40. Habac. III, 17.

Antequam de vocabuli ſignificatione in qua valde diſſident veteres, dicam, aliquid de ſcriptione et forma grammatica praefandum. Nec jam quaero, per ש an per שׂ ſcribendum, ſed de his manifeſtis dico.

Primo, ſingularis שדמה non niſi ſemel occurrit, Jeſ. XXXVII, 27. ſed lectione perquam dubia: in loco enim parallelo, 2 Reg. XIX, 26. שדפה *(nigra)* legitur, hoc quidem ipſum non ſatis conſtanter. Eo tamen haec valet lectionis varietas, ut forte de ſingulari שדמה, an שדפה? aliter quam de plurali ſtatuendum ſit. De שדפה lectores ad alium ablegatos locum velim.

Deinde nonnullis locis alia lectionis varietas, שרמות per Reſch, ut, Jeſ. XVI, 8. Jerem. XXXI, 40. quo de nomine infra agendum.

Denique nec anomalia generis ſilentio tegenda, Habac. III, 17. שׂדמות לא עשׂה אכל:

Jam videamus, quid veteres, exque illis recentiores habeant, ſi qua enim recentiores ſoli ex conjectura habeant, argumentis uſuque linguarum Orientalium non firmata, ea omnia colligere et mihi, et lectoribus legere moleſtum, nemini proficuum.

I) Aliqui nomen, ſive ut proprium retinent, ſive ut ignotum: LXX 2 Reg. 23. ἐν Σαδημὼθ Κέδρων, et Jerem. 31. illi quidem Ἀσαρημὼθ, ſed alius Ἀσαδημώθ. Hoc plane damnandum, שׂדמות jam Hieroſolymae tribui videmus, 2 Reg. 23. Jerem. 31. jam Hesbonae, Jeſ. 16. jam Gomorrae Deut. 32.

II) In *campos*, *agros*, *vallem*, pleroſque conſentire videas. LXX. in Habacuco, *πεδία*, indeque Arabs, البقع (valles) Vulgata, *arva*: anonymus ibidem Graecus, ἡ γῆ. — — 2 Reg 23. Aquila ἐν ἀρούραις Κέδρων, Symm. et Theod. ἐν Φάραγγι Κέδρων, Arabs (aut Syrum ſequutus, aut aliam ſeptuaginta virorum lectionem, ex Theodotione correctorum,) في وادي, Syr. ܒܢܚܠܐ, Chald. במישׁר, Vulg. *in valle*. — — Sic et Jeſ. 16. LXX *πεδία*, Aqu. ἀρουραι Syr. ܢܨܒܬܐ. Haec quidem notio et recentiorum pleriſque, Judaeis et Chriſtianis placuit, eſtque ab illis in lexica recepta. Kimchius in libro radicum, alia praemiſſa interpretatione, אפשׁר שׁהיה ענין שׂדה זרע, *fieri etiam poteſt, ut ſit ager ſativus*: Raſchi ad Habac. 2. שׂדה לבן *ager albus*, i. e. *ſativus*. (Vide Buxtorfii lex. p. 1118.) Eſt tamen non niſi conjectura, pleriſque locis non inepta, late enim patentem ſignificationem, omnibus ceream, vocabulo dedit, ſed nullo linguarum Orientalium uſu, ac ne etymologia quidem firmata aut commendata. Quod enim cum שׂדה aliqui contulerunt, ה in ם mutatum ſtatuentes, ita eſt in literarum permutatione ludicrum, et ab omni linguarum Orientalium more ſejunctum, ut retuliſſe, id vero ſit refutaſſe.

III) Eodem forte redit, quod in Habacuco Syrus habet, ܐܕܖ̈ܐ *areae*: eodem et nomine damnandum.

IV) Paulo adſtrictius, *ſuburbana*, i. e. ſuburbanos agros Vulgata in Deuteronomio et Jeſ. 16. habet. Hauſtum videtur ex Aquila, Jerem. 31. τὰ προαστεῖα habente, quem haud raro ſequi Hieronymus ſolet. Et hoc nullo uſu aut etymo linguarum Orientalium fulcitur. Quod

his

his oppoſui hariolationibus, etiam de ſequentibus dictum exiſtimari velim, ne identidem repetere opus ſit.

V) Ἀγροὺς θανάτου, *agros mortis*, Jeſ. 16. LXX et Vulgata habent, haecque Jerem. 31. (illi loco, fateor, eximie apte) *univerſam regionem mortis*. Ad שְׂדֵה מָוֶת aut שְׂדֵי מָוֶת retulerunt, invita grammatica, cum nec ה nec י plurale omitti ſoleat: ſed qui error ſaepe in pluralibus femininis tert. rad. Mem, ut צַלְמָוֶת, committi ſolet.

VI) *Caſtra*, משריות Chaldaeus Jeſ. 16. habet, Nomadumne? an latronum? an hoſtium? Vix dignum diſquiſitu.

VII) Abenezra Habac. 3. *ſegetem* intellexit, male citato Jeſaiae loco, c. XXXVIII, 27. ubi adeo a קָמָה *ſegete* diſtinguitur.

VIII) *Herbam ſponte in agro naſcentem*, *infelicem*, LXX. Jeſ. 37: ὡς ἄγρωστις. Arabs نُجَيل reddidit. Nomen hoc plantae alias شنج dictae, i. e. ſalſolae, in locis ſterilibus creſcentis. Vide *Forskålii deſcriptiones plantarum* Centur. II. n. 91. et *Icones rerum naturalium Tab. VIII. A.* Non ſane illi loco apta, herbae enim infelices non praecedere ſegetem ſolent, ſed in ea laetius luxuriari: *interque nitentia culta infelix lolium et ſteriles dominantur avenae.* Hoc unum tamen hactenus ex reliquorum numero eximendum, quod etymologia adferri apta poſſit, a سَدِمَ *triſtis fuit.*

IX) *Vites* in ſuo radicum libro Kimchius reddidit, ex conjectura, non ſua quidem, ſed multo antiquiore Rabbinorum, quibusdam locis egregie apta. Praeierat ex Judaeis Saadias in verſione Arabica Deuter. 32. دوالي, ſicque ibidem et alter Arabs ab Erpenio editus. Huc et referendum, quod LXX habent, κληματὶς Deut. 32. et κλήματα Jeſ. 16. itemque in Deuteronomio Syrus ܡܢ ܫܒܫܬܐ *de palmite.*

X) Samaritanus, modo vera ſit lectio, Deuteron. XXXII, 23. שיבת vertit, quod quid ſit, in hac Samaritanarum literarum caligine expedire nequeo. Caſtellus *habitationem* vertit, ad ישב relatum, veri diſſimiliter ſine dubio, cum שדמות ne unicus quidem reliquorum interpretum ita verterit. Lexicon Samaritanum ſi ſcriberem, de vocabuli ſenſu anquirerem; jam non vacat. Ergo ut obſcurum aut incertum omittamus. Voluitne, id unum quaerere liceat, *canitiem* (שיבה) *fructus emarcidos?* vel, *ante tempus albeſcentes?*

XI)

XI) Sic quidem aliqui Jes. XXXVII, 27. Vulg. *quae exaruit*, Chald. דישלוק *quod* (ante tempus) *maturescit*, proprie, *coquitur* a sole vel aduritur, et Syrus, ܕܡܚܒܠܐ *damno adfectum*. Sed vereor ut haec ad nostrum vocabulum שדמה pertineant, eadem enim fere hi ipsi habent interpretes 2 Reg. XIX, 26. pro שדפה, unde verisimile, eos et hic שדפה legisse interpretatosque esse. Habent aliqui et Kennicotti et de Rossii codices.

XII) Unus aut verum vidit, aut proxime ab eo abfuit, Schultensius, *sideratos agros* vertere solitus. Equidem mallem *tristes*, *lugentes*, nec caussam video, cur, rariore adeo vocabulo Latino usus *sideratos* verterit.

XIII) Meam jam sententiam dicam, Schultensianae aut eandem, aut proximam.

Tristes, *lugentes* campos, vineas &c. verto ex Arabis سدم. Hoc quidem in secunda conjugatione, سَدَّمَ est, *capistrare*, *angere jumentum*, inde سَدِمَ *tristem esse*, proprie, *angi*, unde et سَدَمٌ *dolor*, *poenitentia*, سَدِمٌ et سَدْمَانُ *tristis*. Ex hac notione Arabica accepta omnia quae supra posui loca lucent. Deuteron. XXXII, 32. cum allusione etiam ad praecedens nomen סדום: *de Sodomorum enim vite est vitis illorum*, *et de tristibus* (sive agris, sive fructibus, fructibus venenatis) *Gomorrae*. — — 2 Reg. XXIII, 4. Jerem. XXXI, 40. suburbanae Hierosolymae valles, in quibus sepulcra mortuorum, *lugentes* vel *tristes* campi, aut si malis, valles dicentur. — — Jes. XVI, 8. *lugentes Hesbonae* (eversae ac vastatae) *campi*. XXVII, 27. *lugens jam antequam in segetem se erexit gramen*. Habac. III, 17. *lugentes campi non efferunt cibum*.

2420. שדף. 2421. שדפון. 2422. שדפה.

Verbum et nomina, de morbo aliquo segetum usitata. Non ab urendo ille, ut fere sumunt, dictus esse videtur, sed a nigredine. Arabibus أسدف niger. Sic ad literam, *aristae* שדופת קדים *nigrae Euro*, Genes. XLI, 6. שִׁדָּפוֹן *nigredo*, *icterus niger*, morbus segetum, compositus Deut. XXVIII, 22. 1 Reg. VIII, 37. cum ירקון *rubigine*. Aliud nomen שְׁדֵפָה לפני קמה 2 Reg. XIX, 26. *nigredo ante segetem*. Ex derivatione esse videtur, morbus quo segetes, fervente Euro adustae, non flavescunt modo,

do, sed prope nigrescunt. 2 Reg. XIX, 26. frumentum dum adhuc in gramine est, antequam in culmum se erexit, nigricare videtur. Proposueram de hoc morbo quaestionem 77 in Arabiam profecturis, ad quam, teste Niebuhrio (in descriptione Arabiae p. XLVI praefationis,) Forskålius sibi adnotaverat,

1) ירקון, Arabibus يرقان, morbum esse segetum a vento per mensem Judaeorum Marcheschvan (Novembrem) flante: aristas ita tactae segetis flavescere (nempe ante tempus) nec grana concipere. Hoc plane accipio.

2) שדפון esse morbum Arabibus dictum ضريين: triticum et hordeum, cubiti altitudine, frigore ita laedi, ut sine aristis maneat. Hoc dubitans refero: de morbo ipso nullum dubium, sed unde novimus, eum Hebraeorum שדפון esse? cujus caussa Genes. 41. non frigus, sed Eurus, ardens ventus? Morbo ضرين adfectum triticum *sine aristis* manet, at Genes. 41. ipsae spicae sunt צנמות. Ergo nondum liquet.

2423. שָׂהֵד *testis* Job. XVI, 19.

Rarissimum Hebraeis nomen, nec extra Jobi librum obvium. Contra סהד Syris, Chaldaeis, Samaritanis, شَهِدَ Arabibus, *testandi* significatione cum suis derivatis usitatissimum: certa ergo significatio. Arabibus شَهِدَ est et, *praesens fuit, coram spectavit:* Corani Sura XLIII, 18.

أَشَهِدُوا خَلْقَهُمْ *num praesentes fuerunt et viderunt creationem illorum.* Sic et شهد Act. XI, 23. positum pro ἰδών, et Rom. VIII, 24. pro βλεπομένη. شَهْدًا *coram.* A *praesentia*, et *videndo* testis αὐτόπτης dictus. Primam verbi significationem spectantes in Jobo LXX ὁ συνίστωρ μου, Syrus ܝܕܥܝ *cognoscentes me*, Vulg. *conscius meus.*

2424. שֹׁהַם *onyx.*

Varie nomen gemmae interpretantur veteres ac recentiores, dubiumque consulentem relinquunt: sententias ipsorum collegit, docte explicuit,

atque epicrisin addidit, ad quem ablego, *Braunius de vestitu sacerdotum Hebr.* libr. II. c. 18. Ipsi est, sardonyx.

Mihi quidem *onyx* praeplacet, quem derivatio nominis ex Arabico سَهْم ducta commendat. سَهْم est *sagitta cum jaculatoria tum aleatoria, baculi quibus pro sorte utebantur:* hinc مُسَهَّم *striata vestis, velut sagittis picta.* Est onyx gemma semipellucida, unguis humani colorem quodammodo imitans, a quo et nomen accepit, *candicantibus ac rectis distincta striis.* Striata gemma erit prope onychis definitio.

Magna in vertendo nomine inconstantia τῶν ό: ne pentateuchi quidem interpres ipse sibi constat, Exod. XXV, 7. XXXV, 9. Sardium habens, XXVIII, 9. XXXV, 27. XXXIX, 6. smaragdum, XXVIII, 20. XXXIX, 11. beryllum. Idem primo loco, Genes. II, 12. λίθον πράσινον reddidit, nisi fallor, aut שׁום legens, aut שׁהם cum שׁומים *allia, porrum* conferens. Graeci πράσιον dixerunt, *quod porrum* (πράσον) viridi colore refert; sic ergo et Hebraicum nomen interpretabatur. Lectionis varietatem in codicibus Judaicis Samaritanisque Kennicottus non reperit: et tamen verisimile, cum hoc unico tantum loco a se dissentiens interpres *prasinum* verterit, eum aliter legisse.

2425. שָׁוְא *vanitas, malum.*

Praeter *vanitatis* notionem aliam et *mali* habere videtur nomen, quibusdam locis fere aptiorem. Arabibus سَوْءٌ et سُوءٌ *malum, calamitas, malitia,* verbumque, *malus* i. e. *vitiosus fuit, displicuit, male habuit, moerore adfecit.* Hinc quidem Job. VII, 3. ירחי שׁוא melius erunt, *menses mali* seu *miseriarum,* quam menses vanitatis, in altero enim versus membro illis respondent לילות עמל *noctes aerumnarum.* Jes. V, 18. peccatum parum commode trahi dicitur *funibus vanitatis,* videturque et aliis displicuisse, שׁוא omittente in versione latina Dathio, Houbigantioque ac Lowthio lectionem mutantibus. Facilior prodibit sententia et expeditior, si vertas, *qui trahunt peccatum funibus vitiorum:* moleste ut grave onus funibus vitiosis trahunt. Hoc in versione germanica sequutus sum. Jam video, ex Arabica significatione etiam verti posse, *funibus moleste,* sic melius respondebit sequenti membro, *funibus curruum.*

Moneo hac occasione,

2426. שׁוֹאָה Pf. XXXV, 8.

Syrum vertiſſe ܒܝܫܬܐ *malum*, Hieronymum *calamitatem*. Poſſit hoc omnino ſignificare, atque ad noſtram radicem referri: ſed aeque bene lexica ad radicem שׁאה referunt.

2427. שׁוּב, *revertit*, *avertit*, *cucurrit quo voluit*. Jerem. VIII, 6.

שׁוב conſueta *revertendi*, vel etiam *avertendi* ſeſe notione, Arabes ſub ثوب et ثوب habent. Ex ea tamen difficilior explicatu locus Jerem. VIII, 6. *neminem poenitet mali ſui, nemo dicit, quid feci!* כֻּלֹּה שָׁב *omnes revertuntur in curſu ſuo ut equus feſtinans ad bellum.* Hic ergo potius contulerim ساب pro سوب *libere inceſſit*, *cucurrit quo voluit animal*, verterimque, *omnes citato curſu, ut equus currunt feſtinans in praelium.*

2428. שׁוּד *niger fuit*, *denigravit*. Pſ. XCI, 6.

יָשׁוּד Pſ. XCI, 6. in omnibus codicibus hucusque inſpectis per Vau ſcriptum, non debebat, ut fieri ſolet, ad radicem שׁדד referri, ſed ad שׁוד: nec apte compoſita phraſis, *cuspis*, vel *peſtis*, *vaſtat* meridiem. ساد pro سود eſt, *niger fuit vel evaſit*, ſicque et in conjugatione nona et undecima, سَوَّدَ *denigravit*, أَسْوَدُ *niger*: hinc verto, *cuspis* (mortis venenata) *quae denigrat meridiem*, i. e. triſtem facit meridiem ac tanquam in noctem convertit. Praeceſſerat, *peſtis in tenebris incedens*, cum hac componitur, in luce diei graſſans, meridiemque in caliginem convertens.

In veteribus nihil in loco difficili opis: prope omnes, LXX, Vulg. Aquila, Symmachus, Syrus, Chaldaeus, ſed varia ac perplexa nonnunquam conſtructione, de *daemone* aut daemoniacis cogitarunt, ex שֵׁד, Judaica quoque ſuperſtitio meridiana hic daemonia videt. Hieronymus, ut eſt a Benedictinis editus, *a morſu inſanientis in meridie* vertit, ſed alii codices editionesque habent, *inſanientis*, quod foret, δαιμονιώδους, ut vertit Symmachus.

2429. שׁוֹד *infortunium.* Job. V, 21.

Ex eadem *nigredinis* notione et שׁוֹד Job. V, 21. plene ſcriptum, interpretandum videtur, *infortunium*, *miſeria*, (*ab infortunio*, i. e. *publicis calamitatibus*, *cum venient*, *non timebis*,) diſtinguendumque a שֹׁד vaſtatione, quae ſtatim verſu ſequente memoratur. Parum veriſimile, ubi multa mala ac varia memorantur, *vaſtationem* egene ac languide bis poni, jam diverſa ſcriptione. Paronomaſiae potius ſtudio componuntur, שׁוֹט *ſcutica*, שׁוֹד *miſeriae*, שֹׁד vaſtatio.

Haec quidem *miſeriarum* ſignificatio non plane nova, aut a me invecta: etiam ſine Vau ſcriptum שֹׁד, ubi non opus erat, ſaepe a Graecis ταλαιπωρία vertitur, exempla ex Trommio non deſcribo.

2430. שֵׁדִים *daemonia* pro *diis culta.* Deuteron. XXXII, 17. Pſ. CVI, 37.

Ad hanc radicem שׁוּד referendum videtur, ſive a *nigredine* nomen acceperint, ut nigri ſint, mali genii, ſive ab his, qui ea adorabant, *domini* appellati ſint, eſt enim ساد et *dominari*, indeque سيّد *dominus*. Forte utrumque verum, quosque idololatrae *dominos*, eosdem Iſraelitae *nigros* vocarunt ignominioſe. Alii ad שָׁדַד *vaſtavit* retulerunt: ſic tamen שַׁדִּים ſcribendum eſſet. LXX δαιμόνια verterunt, hosque ſunt alii ſequuti. Concinit linguae Syriacae uſus, cui ܫܐܕܐ *daemonia* ſunt, et vero ſemper *mala*, nunquam bono aut medio Graeci δαιμόνιον ſignificatu.

2431. שׁוּחַ שִׂיחַ *fluxit.* Thren. III, 20.

In impeditioribus habetur, et varie exponitur, וְתָשִׁיחַ, ſeu, ut eſt in Keri וְתָשׁוֹחַ עָלַי נַפְשִׁי, mutatis punctis quibusdam, ut LXX et Chaldaeo, ad שׁוּחַ referentibus. Arabibus quidem ساح pro سيح eſt, *fluxit*, Syris ܦܫܪ *liquefactus eſt*: hinc expeditiſſime reddes, *diffluit* i. e. *tota in lacrimas effundit ſe ſuper me anima mea.* Simillimam phraſin habemus, ſed ex cognato verbo שָׁחַח, Pſ. XLII, 6. *quid effundis te ſuper me*, i. e. *tota in lacrimas diſſolveris*, *anima mea.* Ad fluendi et tabeſcendi notionem jam retulit, nec tamen de lacrimis, ſed de tabe perpetua accipiens, Vulgata: *memoria memor ero*, *tabeſcet in me anima*

ma mea. Ego vero ſic intelligo: *horum ubi recordor lacrimis diffluit ſuper me anima mea.*

2432. שׂוח, שׂיח *attendere, diligentiam, ſtudium adhibere, religionis cauſſá peregrinationem ſuſcipere.*

Loquendi et confabulandi notio, quam et interpretes et lexica verbo dare ſolent, quibusdam locis egregie apta, ſed reliquis linguis Orientalibus plane ignota: ergo ſuſpecta, licet fatear, eſſe, ubi vix ea carere posſis. Nec aliter de altera ſentio, ex hac orta, *precari*, licet veteres praeierint. Meditandi ſignificationem lubens verbo relinquo, ex ea ortam, de qua jam dicam.

Arabibus شَيَّح in tertia شايح *diligentiam, ſtudium adhibuit,* شَيِّح et شَيْحَان *diligens;* hinc Hebraeis et attentio et meditatio dicta videtur. Geneſ. XXIV, 63. *egreſſus eſt Iſaacus,* ſervi reditum et ſponſam exſpectans, לָשׂוּחַ בַּשָּׂדֶה *ad attendendum in agro, ſuſtulitque oculos, et vidit camelos venientes.* Pſ. CXIX, 15. בפקודיך אשיחה *praeceptis tuis ſtudioſe attendo*, vel, *in illis obſervandis diligens.* Proverb. VI, 22. *te dormientem cuſtodiet, et cum evigilaveris* היא תשיחך *ſtudioſe adhuc tibi attendet*, oculis in te defixis adſtabit. Job. XII, 8. שִׂיחַ לָאָרֶץ *attende ad terram, et docebit te.*

Eſt et, ubi Syriaca verbi ܣܘܚ ſignificatio, *deſideravit, delectatus, gaviſus eſt*, commode locum tueri poſſit, ſed de quibus alios dispicere velim. Unum mirari ſubit, idem verbum quod Syris gaudii eſt et delectationis, apud Hebraeos de querulis perſaepe vocibus poni. Venit aliquando in mentem hanc ſignificationem ab *amaritudine* ductam fuiſſe, eſt enim شِيح *abſinthium:* vereor tamen derivationi.

Arabicum سَيَّح *fluxit*, eſt et, *peregrinari religionis cauſſa*, indeque سَايِح *devotus.* De ejusmodi ſacra peregrinatione in feſto victoriae inſignis cauſſa celebrato poni videtur, Judic. V, 10.

2433. שִׂיחַ *ſtudium pietatis.* Job. XV, 4.

Ex his, quae de verbo dixi, שִׂיחָה לִפְנֵי אֵל Job. XV, 4. erit, ſive, *ſtudium et diligentia coram deo,* ſtudium quo ſolicite allaboramus ipſi pla-

placere, five, *facra peregrinatio coram deo*, hac pro omni cultu dei pofita.

2434. שׂוט *fcutica*, *inundatio*.

Scuticam fine dubio fignificat, ut سَوْط Arabibus: hinc et שׂוט שׁוֹטֵף Jef. XXVIII, 15. *flagellum inundans* vertere folent, praeeunte Vulgata, quae Aquilam hic et Symmachum fequuta eft, μάστυξ κλύζουσα habentes. Phrafis a noftris auribus abhorrens, molefta interpretibus, fed habent fimilem Arabes, صَبَّ عليهم رَبُّكَ سَوْطَ عذاب *effudit fuper eos dominus tuus fcuticam poenae*. Filo tamen orationis vix apta fcutica, quae enim fequuntur, ad inundationem potius veram quam ad fcuticam deducunt. Vide v. 17. 18.

Ergo malim *inundationem*, proprie, *torrentem* interpretari, five a שׂוט Hebraico, *currere* dictum, five ab Aethiopico, *fundere: torrens inundans cum venerit, ad nos non pertinget*. Sic jam Theodotion, κατακλυσμὸς φερόμενος, et de imbre coelitus effufo cogitantes LXX καταιγὶς φερομένη. Eadem *inundationis* notio et his Jobi aptius videtur, אם שׁוט ימית פתאם c. IX, 23. *fi inundatio perimit cito* (vel, perimit fatuos) fcutica enim occidere non folet, citamque mortem inferre, fed cruciare.

Vide et infra de כחל שׁטים Joel IV, 18. dicenda.

2435. שׂום *pofuit*, *impetum fecit*, *finifter fuit*, *niger fuit*, *nigram maculam impofuit*, *aeftimavit*, *attente refpexit*.

Ponendi fignificatio linguae Hebraicae cum utraque Aramaea communis, quae eam fub סָם, ܣܳܡ habet. Poffis et شام pro شيم, *recondidit rem in re*, *gladium in vagina*, huc referre, fed de his etymologicis non jam anquiro.

Occurrit aliquoties, ubi ex nota fignificatione vix locum tueri videtur, mutatis forte vocalibus ad aliam radicem referendum. Vide fcripta fub כשם num. 1664. Poffis quidem Job. XXXIV, 13. יָשִׂימוּ אַף reddere, *thefaurizant iram; thefauros irae colligunt*: nec tamen memini, שׂום de thefauris poni, qui reconduntur.

Eft et in his difficilioribus locis Jef. LXI, 3. perquam enim languet atque otiofe redundat, לָשׂוּם לַאֲבֵלֵי צִיּוֹן *ad ponendum lugentibus Sionis*

(quid-

(quidnam?) *ad dandum illis tiaram pro cinere.* Verteram et ibi, opem laturus, *ad thesauros colligendos filiis Sionis*, sed sine usu linguae: displicere mihi ipsi professus sum in bibliotheca Orientali T. XIV. Supplem. p. 186. aliam lectionem optans. Nullam offerunt codices, unanimes in לָשׂוּם. Res ipsa poscere videtur, לְשַׂמֵּחַ לַאֲבֵלֵי צִיּוֹן *ad exhilarandum lugentes Sionis*, sed est sine teste conjectura critica.

Difficillimus fere locus, Ezech. XXI, 16. (al. 21.) ubi deus gladio, הַשִׂימִי הַשְׂמִילִי, res ipsa enim ipsa poscere videtur, *ad dextram te converte*, cum sequatur, *ad sinistram te converte:* verum nulla linguarum Orientalium verbum hac significatione habet, atque adeo redundaret sententia, jam enim praecesserat, הֵימִינִי *ad dextram te converte.* Omittunt molestum verbum LXX. Vulg. sed vix ausim varietatem lectionis dicere: omittimus enim aliquando interpretes, quae legimus, sed non intelligimus. Syrus vertit, ܐܬܚܣܢܝ sive, *fortiter age,* sive, *persevera:* sic fere Coccejus in lexico, *impetum fac*, nec tamen alio ex usu linguae exemplo prorsus simili allato. In mentem mihi venerat Arabici شام pro شيم, *e vagina eduxit gladium*, bona proditura sententia, *e vagina educitor, convertitor ad sinistrum:* sic tamen non in Hiphil activa conjugatione, sed in passivarum aliqua ponendum fuisset. Locum ergo habere possit, si cum duobus Kennicotti codicibus הַשִׂמִי legas, hasque conjugationis Hophal vocales substernas, הֻשָׂמִי. Arabes, sed Eliph mobili et radicali scriptum habent, شأم *sinistrum latus* significans: quod si huc transferre audeas, הַשִׂימִי idem erit, quod sequens, הַשְׂמִילִי ad sinistram te converte, Aleph radicali utroque in verbo, pro Aramaeorum more, omisso.

Alia difficiliora ex significationibus quae Arabibus sub سام et شام supersunt, expediri posse videntur. Arabibus شام pro شوم, *niger infaustus fuit*, شُوم *niger*, شامة *naevus niger*, (quamquam et aliquando de omni naevo vel macula ponitur, ut de alba leprae Levit. XIII, 2. 10.) أشيم *naevum nigricantem habens:* Chaldaeis שׁוּמָא, Syris ܫܘܡܐ *macula, cicatrix, tumor*, quod ipsum nomen et de indiciis leprae ponitur Levit. XIII, 2. Hinc Job. XXIII, 6. לֹא אַךְ הוּא יָשִׂם בִּי vertes,

tes, five, *certe non ille infaustus erit mihi*, five quod malim, שם ex initio verfus fequentis ad noftrum relato, יְשִׂם שֵׁם *certe non ille ignominiosa me macula notabit*. Notionem infaufti et hoc verbum Arabicum habet, a nigredine, et multo frequentius شام cum Eliph mobili, a *finiftro*: hanc transferre aufus fum ad Num. XXIV, 23. *heu quis falvus evadet* מִשֻּׂמוֹ אֵל *cum infortunium illi parat deus*: eft tamen locus perquam dubius, in quo nihil certi habeo.

Jobi XXIV, 13. fi puncta maforethica fequaris, ואלוה לא ישים תִּפְלָה recte verteris, *Deus non ponit ftultitiam*, i. e. *non imputat tanquam fcelus*: cum Syro fi efferas תְּפִלָּה, poffis referre, five 1) ad Arabicum سوم *rem aeftimare, pretium ejus conftituere, deus non aeftimat preces*, 2) five شيم *refpexit* (e. g. nubem fulminantem, obfervans ubi plueret) deus non refpicit preces. Prius in verfione germanica tentavi, pofterius Reiskius in conjecturis in Jobum.

Ejusdem in capitis verfu 25 mutatis vocalibus legere me malle וְיָשֵׂם לְאַל מִלָּתִי profeffus fum in biblioth. Or. priore T. VIII. p. 200. veterum quoque auctoritates adferens: codices et editiones לְאֵל pro לְאַל habentes addidit de Roffi. Et hoc exponendum ex Arabico سوم, *fed aeftimatur a deo verbum meum*, Deus judex efto, meisque verbis juftum pretium ftatuam. Sic jam Syrus, ܘܢܬܚܫܒ ܩܕܡ ܐܠܗܐ ܡܠܬܝ, ex eoque Arabs وتحسب قدام الله كلمتي.

2436. שֵׁם *macula* Job. XXIII, 7.

Jam n. 2435. monitum, שָׁם, quod Job. XXIII, 7. in initio verfus fuperflue pofitum eft, שֵׁם (macula) legendum, et ad praecedentem verfum referendum videri.

2437. שׁוּף Genef. III, 15. Pf. CXXXIX, 11. Job. IX, 17. *obfervare, infidiari, impetere, explorare*.

Terere, conterere, vertere folent et lexicographi, et commentatores, Hieronymum fequuti, qui in quaeftionibus in Genefin, a LXX et Latina recedens hanc, a magiftro forte arreptam fignificationem verbo

bo primus dedit, Vulgataeque intulit. Postquam enim retulisset, latinam versionem antiquam habere, *ipse servabit caput tuum*, *et tu servabis ejus calcaneum*, (quod totum ex LXX sumtum, expeditissimamque fundit sententiam) addit: *melius habet in Hebraeo*, *ipse conteret caput tuum*, *et tu conteres ejus calcaneum*. Male ille, me judice, licet receptis meliora se daturum profiteatur. Rationes sic sentiendi has habeo.

1) Unde quaeso noverat, sic in Hebraico haberi, verbumque Hebraicum id significare? Argumentum nullum adfert, ne interpretem quidem alium ita vertentem citat: linguis Orientalibus significatio plane ignota! Judaeos sine dubio sequutus est, quaeque magister dixerat vera habebat et explorata, cum magna eorum pars nil nisi conjecturae sint. Apud hos quidem, quos legimus, Rabbinos, reperi: Kimchius in radicum libro, *significant*, inquit, *plagam et contusionem*. (פנינם ענין מכה וכתיתה).

2) Ignorant, ut jam dixi, significationem reliquae linguae Orientales, sola excepta Rabbinochaldaica, sed cujus hic nulla auctoritas, adscifcit enim significationes, quas Rabbini verbis Hebraicis dederunt. Habent, fateor, Arabes شوف *polire*, itemque *ungere*, quod utrumque terendo fit, ac Syri ܫܘܦ *unxit*, verum alia sunt ac diversissima, *terere ungendo vel poliendo*, et, *conterere*, i. e. *comminuere*.

3) Ne primo quidem loco significatio apta: *ipse conteret caput tuum*. Hoc quis in serpente facere audebit, quis pedem imponere capiti, illumque conterere? Vivus serpens statim pedi se circumplicabit, mordebitque; ipsum etiam abscissum caput, mechanismo aliquo et irritabilitate naturali ita ad morsum paratum, ut vel ei pedem nemo admovere nedum imponere audeat. Eminus aut lapidibus impetunt, aut baculo, vel, quod magis in promtu, caput erecti serpentis gladio amputant, intactumque relinquunt.

4) Absurdum pene, quod statim sequitur, *tu conteres ejus calcaneum*. Non sustinuit, Hieronymum hic sequens, suae versioni inserere Lutherus, sed mutavit in, *du wirst ihn in die Fersen stechen*. Raschi שוף hic aliter quam in priore membro vertit, *sufflabis* i. e. *sibilabis ad calcaneum ejus*, ac si שוף jam idem esset, quod, נשף.

5) Plane locum non habet haec significatio Ps. CXXXIX, 11. hoc enim quid est, *caligo conterit me*, *nox est lux circa me?* Ipse ibi aliter Hieronymus, *tenebrae operient me:* sed hoc ipsum, *operire*, linguis Orien-

Orientalibus ignotum, exque somniis Rabbinorum sumtum, qui שוף ex נֶשֶׁף *crepusculum* interpretantur.

Ergo haec mihi versio suspecta, ne tamen injuriam ei faciam, dissimulare nolo, et Syrum ܕܘܫ *conculcare* vertisse.

Multo quidem verisimilius, *observandi*, *insidiandi*, indeque *impetendi* notionem verbo hoc primo in loco dederunt, naturae sane consentanee. Caput serpentis ictu petimus, illi insidiamur, nostris ille calcaneis humi repens insidiatur. Sic quidem praeierant, αὐτός σου τηρήσει τὴν κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν, exque his vetus latina, *ipse servabit caput tuum, et tu servabis ejus calcaneum.* Servare his, observare. In Vulgata etiam ex illis in altero membro remansit, *tu insidiaberis calcaneo ejus.* Onkelos, licet alio sensu, sed tamen servandi significationem tenens, *ille memor erit tibi ejus quod fecisti*, ואת תהי נטר ליה *et tu eris insidians illi usque ad finem.* Recentiores Chaldaei: *homines erunt intendentes et percutientes* (מְכַוְּנִין וּמָחֲיִן) *te in capite tuo, et tu intendes mordebisque illos in calcaneo.* — Concinit et linguae Arabicae usus, cui شوف est, *videre*, et vero attente, indeque in octava, *elato prolatoque capite spectavit.*

Est et de aliorum veterum interpretatione dicendum. Samaritanus קפן, vertit, quod ex Arabico قفن esse videtur *a tergo invadere, in occipite percutere.* Male in Castelli lexico ex consueta Hebraici verbi interpretatione, *conterere*, redditur.

Alii solam sententiae summam exprimunt, neglecta propria verbi significatione. Josephus Ant. I, 1, 4. ὑποθέμενος κατὰ κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγάς, *consilium dabat deus hominibus, ictus in caput serpentis dirigere.* Arabs Pol. *ille franget* (يشدخ) *caput tuum, et tu mordebis eum* (تلدغه) *in calcaneo.* Sic et verbis هشم *fregit*, ac لسع *punxit*, usus, Arabs Erpenii.

Job. IX, 17. בִּשְׂעָרָה יְשׁוּפֵנִי jam erit, *ex procella observat me, impetitque me fulmine.* — Habent tamen hic, ἐκτρίβειν, ut suppetias ferre Hieronymianae versioni videantur.

Pſ. CXXXIX, 11. אַךְ חֹשֶׁךְ יְשׁוּפֵנִי erit, *ipsae tenebrae vident me, observant me*, concinne ad sequens, *nox est lux circa me.* Hic tamen LXX, Hieronymo iterum opitulaturi, *conculcandi* significationem habent,

σκό-

σκότος καταπατήσει με, *tenebrae conculcabunt me*, ſed ita alieno loco, ut nec Hieronymus ſequi eos auderet. Syrus: *tenebrae* ܚܫܘܟܐ ܢܢܗܪ *lucebunt mihi*, ſed vereor, ne ſit error librariorum, verſio enim Antiochena, ex Syriaca facta, habet, تغشاني *caligo obteget me.* Poſſis quidem aliquid Syriacae verſionis ſimile ex verbo efficere, collato شوف *polivit*, *nitentem fulgentem reddidit: ipſae me tenebrae nitere faciunt:* ſed non placet.

Conculcandi notionem, quam aliqui veterum verbo noſtro dederunt, etiam pro שאף Pſ. LVI, 2. 3. LVII, 4. exprimi perquam video unanimiter, a LXX, κατεπάτησέ με, Vulgata, adque adeo Hieronymo, *conculcavit me*, Syro ܫܚܩܢܝ, Chaldaeo שַׁפְיָנִי. Suſpicabar olim, eos ſine Aleph שפני et שפו legiſſe, ſed nulla in codicibus reperta lectionis varietas. Mirum, nulli enim linguarum Orientalium שאף *conculcare*, vel *conterere* ſignificat. Sed hoc indicio fontem inveniſſe mihi videor, ex quo et ſignificatio *conterendi* ac *proculcandi* verbo שוף tributa, fluxit, alliterationem. שְׁפָא et שפף cum Chaldaeis ſit, *conterere*, *comminuere*, hanc notionem, nullius praeter Chaldaicam linguae Orientalis periti Judaei aliique interpretes, verbis quoque שוף et שאף dederunt.

2438. שוק *concupiſcere*, תְּשׁוּקָה *cupiditas*. etc.

Indubia haec verbi nominisque ſignificatio ex Arabico شوق, ſed quo de verbo malim Caſtellum conſuli, multo plura habentem, exemplisque firmantem, quam Golium. Haec modo ejus excerpo: شاق *deſiderio adfecit, concupivit:* in conjugatione 2, *deſiderio accendit*, 5 et 8. *concupivit*, شَوْق *deſiderium*, شايق *deſiderabilis*, *amore percitus*, *rem adpetens:* أَشْوَق *amore flagrans*, مَشُوق *deſiderio adfectus*, *quod amatur*, *concupitur*, مُشْتَاق *percupidus*, تَشَوُّق *fervens deſiderium.* Jam ergo non opus artificioſis etymologiis lexicographorum, a currendo dici cupiditatem volentium.

Sitne שוק et *currere*, quod plerumque ſumunt? linguae reliquae orientales hac notione non habent, potuerit tamen currere a שׁוֹקַיִם *cruribus* denominative dici, ſed ſic ad Arabicum سوق pertinebit, ساق enim,

enim, *crus*, *tibia*. Pro currendo citari video Joel. II, 23. IV, 13. ubi de *torcularibus vinum et oleum effundentibus*, dicitur, והשׁיקו היקבים תירושׁ ויצהר. Indene vero efficies, שׁוק esse, *currere?* quidni potius, *fluere? fluere faciunt*, i. e. *effundunt mustum?* Arabibus ساق pro سوق *propulit*, hinc erit, *propellunt mustum*, i. e. magna copia eructant. Habent et Arabum lexica, sed sine exemplo, in conj. 7. انساق *propulsus est*, *fluxit*.

Est alius perquam difficilis locus, in quo multum adhaesere veteres, Ps. LXV, 10. *respicis terram*, וַתְּשֹׁקְקֶהָ: expedita omnia, si ex hac ipsa, quam Arabes habent, *fluendi* significatione, vertas, *fluere facis illam*, largis imbribus effusis. Veterum non pauci, *rigas illam*, Symmachus, ποτίσεις, Hieron. *rigasti eam*, Chaldaeusque אשׁקיתה, ac fortiore verbo usi LXX ἐμέθυσας αὐτήν *inebriasti eam*. Videri possint ותשׁקיה, sed nullus ita codex: ergone aut mali grammatici alterum ק, neglexerunt? aut conjectura jure usi deleverunt? Mire Syrus ܐܫܠܝܬܗ *tranquillasti eam*.

2439. שׁוּק *platea*, *vicus*, שׁוֹק *crus*,

non ejusdem radicis sunt, quam sub praecedente numero habuimus, sed ad سوق Arabum referenda, hi enim scribunt,

2440. שׁוּר nomen proprium, Genes. XVI, 7. XX, 1. XXV, 18. Exod. XV, 22. 1 Sam. XV, 7. XXVII, 8. Forte, *Pelusium*.

Nomen proprium loci ab Oriente Aegypti, a quo aliquoties memoratum *desertum Schur* nomen accepit. Non dubitans, sed neglectus interpretibus, geographiamque biblicam ornantibus, Josephus: pro his enim, quae 1 Sam. XV, 7. leguntur, בואך שׁור אשׁר על פני מצרים, Antiqu. VI, 7, 2. habet, ἀπὸ Πηλουσίου τῆς Αἰγύπτου. Verisimillima sententia. Pelusium ab Oriente Aegypti, atque adeo cis Nilum. Hinc ingens desertum porrigitur, Asiam ab Aegypto secernens, Gofar (جفار) de quo vide Abulfedae Aegyptum, p. 14. 15. notasque ei adjectas. In hoc quidem deserto sine dubio erravit in Aegyptum fugiens Hagara, Genes. XV, 7. ad illud usque habitarunt seu errarunt Ismaelitae et Amalecitae, Genes. XXV, 18, 1 Sam. XV, 7. XXVII, 8. hujus in deserti, sed Orientem versus continuati, partem escendere Israelitas, e mari rubro egressos oportuit, Exod. XV, 27. Etymon si velis, potuerit Pelusium, pro-

pugna-

pugnaculum Aegypti, שׁוּר *murus* dici, ſed his crepundiis etymologicis in quaeſtione geographica parum delector, incerto, ſitne nomen Hebraicum an Aegyptium.

Onkelos חַגְרָא *Petram* (illam a qua Arabia Petraea nomen accepit) vertere ſolet: parum veriſimiliter, haec enim alio nomine Hebraeis, סלע eſt, nec putem illam deſerti Gofar partem, qua ex Palaeſtina in Aegyptum itur, a Petra, nimis remota, nomen accepiſſe. Suſpicabatur pater meus ex etymologia eum ita vertiſſe, quod حَجْر aliquando Arabibus murus ſit. Saadias, الحجاز حجز vertere ſolet, i. e. *Higazam*, longe exporrectam ad mare Erythraeum Arabiae regionem, in qua et Mecca ſita. Abſurde ſane, ſi ita ſcripſit, ex Palaeſtina enim in Aegyptum fugiens, quis Higazam iter faciat? quis eam, ſatis ab Aegypto remotam deſcribat ut, *ab oriente Aegypti?* Sed puto errorem eſſe librariorum vel editorum reſcribendumque حَجْر quod Petrae nomen Arabicum eſt. Sic idem ſenſerit, quod Onkelos. Sequens الحجار, aut ſi malis hoc quoque corrigere, الحجار quid ſibi velit, ex aliis diſcere malim, quam ipſe prodere.

2441. שׁוּר *proficiſci*, *inſilire*, *impetum facere*.

Sub literis שׁוּר diverſiſſimas coire ſignificationes, ut, *canendi* et *contemplandi*, lexica docent: quas quidem expedire non adgredior, ſed alias addo lexicis neglectas.

سَارَ pro سير eſt, *inceſſit*, *profectus eſt*. Hinc optime expediri poſſe videtur, et filo orationis apte, Jeſ. LVII, 9. וַתָּשֻׁרִי לַמֶּלֶךְ *profecta es ad regem*, unguentis et odoribus delibuta.

Hoſ. XIII, 7. כְּנָמֵר עַל דֶּרֶךְ אָשׁוּר verti quidem, et aliis placuit, Chaldaeusque praeivit, *ut pardus in via inſidiabar;* contemplando et ſpectando pro inſidiando poſito: cum tamen alias שׁוּר de inſidiando poni non meminerim, ſuſpicor, atque jam tum, cum Hoſeam germanice verterem, ſuſpicatus ſum, potius conferendum eſſe, شَوَر *inſilire*, *impetum facere*, a *ſaliendo*, quod ܫܘܪ Syris ſignificat, vertendumque, *ut pardus in via inſiliebam illis.* Inſilire pardorum.

Mirum, *contemplandi* significationem, quam Hebraico verbo nemo negaverit, nullam aliam linguam Orientis habere.

2442. תשורה *viaticum*, *commeatus*. 1 Sam. IX, 7.

Viaticum verto, ex Arabico سار *profectus est*, in octava اِسْتَارَ *de commeatu sibi prospexit*, سِيَرَة *commeatus*, *penus*. תשורה אין *commeatus nullus superest*. Praeivit Syrus, ܙܘܕܐ. Munus vertere solent, nullo usu linguarum Orientalium.

2443. שַׂר *princeps*, *rex*.

Referunt fere ad radicem שׂור, quam vertunt, *principatu fungi*, *principem se gerere*. Equidem dubito, nec tamen nego, a שַׂר, *princeps*, verba denominativa, שׂור et שׂרר, *principem agere*, facta esse: quorum hoc, שׂרר, Num. XVI, 3. inque libro sequioris Hebraismi, Esthérae, c. I, 22. occurrit; illud, שׂור, secundum puncta masorethica, Jud. IX, 22. Jes. XXXII, 1. Proverb. VIII, 16. quamquam punctis demtis וישׂר et וישׂרו ex consveta lectione literarum, (pauci enim codices וישׂררו habent) possit et ad שׂרה referri.

Mihi quidem שׂר, *princeps*, dictus, a שׂרה, *micuit gladio*, *dimicavit*, quod vide infra. Sic proprie erit, *dux bellicus*, quo significatu frequentissime occurrit, ut Jes. XXI, 5. aliisque locis, quorum aliqua enotarunt lexicographi diligentiores. Ex hac lucebunt, Hos. III, 4. ubi שׂר a rege destinguitur, אין מלך ואין שׂר, *non rex*, *non dux*, scilicet regnum adfectans et usurpans, quod illo tempore, in regno Israelitico consvetum, VII, 5. ubi, שׂרים *duces bellici*, regem creant, VIII, 10. ex varia lectione (de qua vide omnino biblioth. Or. T. XVIII. p. 79.) מלך ושׂרים *onera regis et ducum*, 2 Reg. IX, 5. ubi שׂרים duces bellici, et הַשַׂר summus ex illis, imperator. Sumitur deinde etiam latius, sed hoc ex lexicis notum. De rege poni, certo exemplo mihi non constat, Hos. XIII, 10. שׂרים iidem esse videntur, qui שפטים, *summi duces populi*, *regis prope potestate*, quales in libro Judicum habemus: *ubinam est rex tuus? ubinam judices tui? de quibus dixisti*, תנה לי מלך ושׂרים *da mihi regem et duces*. Tempore interregni diuturni fusum videtur vaticinium, cum jam reges, jam duces populo essent, jam utrisque careret.

2444.

2444. הֵשִׂיר *ducem creavit.* Hos. VIII, 4.

Hic non possum non verbum denominativum שׂוּר agnoscere, nec tamen ut LXX, Vulg. Syr. voluerunt, *princeps fuit*, significans, sed, ut recentiores, *principem creavit*. Nec tamen de rege creato intelligo, sed de *duce qui summus magistratus totius populi esset*. Vide vixdum dicta. Duo tamen codices Kennicottiani, unus de Rossii הסירו habent, *amoverunt*, solio deturbarunt modo electum regem.

2445. שׂוֹרָה Jes. XXVIII, 25. num, *oryza?*

שׂוֹרָה recentiores pro adjectivo habent, cum praecedente חִטָּה construendum, atque ad שַׂר relatum vertunt, triticum *princeps* vel *praestantissimum*: possis et *pingue* vertere, a شَرِمَ *pinguis fuit*.

Mihi tamen verisimile, quinque genera frumenti, in Palaestina coli solita, nominari, sicque inter *triticum*, *hordeum*, *milium* (num. 1761.) *zeam*, medio שׂוֹרָה sola relinqui *oryza* videtur. Oryza, consueto Asiae frumento ac cibo, Palaestinam caruisse, non verisimile, cum et palustria habeat, ut circa Merom, oryzae colendo apta, et rivos, quos facile cogas stagnare. Schweiggerus circa Taborem montem, Polschnitzius in Ramae vicinia, oryzam vidit, ut monet Walchius in calendario Palaestinae oeconomico §. 32. 56. Potuerit illa optime a pinguedine (شَرَم) nomen accipere, frumentorum pinguissimum. Sed fateor, nullam orientalium linguarum oryzam sub his literis habere: omnes in nomine consentiunt, qnae peregrina et ex Graeco ὄρυζα orta videri possint, Samaritani ארז vocant, Chaldaei, אורז, Syri ܪܘܙܐ, Arabes أُرُزّ, أَرُزّ, رُنْز, رُزّ, أُرُزّ, أُرْز. Mirum in frumento Asiae domestico, alimentoque quotidiano.

LXX et Syrus omnino non verterunt, utrum non leges? an quod non intelligerent? Possit quidem ex vitiose descripto sequente שְׂעֹרָה ortum esse: verum nullus codex omittit. Vulgata, *ordinem*, vertit, (*ponet triticum per ordinem*) quod a magistro Lyddensi accepisse Hieronymum arbitror, Thalmudicis enim et Rabbinis, שׂוּרָה *linea, ordo, series*. Loco parum apta versio, triticum enim non ordine ponitur plantaturve, sed seritur. De דשורה, *secali*, cujus nomen hic scriptum fuisse suspicari possis, vide num. 516.

2246. שׁוּשׁ *turbavit.* Jef. VIII, 6. X, 13.

شوش Arabibus eſt, *turbavit*, ܫܘܫ Syris Samaritanisque *miſcuit*, *confudit*, ܫܘܫܐ confuſio, permiſtio: hinc mutatis vocalibus וּמְשׂוֹשׂ Jeſ. VIII, 6. *et turbat* limpidam Siloae aquam, pedibus eam proculcans, *cum Reſino*, et X, 13. עתידותים שׁוֹשֵׁתִי *parata ab illis* (conſilia populorum et quidquid contra me pararunt) *turbavi.* Sic fere de turbatis inque fugam conjectis hoſtibus verbum ponitur ab Arabe Erpeniano, Deut. VII, 23. وشوشهم تشويشا عظيما *conturbavit illos conturbatione magna donec intereant.* In vocalium lectione et conſveta interpretatione quid diſpliceat, dictum in bibliotheca Orientali priore T. XIV. pag. 129. 137. Ex his tamen, quae explicationi verbi שׁוֹשֵׁתִי *diripui*, oppoſui, ſcribendum per Samech et ſine Vau fuiſſe, שַׁסִיתִי, aliquid diluitur poſt codicum collationem inſtitutam, VIII enim codices Kennicotti שסיתי habent. Quae in bibliotheca Orientali ſcripſi, non ad hanc lectionem, quam tunc ignorabam, ſed ad conſvetum שושתי referenda.

2247. שׁוּשׁ *obſervavit* (Syr.) Job. VIII, 19.

הן הוא משׂושׂ דרכו Job. VIII, 19. Syrus vertit, *ecce explorat omnes vias ejus.* Significare id literae poſſent, his punctis inſtructae, מְשַׁוֵּשׁ et relatae ad Arabicum, شوس *limis oculis contuitus eſt.* Sed puncta maſorethica, et conſveta verborum interpretatio praeplacent.

2248. שׁוּת *ponere.*

Verbum, ponendi ſignificatione Hebraeis frequentiſſimum, ſed quod reliquis linguis Orientalibus, ſive omnino, ſive hac certe notione, periit.

In pſalmo LXXIII verſu 9 cum Dageſch ſcriptum eſt, שַׁתּוּ *poſuerunt in coelo os ſuum*, pro שָׁתוּ, ac ſi eſſet a radice שתה. Conſuli velim codices, vitioſum enim eſſe ſuſpicor, nec puto vel ipſos maſorethas a ſuis regulis omnes hic nulla cauſſa aberraſſe. Ejusdem in pſalmi verſu 28 ſimile vitoſum Dageſch recurrit in שַׁתִּי cum tono in ultima, *ponere me*: ſed hic putem tono retracto ſcribendum, שַׁתִּי *poſui*, pro שַׁתְּתִּי, Thau tertiae radicalis et adſormativo primae perſonae in unum contractis.

2449. שָׁתוֹת Jes. XIX, 10. Ps. XI, 3. *fundamenta*, *stamina*, *machinae textoriae*, *textrinae*.

Vocabulum bis omnino positum, utrobique hac generis anomalia, ut femininam terminationem habens masculine construatur. Multi in illo veteribus dissensus, recentiores duas inter significationes perquam verisimiles divisi, *fundamenta*, et *stamina*, quarum illa psalmo haec Jesaiae aptior videri possit. Dividenda forte sententia.

1) *Fundamenta* in Ps. XI, 3. vertunt, Aquila, τὰ θεμέλια, Chaldaeus אשיתא. Expeditissima sententia: *fundamenta diruuntur*: potuerintque fundamenta optime a *ponendo*, (שִׁית) nomen habere. Confer et Syriacum ܫܘܬܐ ܫܬܐ *fundamentum*, deque eo dicta in lexico p. 945. Eandem significationem et ad Jesaiae locum transtulit Simonis, nullo veterum praeeunte, et invito filo orationis.

2) *Stamina* vertit Coccejus, loco sane Jesaiae apte, nisi quod verbum מְדֻכָּאִים *contrita sunt*, staminibus non satis convenire videtur. Ergo levicula malim immutatione

3) *textrinam* vertere, sive etiam *machinas textorias*, nec tamen a radice שִׁית, sed ab ܐܫܬܝ, Chaldaicoque שְׁתָא *texuit*, Arabibus أَسْتَى, unde et stamen שְׁתִי Hebraei dicunt. Aptissime filo versus praecedentis pergit Jesaias, שתותיה מדכאים *textrinae Aegypti comminutae in pulverem et dirutae sunt*. Praeivit ex veteribus Chaldaeus, אתר בית שְׁתִי *locus domus texturae*. (Pro שְׁתִי, quod editiones habent, mutatis punctis scripsi שְׁתִי).

Lubueritne jam, et alios audire veterum, paucis admodum in verisimilia consentientibus? In psalmo

4) θεσμοὺς, *leges* interpretabatur Symmachus eumque sequutus Hieronymus, quibus a *ponendo* duci nomen potuerit. Alius graecus, his proximus, sed jam minus favente etymologia, αἱ διδασκαλίαι, sexta editio διαδοχαί, *traditiones* forte intelligens.

5) Pro verbo habentes, atque efferentes הֲשִׁתּוֹת (*quae posuisti*) LXX ἃ σὺ κατηρτίσω καθεῖλον, sicque et Syrus, Vulgata, Arabs uterque: parum verisimiliter, ac ne grammatice quidem, a שִׁית enim non השתותה dicendum fuisset, sed הֲשַׁתָּה.

In Jesaia,

6) LXX οἱ ἐργαζόμενοι αὐτα, seu secundum alios, οἱ διαλογιζόμενοι, quod ex Hebraicis vix exprimi literis posse reor.

7) Ἀποθῆκαι Aquila, ex etymo a שׁית *ponere*, sed obscura sententia. *Apothecas* vel *horrea* vult *humiliari*.

8) *Irrigua ejus*, Vulgata, a שׁתה bibit: *irrigua ejus flaccentia*. Verisimiliora attulisset, si מרכאים vertisset, *pulverulenta* fiunt, a דָּבָא pulvis.

9) Male, sed quem multi sequuti sunt, Vitringa adeo et Clericus, שׁתות idem esse vult, quod רשׁתות *retia*, provocans ad Thalmudicum, שׁותה *rete*. Hoc vero ipsum שׁותה proprie *textum* significat, atque ad rete transfertur, forma crucis textum. Vide Buxtorfii lexicon p. 2542. Hoc ergo ipsum vocabulum si spectemus, quidni potius שׁתותיה texturas Aegypti intelligamus, de quibus antea sermo fuerat, quam retia? Nec, retia recte comminui vel contundi dicas.

2250. שֵׁת Num. XXIV, 17.

Vera si lectio, et hic שׁת *fundamenta*, *bene fundatos* muros intelligo, mutatis vocalibus כל בָּנֵי שֵׁת vertens, *aedificantes firmiter fundatos muros*. Vide bibliothec. Or. novam T. III. p. 243. ubi et ad dubia respondi. Ex consveta punctorum lectione בְּנֵי שֵׁת efficere solent, *omnes filios Sethi*, sicque praeiverunt veteres, atque omnes homines intelligere. Verum hi potius a primo patre communi, Adamo, aut a postremo, Noacho, denominandi fuissent: nec res concinit, David enim, de quo sermo, certe non omnes homines Setho progenitos domuit aut evertit.

Mirum quid hic aliqui tentarint, ut, *filios podicis*, quod Moabitas obverso podice idolum suum coluisse fingunt. Hillerus a שׁתה *bibit*, *filios ebrii*, i. e. Loti, qui ebrius Moabum genuit.

Conjeceram aliquando בני חרשׁת legendum, quod cur jam damnem in bibliotheca Orientali dictum.

2251. שׁוּר *torsit filum vel funem*.

Indubia significatio, quam lexica habent, non veterum solum auctoritate, sed et ex usu linguarum Orientalium. Habent, non Chaldaei solum,

ſolum, aliquando ſuſpecti, ſed et Samaritani, quorum in verſione Num. XIX, 15. pro פתיל ponitur. Arabibus شتر *contorſit* e. g. oculos ad dextram et ſiniſtram, nec modo, ut lexica habent, *irati more*, ſed et alias ob cauſſas: Arabs 2 Reg. IV, 35. وشتر الصبي بعينيه *contorſit puer oculos ſuos*, — *poſtea oculos aperuit.* Idem شتر *dextrorſum et ſiniſtrorſum convertit manum*, peculiariter, *in torquendo fune vel filo*, indeque in conjug. 2 et 4. *ita contorſit funem.* Hinc et factum, ut שש משזר Exod. XXVI, 1. eodem verbo redderet Saadias, عشر مشجور, Mauro aliis verbis eandem ſententiam reddente, كتان مفتول.

2452. שחה, השתחוה (Prov. II, 18.)

שָׁחָה *humi procubuit*, et frequentiſſimum Hebraeis השתחוה *adoravit*, i. e. *in genua procumbens frontem humi poſuit*, hac ſignificatione non habent reliquae linguae Orientales. Videtur verbum cognatum eſſe ſequenti (num. 2454) שָׁחַח, ut ſaepe verba duas radicales communes habentia ſignificatu conveniunt.

Prov. II, 18. שָׁחָה tonum ſecundum puncta in penultima habens, atque ad radicem ſive שוח ſive שחח referendum, ſine dubio vitioſum: generis enim foret feminini, nomine בית maſculinum exigente. Ergo שָׁחָה cum tono in ultima ſcribendum. Vulgata, *inclinata eſt ad mortem domus ejus*, ſicque et Graecus aliquis, ἔκυψε. Eſt tamen obſcuriuſculum, de domo poſitum. Auſus ſum in verſione germanica, *ihr Haus hat Fallthüren zum Tode*, collato Arabico شكو *apertus fuit*, *hiavit*, unde شَكْوٌ *puteus:* ſic quidem bona prodit ſive adeo illuſtris ſententia, nec tamen niſi tentamen. Video jam veteres laboraſſe ac mutaſſe lectionem, nihil enim tale habent codices, Syrus in שכחה, *oblita eſt liminis domus ſuae*, LXX cum ſequace Arabe, שָׁתָה, ἔθετο παρὰ τῷ θανάτῳ τὸν οἶκον αὐτῆς.

2453. שחה *lavit*, *natavit*. Pſ. VI, 7. Jeſ. XXV, 11.

Male in lexicis ſola natandi notione poni ſolet. Eſt Syriacum ܣܚܐ, primo, *lavare*, deinde et natare, cujus exempla collecta vide

in Schaafii lexico Syriaco. Habent iisdem significationibus Chaldaei atque Samaritani. Est ergo dialecti Aramaeae. Jes. 25, 11. sine dubio natandi significatione ponitur: at Ps. VI, 7. noli vertere, *natare facio lectum meum lacrimis*, quae est αὔξησις justo audacior, sed, *lavo*, i. e. rigo. Sic quidem LXX βρέξω Vulg. et Hieron. *rigabo*, Syrus ܐܣܚܐ exque eo Arabs Antiochenus أَبُلُّ *perfundo*. Solus fortiore verbo usus Chaldaeus, אטמש *mergo*. *Ineptam* versionem, (sic eam vocat) notavit jam neglectus fere omnibus Castellus.

2454. שָׁחַח, *effudit*, *effusus est*, *humi cubuit*, *confusum et tristem sonum edidit*.

Verbum ex prima notione, lexicographis plerisque neglecta, est idem quod سَحَّ *effudit*, et intransitive, *effusus est*, *defluxit*, peculiariter etiam de lacrimis effusis poni solitum, unde سَحَّاحَةٌ, *manans lacrimis oculus*. Syri habent sub ܦܫܫ, quod in Castelli lexico, sed sine exemplo positum, vertitur, *liquefactus est*. Hac prima significatione occurrit Ps. XLII, 6. מה תשתוחחי עלי נפשי *quid super me effundis te, anima mea*; i. e. tota in lacrimas dissolveris.

Hinc deinde est, *in terram defluere*, *humi effusum jacere*, *humiliari*, quae lexica *sub deprimi* habere solent, quod addunt, *incurvari*, nec exemplo Hebraico certo, nec usu linguarum orientalium firmatur. *Effundi* potest et esse, *labi*, sic LXX Proverb. XIV, 19. שחו רעים לפני טובים verterunt, ὀλισθήσουσι κακοὶ ἔναντι ἀγαθῶν, quo tamen loco malim *humiliandi* significatione accipere, *humiles sunt mali coram bonis*.

Jes. XXIX, 4. מעפר תשח אמרתך vertunt fere, *humilis erit ex pulvere sermo tuus*. Verbum cum proprie sit, *effundi*, constructio cum מ parum apta videtur; quamquam fateor, aliquando in constructione rationem etymologiae non haberi. Aliter tamen veteres. LXX εἰς τὴν γῆν οἱ λόγοι σου δύσονται, bono sensu, *in terram defluent verba tua*, *humiliter loqueris vultu ad terram converso*, sed scribendum fuisset, בעפר quod nullus codex habet. Vulgata, *de humo audietur eloquium tuum*, sicque et ex alia versione Syrus, ܘܢܫܡܥܘܢ ܡܠܝܟ, uterque paraphrastice, solam sententiam exprimens.

Syrus,

Syrus, ܢܨܘܨܘܢ *grunnient*, vel *pipient verba sua*, Chaldaeusque יְצַפְצְפָן *pipientia erunt verba tua*. Apta loco et constructioni sententia; et quodammodo immutatae versioni suppetias fert Arabicum شخشخ *obscurum et confusum sonum edidit*, شخشاخ *corvus multum crocitans*, شخشخة *garritus avis*. Vide Castelli lex. Arabicum. Sequutus sum in versione germanica.

2455. שחל *leo*.

Unum ex multis leonis nominibus esse, dubio caret. Bochartus, quem deinde multi sequuti, Hierozoici T. I. p. 717. *nigrum leonem* interpretatus est, a שחר *niger fuit*. Displicent etymologiae ex literarum permutationibus, maxime his, quae parum usitatae sunt; nulli certe linguarum orientalium שחר nigredinem significat. Etymon si quaeratur, offeret potius سحل *limavit*, *laevigavit*, unde مسحل et *lima* et *lingua*. Nempe ut felium ita et leonum (quae animalia ejusdem classis sunt) lingua limae instar est, seu, ut loquitur Linneus, *retrorsum aculeata*. Simonis in lexico leonem dictum vult a سحل *rugiit*: verum hoc verbum Arabicum unde habet? Vereor ne ex Castello, qui nullo addito exemplo, p. 2502. "3) سحل *sonum in pectore reciprocavit asinus*. G." quibus ex verbis ruditum quidem asinorum, et vero omnium turpissimum effeceris, non rugitum leonum.

2456. שְׁחֵלֶת *unguis aromaticus*. Exod. XXX, 34.

Satis unanimiter reddunt LXX ὄνυχα, Vulgata *unguem*, Syrus ܛܦܪܐ Chald. טוּפְרָא, i. e. *unguem*. Est *unguis aromaticus*, proprie spuma, qua aliqua conchylia se induunt. De hac *ungula aromatica* vide omnino Scheuchzerum, plura de ea daturum, in physica sacra §. 798. *Ungulam* et Hebraicum nomen proprie significare arbitror, eamque dictam a سحل *laevigavit*. Bochartus, aliter sentiens, quae habet, excerpsit Simonis, ad quem ablego.

2457. שחין *ulcus*.

Ulcus sine dubio significat, sunt autem duo ulcerum genera distinguenda, maxime ne in derivatione erretur, volunt enim ulcus dictum a

سخن, ܫܚܢ *caluit*, ob urentes dolores. Hoc quidem non negaverim, ubi de ulcere dolorifico ſermo, ut bubone peſtilentiali Jeſ. XXXVIII, 21. At pleruınque inque libris antiquiſſimis de ulceribus leprae et elephantiaſis ponitur, ut Jobi II, 1. Deuteron. XXVIII, 27. שחין מצרים (elephantiaſis morbus Aegypto pene proprius, Plinius lib. XXVI, §. 5. Lucretius VI, 112) v. 35. שחין רע על הברכים והשקים, quas partes corporis, genua et crura, maxime adficit. Vide morbum ſeu ulcus Jobi copioſius deſcriptum in introductione ad vetus Teſtamentum §. 10. Eodem et retulerim שחין *ulcus* nigrum colore in Aegyptiorum magis efflorescens, Exod. IX, 9. Jam cum et elephas et omnino lepra ſine omni dolore ſit, putem potius, שחין de ea in Moſe et Jobo obvium a سحن *fricare*, in initio enim elephantiaſis intolerabilis perſentiſcitur prurigo, ut a fricando abſtinere manus et ungues nemo poſſit. Vide Jobi II, 7. 8. et Aretaeum Cappadocem p. 70. B. Haec ergo prima vis vocabuli, deinde et ad alia ulcera translati, quibus derivatio ab urente dolore apta.

שחיס et שחים quaere ſub סחיס et סחים

2458. שחץ *adparitio*, בן שחץ *ſpectrum*. Job. XXVIII, 8. *adſpectus* Job. XLI, 26.

Bis omnino occurrit, utrobique cum בני *filii* conſtructum, בני שחץ. Non habent radicem ejusve derivata lingua Syriaca, nec Samaritana: nomen שחץ et שחצן offert lingua Chaldaica et Rabbinica, ſed vel hanc ob cauſſam ſuſpectae auctoritatis, quod reliquae dialecti Aramaei ignorant, videnturque Rabbini ex ſua horum ipſorum Jobi commatum interpretatione adſciviſſe. Ita varie verterunt veteres, ut facile agnoſcas, eos de ignoto vocabulo non niſi conjeciſſe, nec id mirum, cum linguae Arabicae, ex qua ſola aliquid lucis, omnes ignari eſſent. En in vocabulo bis obvio divergia. — Job. XXVIII, 8.

1) Theodotion, ex quo LXX interpolati, *υἱοὶ ἀλαζόνων*, inque capite 41. Vulgata, *filii ſuperbiae*. Huc et referendus videtur Theodotion, in capite 41, *υἱοὺς βαναυσίας* vertens, *filios arrogantiae*, quo de vocabulo vide Bielii lexicon. Conſueta eſt Rabbinorum interpretatio, quam et in libro radicum habet Kimchius, exemploque linguae Thalmudicae firmat. Haec ex reliquis veriſimillima explicatio, شخص enim inter alia eſt, *ſuſtulit ſe*, *per ſuperiora latus fuit*, (volando) unde ſuperbia dici potuerit:

uſu

usu tamen linguae Arabicae *superbia* non firmatur, nec apta est capiti XXVIII.

2) Vulgata, a se jam ipsa dissentiens, *filii institorum.* Mera conjectura, ac ne satis quidem filo reliqui versus apta.

3) Syrus, ܚܝ̈ܘܬܐ, *ferae.* Conjectura.

4) Chald. *filii leonum.* Sumtum ex recentiore lingua Chaldaica Rabbinorum, cui שחץ Ps. XVII, 12. pro כפיר ponitur, sed a scriptore infimae aetatis. Solent Rabbini septem leonis numerare nomina, quae inter sit שחל et שחץ: sed usu reliquarum linguarum Orientis destituitur. Suppetias ferre conatus est Schultensius, a شخص *apertis oculis fuit*, dictum leonem putat, quod noctu videat praedam. Hoc quidem verum, noctu visu pollet, verum oculos non habet apertos, sed potius interdiu ad lucem contrahit.

In capite XLI,

5) LXX πάντα τὰ ἐν τῷ ὕδατι, eodemque prope redit

6) Syrus, ܪ̈ܚܫܐ quod alias pro שרץ, *animalibus in aqua viventibus* ponere solet. Opinabar olim eos שרץ legisse, inque versione germanica sequutus eram. Sed nullus ita codex, conjecerunt ergo, ut reliqui omnes. Abdico.

7) Chaldaeus, בני כורי, quod vertunt, *filii piscium:* dubia vocabuli Chaldaici significatio atque adeo lectio, alii enim habent, *filios* טורי *montium.*

8) Symmachus, παντὸς βρωμώδους, *rex omnis foetidi*, alienissime a filo orationis: sed alii habent, δρομώδους. Hoc quid est? num a δρόμος, *cursus?* Arabibus شخص frequenter, abire.

Ex sola Arabia obscuro vocabulo lux exspectanda, eamque offert, sed mirum aliis, qui hujus linguae erant peritissimi, non observatam. Arabibus شخص, verbum perquam frequens, plures significationes habet, ex quibus has solas enoto, Jobi lectoribus scitu necessarias:

1) *apertis*, ut lexica Arabica vertunt, *oculis intensius fixusque fuit visus.* Ponitur et de attento adspectu, et de admirabundo, fere ut nos in lingua vulgari dicimus, *die Augen aufsperren.* Corani Sur. XXI, 97. (de resurrectione mortuorum sermo) *et cum hoc eveniet* شَاخِصَةٌ الْأَبْصَار

الأَبْصَار *attoniti spectabunt oculi eorum, qui non crediderunt.* Levit. XXVI. 16. morbi, מכלות עינים *diuturna exspectatione consumentes vel excoecantes oculos,* sunt Arabi (male ibi in Polyglottis latine reddito) ما يشخص عيونكم *qui intenso adspectu ex exspectatione excruciant oculos vestros.* Deuteron. XXVIII, 32. *filii filiaeque dabuntur populo alii, oculique tui videbunt,* וכלות אליהם, Arabice شاخصان اليهم *anxie prospectantes ad illos.* Ps. CXLV, 15. 2 Paral. XX, 12. عَيْنُنَا اليك شاخصة *oculi nostri ad te respiciunt.*

2) Hinc et est, *adparere* (intransitive, *attente et cum admiratione observari,*) ponitur que, *de morte sub humana imagine adparente,* in fabula Locmanni XIX, de idolo, cultori suo per somnum *apparente,* fab. XVI.

Jam בני שחץ Job. XXVIII, 8. erunt, sive 1) *filii attenti visus,* i. e. *oculatissimi, omnia attentis oculis observantes et explorantes,* (nec tamen homines, non institores, hominibus enim metalla reperire solitis opponuntur, sed animalia): sive 2) *filii adparitionis,* i. e. *spectra.* Posterius praefero, quod fabula, et vero ex Oriente ad nos perlata, spectra fingit propria metalli fodinis, quae hos thesauros, Stygiis umbris reconditos, investigant, servant, custodiunt, aliis monstrant, alios accessu prohibent. Fabula antiqua, quam ipsa natura partu exclusit, in ambagibus et cavernis umbrosis montium spectra nobis videre videmur. Non haec spectra metalla investigarunt, sed homo.

Job. XLI, 26. בני שחץ *miracula* erunt *naturae, quae stupentes intuemur:* horum rex, i. e. primus, crocodilus.

Haec postquam scripsi, video, eadem duce Arabica lingua בני שחץ, *filios adparitionis* vel *figurae,* etiam esse posse, *species animalium figura et conformatione corporis diversas.* Deut. XIV, 7. 12. هذه الأَشخاص *has species* (quadrupedum et avium) *non comedetis,* item, *spectabilia, magno corpore praedita,* ex شخيص *corpulentus, magna mole.* Nimia copia probabilium laboramus interpretationum.

2459.

2459. שחקים *nubes (tenuiores).*

Proprie esse videntur, quae Arabibus مَسَاحِيقُ السماء (*tenuia coeli*) dicuntur, *tenuiores nubium partes*. Sic proprie poni, et ab aliis nubibus distingui videntur Ps. XVIII, 12. עבי שחקים. Gravi tempestate oritura saepe videas, sub aliis crassioribus nubibus tenuiores ire, atque adeo saepe contrario cursu ferri, hinc fulmina erumpere, atque deinde totum coelum in imbres subsidere. Nubes nubibus impositas diceres. Latius tamen et pro omni nube ponitur.

2460. שַׁחַר *crepusculum.* בן שחר *stella crepusculo conspicua.*

שַׁחַר *Auroram* vertunt, nec hanc vocabulo latius accepto significationem negaverim, proprie tamen *crepusculum* esse videtur, cum matutinum, tum et vespertinum, a nigredine, in quam illucescere incipiens dies adhuc vergit, nomen habens. Sic idem erit Arabico سَحَر *antelucanum tempus* (e. g. Joh. XX, 1. ubi Maria Magdalena venit ad sepulcrum اسْحَرًا cum tenebrae adhuc essent). Hinc verbum in conjugatione octava, *summo diluculo cecinit gallus*, inque quinta *primo diluculo seu paulo ante sumsit cibum*, talisque cibus, quem jejunantibus per diem Arabibus non nisi caliginis tempore sumere licet, سَحُور. Mirum, in re tam manifesta aberrare lexica et interpretes potuisse. Sed jam videamus loca eandem vocabuli interpretationem suadentia seu potius cogentia.

Joel II, 2. de agmine locustarum, solem obscurante, et caliginem inducente: *dies nubis et caliginis*, כשחר פרש על ההרים *ut crepusculum* (vespertinum) *expansum super montes*. Auroram hic quis ferat, ubi caligo et umbra describitur. Mirum tamen, omnes eam interpretes habere. Proverb. VII, 15. adultera, cum caligare inciperet egressa (v. 9) juveni: *egressa sum* לשחר פניך *ad te crepusculo*, vel, *obscura jam nocte quaerendum*. Jes. XLVII, 11. רעה לא תידעי שחרה melius certe vertes, *malum cujus crepusculum non nosti*, nox quae subito nullo praecedente crepusculo ingruit, quam, *cujus non nosti auroram*. Quamquam de hoc loco verisimiliora sub numero sequente dabo. Mirum, quod confinxerunt, Luciferum Jes. XIV, 17. בן שחר *filium Aurorae* dici, cum ante ortum Aurorae coeli statione exeat. Melius sane LXX ἑωσφόρος ὁ πρωὶ

 ἀνα-

ἀνατελλων, est enim *πρωΐ*, *mane, tenebrarum tempus, crepusculi initium.* Verum omnino nolim Jesaiam de stella matutina Veneris intelligere, quae filia potius quam filius, nec decidere de coelo sed expallescere diceretur. (p. 540.) Mihi *filius crepusculi* potius est, stella primae aut secundae magnitudinis, crepusculi tempore adhuc in coelo conspicua, his quae quintae, quartae, tertiae magnitudinis sunt, sensim disparentibus.

2461. שַׁחַר *fascinus, praestigiae*, שָׁחַר *magicis artibus et incantationibus abegit* Jes. VIII, 20. XLVII, 11.

A nigredine, quam verbum שחר Hebraeis, Chaldaeis, Syris, سحر Arabibus significat, *praestigiis et magicis artibus*, noctis tempore et beneficio tenebrarum exerceri solitis, nomen duxerunt Arabes, سَحَرَ *fascinavit, incantavit, decepit*, سِحْر *fascinus, incantatio, omne quo quis decipitur*, سَاحِر et سَحَّار *fascinator, incantator.* Nomen adeo ab Arabibus ad Europaeos transiit, *schwarze Kunst.* Hinc plures recentiorum, quibus et nos accedimus, Jes. VII, 20. explicant: *verbum*, אשׁר אין לו שׁחר, *in quo nullae sunt praestigiae, fraudis expers.* Consvetae explicationi, *nulla ei erit aurora*, plura obstant, quae forte singula aliqua dilui arte possint, sed junctim sumta eam valde reddunt suspectam: 1) quod להם *illis*, non לו ei dicendum fuisset 2) quod אשׁר redundat, in quo expediendo valde laboratur, 3) quod שחר non tam aurora est lucida, quam crepusculum nigricans adhuc.

Sic et accipio, si, ut punctorum auctores voluerunt, nomen est, Jes. XLVII, 11. *malum*, אשׁר לא תדעי שַׁחְרָהּ *cujus incantationem non nosti*, i. e. *contra quod nullam incantationem nosti.* Obsequens tamen כַּפְּרָהּ, malim et hic verbum habere, שַׁחֲרָהּ, (sic non pauci codices) *malum, quod nullis praestigiis incantationibusve averruncare poteris.*

2462. שיחור, שיחור מצרים, *Nilus*, שיחור לבנת Jos. XIX, 26. *Belus.*

שיחור *nigrum fluvium* Jerem. II, 18. atque alibi, Nilum esse non dubito, cui, quod turbidus limo fluit, et Graeci nomen *μέλας* indiderunt. Jes. XXIII, 3. per יאר, quod sine dubio Nili nomen, explicari in

in altero versus membro videtur. Nec obstat, quod Jos. XIII, 5. in finibus Palaestinae describendis, ad eum usque exporrectis, locus ei adsignatur לפני מצרים *ante Aegyptum*, vel, ut alii volunt, *ab oriente Aegypti*, vide enim, quae de נחל מצרים pag. 1626. scripsimus.

שיחור לבנת Jos. XIX, 26. Belus mihi esse videtur, *Niger vel Luteus vitri* dictus, quod, ut verbis Plinii utar, libr. XXXVI. §. 65. *limosus fluit* (ut Nilus) *nec, nisi refuso mari arenas fatetur, quae fluctibus volutatae nitescunt, detritis sordibus.* Quibus ex arenis cum vitrum factitatum, cognomine, לבנת, vitri, a cognomine Aegypti (שיחור מצרים 1 Paral. XIII, 5) fluvio distinguitur. Copiosius haec disputata in *historia vitri apud Hebraeos*, quae in Tomo IV. commentariorum Soc. Scient. Goettingensis ad annum 1754 legitur, et germanice versa in Hamburgischen Magazin Tom. XXI. Ipsa certe nos Carmeli montis vicinia ad Belum, ex eo orientem, deducit.

2463. שחת *corruptus fuit, corrupit.*
Etiam de *aerugine* ponitur.

In transitivis conjugationibus Piel et Hiphil frequentissimum verbum, *corrumpendi* significatione, in Kal non occurrit, sed concipiendum esset forma semipassiva, שָׁחַת *corruptus est.* Proprie de corruptione i. e. putrefactione corporum, resolutione in pulverem ponitur, deinde et ad corruptionem moralem, atque omnia infortunia quibus perdimur, transfertur. Habent Chaldaei, Syri, Samaritani, (sed his rarius est, Aethiopes: itemque sub سحت *perdidit*, سُحْت *nefas*, Arabes. Ergo de significatione non dubitandum.

Apud Syros peculiariter de *corruptione metallorum, aerugine* ponitur, e. g. Jacob. V, 3. ubi pro Graeco κατίωται ponitur, et ab Arabe Erpenii صديا *aeruginem contraxerunt*, redditur. Sic accipiendum et Jerem. VI, 28. videtur, ubi cum praecessisset aeris et ferri mentio, pergitur כלם מַשְׁחִיתִים המה *omnes aeruginem contrahunt:* (omnes ferrum et aes sunt, et vero aeruginosum.) Nec opposueris explicationi transitivam conjugationem Hiphil, in loco enim, quem vixdum citavi, epistolae Jacobi, ܐܫܚܬ in Aphel est, *aeruginem contraxit.*

2464. משחית *aerugo.* Jef. LIV, 16.

Ex eadem notione accipiendum משחית videtur, ubi cum praecesfiffet, *creavi fabrum, exfufflantem carbones, et fabricantem* fcil. arma hoftium, pergitur, ואנכי בראתי משחית לחבל, *atque ego creavi aeruginem ad illa corrumpenda,* verfuque fequente, *arma, quae contra te formantur, inutilia erunt.*

מִשְׁחָת Malach. I, 14. invenies fub מ num. 1475. p. 1564.

2465. שטח *expandit.*

Certa fignificatio, ac confenfu linguarum Chaldaicae, Syriacae, Aethiopicae, atque Arabicae fub سطح, firmata. Videas ergo, et interpretes Orientales perfaepe hoc ipfum verbum in vertendo retinere, ut Num. XI, 32. Chaldaeum, Syrum, Arabem Polyglottum, (alter, Erpenianus habet, فرشوهم) LXX hoc loco et paffim alibi ἔψυξαν aeri *expofuerunt,* (expanderunt, ut äere exficcarentur, Vulg. ficcaverunt) quod ut perquam felix ac pene proprium enoto, cum videam, Jerem. VIII, 2. ubi LXX de offibus humanis, humi ftratis et foli expofitis habent, ψύξουσιν αὐτοῦ, Hexapla Syriacum hoc ipfum verbum ܢܫܛܚܘܢ reddidiffe.

Adnotare et liceat ad hunc ipfum Jeremiae locum, ubi offa humana humi proftrata, expandi foli lunae et fideribus dicuntur, ufum Arabum, quibus سطح eft *humi proftravit.* In lexicis cum fine exemplo ponatur, exemplum addo: 1 Cor. X, 5. κατεστρώθησαν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ab Arabe vertitur, انسطحوا في القفر.

Schultenfius ad Job. XII, 23. שטח לגוים, quod in meliorem partem accipiens vertit, *expandit gentes,* i. e. terram commodis amplisque fedibus habitandam gentibus concedit, putat, dubitari de interpretatione hujus loci non potuiffe, fi Arabica phrafis, سطح الله الارض, idem fignificans, quam ex Geuhari citat, in mentem veniffet. Fateor, et hanc explicationem in meliorem partem locum habere poffe, fed nec altera, ipfa quoque ufu Arabum ut dixi, firmata, repudianda. LXX hic eodem verbo ufi, quod Arabes per سطح reddunt: καταστρωννύων ἔθνη. Poffis verfum vertere, fuccinente linguarum Orientalium ufu

1) pro-

1) *prosternit* (humiliat) *gentes*, *et poenitet ipsum*: eas in integrum restituit, (וַיִּנָּחֵם)

2) *dilatat gentium fines*, *et poenitet ipsum*

3) *dilatat gentium fines*, *et ducit illas*.

Ipse quam praeferre ausim dubito.

2466. נחל שׂטים Joel IV, 18.

נַחַל הַשִּׁטִּים Joel IV, 18. i. e. ut puncta volunt, *vallis Sittim*, quam fons ex templo egrediens rigat, vix potest illa trans Jordanem esse, quae Num. XXV, 1. Jos. II, 1. III, 1. ut statio Israelitarum memoratur: monstrum fictionis pöeticae, vallis trans Jordanem et mare mortuum, templi fonte rigata. Puncta si vera sunt, malim vallem ignorare, quam tale monstrum confingere. Sed putem ea mutanda esse, הַשְׁטָּים *vallis torrentium*, ut sit, vallis Hierosolymam inter et mare mortuum media, in quam pluvio anni tempore Kidron aliique torrentes effunduntur. Vide notas germanicas ad Joelem.

LXX χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων verterunt, sicque et Mich. VI, 5. מִשִּׁטִּים ἀπὸ τῶν σχοίνων, qua de versione, sed dubius, atque a se ipso dissentiens, copiosius disputat Hieronymus. Ad Joelis locum, *LXX*, inquit, *transtulerunt torrentem funiculorum*, i. e. σχοίνων, *quod aut funiculos significat, aut juxta Aegyptios*, *mensuram certi itineris*, quo de mensurae nomine deinde copiosius disputat. Ad Micham vult, σχοίνων esse errorem librariorum, graecum interpretem σχίνους, *lentiscos*, scripsisse. Mihi verisimilius, σχοίνους illis non funiculos esse, sed *juncum*, ex prima nominis significatione, eosque *vallem palustrem*, *junci plenam*, intellexisse.

2467. שָׂטַם.

Odit, *infestus*, *adversarius fuit*, vertere solent, satis verisimiliter: sed destituunt nos in hoc verbo linguae Orientales, nihil hujus significationis habentes. Quaeri possit, sitne idem cum שָׂטַן cui eaedem fere significationes tribui solent, ut plura trilitera duabus radicalibus convenientia, idem significant, ex radice bilitera antiquioris linguae orta? Venit et in mentem Arabicum شمت *laetari alienis malis*, *contumelia adficere*, *adcusare*, *calumniari* conferre, levicula literarum ת et ט permutatione, cujus

P 3 exem-

exempla, praeter citata in Castelli lexico Arabico, vide in Arabe Erpeniano Ephes. V, 4. nostraque chrestomathia Arabica, p. 30. 103. 104. Sed in incertis versamur, ubi literarum permutationibus utendum.

2468. מַשְׂטֵמָה Hos. IX, 7. 8.

Infestum, *invisum*, *odiosum*, recentiores fere intelligunt, satis verisimiliter, praeivitque ex veteribus Aquila, ἐγκότησις, quo de vocabulo Hieronymus in commentario, *quod nos vel iracundiam, vel memoriam doloris latine possumus dicere.* At alii ita dissident, ut facile intelligas, de significatione vocabuli rarioris parum eos certi habuisse, aut habere nos posse. LXX vertunt, μανία, exque his Vulgata, *amentia*, et v. 8. *insania*, alius graecus, ἔκστασις, quo nomine hic *furorem* et *amentiam* intelligo. Proximus his Syrus, ܡܣܪܚܘܬܐ *lasciviam* vertens, est enim ܡܣܪܚܢܐ *freneticus in amore.* Hi quidem ad שטה *aberravit*, et *insanivit*, *scortatus est*, retulisse, et amentiam seu scortationem spiritualem, idololatriam, intellexisse videntur. Equidem in versione germanica, *laqueum*, *decipulam* vertere ausus sum, favente contextu, a ܣܛܡ *ligavit.* Non persvasurus sententiam lectoribus, refero, ipse enim adhuc dubito, sed rationem redditurus, quo linguarum indicio ad decipulam devenerim, cum in vertendo omittere vocabulum non possem. Chaldaeus idem sensisse videri possit, תַקְלָא v. 8. vertens, sed et possit vocabulum de eo posuisse, quod offensioni est, provocat iracundiam.

2469. שָׂטָן *adversarius, adcusator.*

Etiam in hoc nomine, et verbo a quo derivatur, destituunt nos linguae Orientales. Id quidem certum, שָׂטָן *hostem*, *adversarium*, aliquando et *adcusatorem* esse: ut nomen proprium Satanae in vetere Hebraismo nuspiam occurrit, in Jobi enim libro הַשָּׂטָן ob He articuli nomen proprium esse nequit. At ex lingua Judaeorum post reditum ab exsilio reliquae linguae orientales et hoc mali genii nomen et proprium habent, cujus derivata ac verba denominativa primitivam vim obscurarunt. Distinguamus hic linguarum Orientalium duo secula, vetus et recentius.

2470. שָׁטַף *festinavit.* Jerem. VIII, 6.

Inundandi significatio certa et indubia, sed ab hac verbum Thalmudicis et est, *festinare.* Vide Buxtorfii lexicon, habebisque exempla. Hac significatione poni jam in vetere Hebraismo videtur Jerem. VIII, 6. כסוס שוטף למלחמה *ut equus festinans ad bellum,* citato impetu ruens in aciem, itemque Jes. X, 22. Vulgata quidem utramque significationem in vertendo conjunxit, Dan. XI, 10. *properans et inundans,* quamquam huic loco sola sufficere inundandi videtur.

2471. שֶׁטֶף *festinatio.* Dan. IX, 26.

Vide *Versuch über die 70 Wochen Daniels* p. 203-205.

2472. שׁוֹטֵר *scriba, (tabularum genealogicarum.)*

שׁוֹטֵר, nomen muneris, saepius occurrens, nec a Mose instituti, sed jam Exod. V, 10. 14. in Aegypto memorati, *scribam* significat, a سطر *scripsit:* sicque hoc ipso loco LXX γραμματέας, Syrusque ܣܦܪ̈ܐ verterunt. Israelitis cum pensa distribuant, haecque ab ipsis scribis poscantur, vapulantibus ubi persoluta non sunt, putem scribas fuisse tabulis genealogicis praefectos, quorum et erat in Aegypto pensa operarum in singula capita distribuere. Plura de illis vide in jure Mosaico T. I. §. 51. 2 Paral. XXVI, 11. milites conscripti Uzziae duobus scribis subsunt, quorum alter סופר vocatur, alter שׁוטר, forte ille persona militaris, hic civilis. (Jus Mos. T. III. §. 176.)

Habemus et in Arabum lexicis, مُسَطِّر *conscribens, scriba,* سَيْطَر, cum على constructum, *praefuit rei ut inspector,* مُسَيْطِر *praefectus,* et *inspector, commentariensis, qui adnotat quodcumque ad rem curandam et gerendam spectat,* ex quibus, si penitius ea nossemus, forte aliquid lucis Hebraico nomini, sed sunt sine exemplis posita, ex solis lexicis, non ex auctoribus Arabicis nota.

Miro errore non pauca lexica jam inde a Reuchliniano, in quo aliquid ejusmodi reperio, *lictores* habent: parum sane apte locis Hebraici codicis in quibus ut nomen honorificentissimi muneris ponitur.

2473. מִשְׁטָר Job. XXXVIII, 33.

Ex Arabici verbi ſignificatione, de qua vixdum dictum, erunt, *leges coelo ſcriptae, ad quam aſtra currunt*, quas nos *aſtronomiam* dicimus. ܢܡܘܣܐ *legem* Syrus vertit, ex eoque Arabs. *Tune in terra poteris leges ſcribere, ad quas aſtra curſus ſuos ac motus moderentur?*

2474. שִׂיחַ Prov. XXIII, 29. *volutatio in coeno.*

Inter ea, quae ebrietatem conſequuntur, numeratur et שִׂיחַ, quo de vocabulo variae fuerunt interpretum ſententiae. Mihi a سوخ *immerſus fuit in lutum*, تسوّخ *incidit in lutum*, eſſe videtur, *volutatio in luto.*

2475. שִׁין plural. שׁינים *urina*, 2 Reg. XVIII, 27. Jeſ. XXXIV, 12.

Conferendum Syriaco ܫܢ *minxit*, ܫܝܢܐ (quod ipſum pluralis eſt numeri) urina. Alii volunt eſſe Arabicum شين *deturpavit*: non obſtrepo, dubito tamen, ex linguarum enim orientalium analogia, *mingere*, quod Syri ſub ܫ habent, ſcribendum fuiſſet ثون vel ثين, quibus ſub verbis nihil ejusmodi Arabica lingua ſervavit.

2476. שַׁיִשׁ *marmor.* 1 Paral. XXIX, 2. (Thren. III, 5.)

Sic quidem vertunt LXX, et Vulgata, ſed addito cognomine *Parii* marmoris et praeſtantiſſimi, itemque Chaldaeus, מרמירא: omiſerunt in vertendo Syrus et Arabs. Habent et Syri ܫܝܫܐ, *marmor.* Nomen accepiſſe putem *a vermibus petrefactis, (oſtraciis,)* quos ſaepe natura marmori illuſit, سيس *curculionibus laboravit frumentum.*

Legiſſe et Thren. III, 5. Origenes videtur, in Hexaplis enim habet ſub LXX nomine, ἀνῳκοδόμησε κατ᾽ ἐμοῦ ἐν μυρμύρῳ quod Hebraice foret, בנה עלי בשׁישׁ. Placeret lectio, ſi loco ראשׁ ſubſtitui שׁישׁ poſſit, *aedificavit circa me murum ex marmore, et circumvallavit me infortunio*: ſed a codicibus eam Hebraicis quos habemus omnibus deſtitui video.

2477. מִשְׁכָּב.

De שכב, *effundere*, et שכבת זרע *effusio seminis*, quae dicenda habebam, occupata video a Simonis. Ergo de solo מִשְׁכָּב, *cubile*, moneo, poni, 1) *de cubili sepulcri*, Jes. LVII, 2. 2) de morbis, quos Syri simillima phrasi ܡܫܟܒܬܐ ܕܟܘܪܗܢܐ vocant, Ps. XLI, 4. 3) de cubili in quo amici aut consiliarii consident, *Divan*, Arabum, Ps. IV, 5. XXXVI, 5. CIL, 5.

2478. מַשְׂכִּית *imago, figura, etiam hieroglyphica.*

Locus classicus in philologia est Ezech. VIII, 12. ubi conclave arcanum, adytum, cujus parietibus more Aegyptio illusae imagines quadrupedum reptiliumque erant, חדר משכית dicitur. Jam et אבן משכית Levit. XXVI, 1. esse videbitur, *lapis cui figurae hieroglyphicae insculptae*, quibus lapidibus, religioso etiam honore cultis, ac TOT dictis, arcana scholae sacerdotalis inscribebant, plebis oculis erepta. Vide plura in jure Mosaico §. 250.

2479. שֶׂכְוִי Job. XXXVIII, 36. *oculus?*

Ἄπαξ λεγόμενον perquam incertae significationis, in quo jam veteres dissenserunt. *Ποικιλτικὴν ἐπιστήμην*, *variegandi*, *acupingendi artificium* LXX verterunt, a figuris quas lino acus illudit ita dictum: Syrus et Arabs, ܚܙܘܐ, نَظَر *visionem*, ex Aramaeo, סְכָא, ܣܟܐ *contemplatus est*, *vidit attentius:* Symmachus, *μεμωρασμένον stultum*, nescio unde? et qua sententia? Putabatne stultum per antiphrasin a videndo dictum? putabatne, quae vel in hunc diem superstitio late per Asiam regnat, furiosos a deo agi, ac plura sanis nosse? Hieronymus in Vulgata, *gallum*, ex Rabbinorum solita interpretatione, contra quam copiosius disputat Bochartus in Hierozoici Parte II. libr. I. c. 16. pag. 114. 115. Posset quidem, *quis dedit gallo intelligentiam*, bonam fundere sententiam, si de prudentia tempestates praenuntiandi, horasque noctis indicandi accipias: sed linguarum orientalium nulla nomen hac significatione habet, ac ne probabilem quidem offerunt etymologiam: Bochartus, quem plures sequuti, *cor*, Schultensius aliorum diversas explicationes larga manu adferens, *phaenomenum* interpretatur.

Licueritne et mihi conjecturam tentare? סכוי plur. constr. סכויי Samaritanis est *oculus*, ab adspiciendo ita dictus, Num. XI, 6. Deut. XXXIV,

XXXIV, 12. Haec quidem ſignificatio bene locum in his tuebitur, *quis poſuit in occulto ſapientiam, deditque oculo prudentiam?* Animus hominis, ſapiens et rationalis, in occulto latet, ſed per oculos tanquam pellucet, ingenii indices atque, ut ita dicam, proditores.

2480. (שכך et שכך) שׂך, vel שׂך Jerem. V, 26.
palus in ferrum acutum deſinens, cui infigunt ſe accipitres &c.

כְּשַׁךְ יְקוּשִׁים referunt fere lexica, Kimchium ſequuta, ad radicem שׂכך ſubſedit, vertuntque, *ut ſubſidere inſidioſe ſolent aucupes:* parum veriſimiliter. שׁכך, ut ex ipſis lexicis disces, de ſubſidente aqua vel ira Hebraei ponunt, non de ſubſidendo in inſidiis: reliquis linguis orientalibus ſubſidendi ſignificatione plane ignotum. Mihi quidem per שׂ ſcribendum, ſpinasque et aculeos denotare videtur, ut שִׂכִּים et שְׂכוֹת Num. XXXIII, 15. Job. XL, 31. a شَكَّ *transfixit*, unde et شَكْشَكَة *arma acuta.* Palus eſt acutus, ferro munitus, in quem ſe volucres rapaces ipſae infigunt, columbam ſub eo poſitam capturae, nobis, *Habichtsſtoſs.* Deſcripſi aucupis et venatoris verbis in notis ad Jeremiam.

Pro nomine et habuerunt, ſed paulo aliter vertentes, Aquila et Symmachus, *δίκτυον, rete,* Syrus ܣܟܝܢܐ, dubia mihi vocabuli Syriaci hoc in loco ſignificatione.

2481. אֶשְׁכֹּל Deut. XXXII, 32.

אשכלות מרורות *botros venenatos*, botros ſolani eſſe puto. Vide ſcripta pag. 2222.

2482. שׂכל *ligavit, transverſim poſuit manus et brachia, pulcher, ſuperbus adſpectu fuit.*

Receptis in lexica ſignificationibus has addere et illuſtrare lubet.

1) Geneſ. XLVIII, 14. שִׂכֵּל אֶת יָדָיו rei ipſi aptiſſime LXX verterunt, ſive ἐναλλὰξ (ἐπέβαλε) τὰς χεῖρας, *transverſim impoſuit manus,* ſive ex alia lectione, eadem ſententia, ἐναλλάξας τὰς χεῖρας, *permutans manus.* Eſt Arabibus شَكَلَ *ligavit*, ligare brachia erit, quod Jacobum hic feciſſe legimus, transverſim brachia in crucis formam ponere. Eſt et شِكَالٌ *funis quo cameli vel equi pedes plerumque tres transverſim*
col-

colligantur. Aliorum explicationes 1) *prudens*, vel 2) ſtolide, i. e. *imprudens* impoſuit manus, non attingo.

2) Idem verbum Arabicum et de ſuperba ponitur ac faſtoſa pulchritudine, شكل *decenti habitu et adſpectu ac faſtoſa tanquam gratia fuit mulier*, شَكْل *faſtoſa gratia adſpectus geſtusque puellae.* Egregie locum habere poſſe videtur Proverb. XVII, 8. ubi de munere, pulcrae gemmae comparato, dicitur בכל אשר יפנה ישכיל *quocumque ſe vertit pulcrum eſt*, vel, ut nos forte eloqui mallemus, *ſplendet*, *micat*, et Jeſ. LII, 13. ubi pro ישכיל עבדי in ſequente membro ponitur, ירום וְנִשָּׂא וגבה מאד. Neminem tamen video praeiviſſe, ergo adhuc diffido, licet in verſione germanica, ut pulcherrimum ac loco utrique aptiſſimum tentaverim.

2483. מַשְׂכִּיל *carmen? ligata oratio?*

Nomen in XIII pſalmorum titulis lectum, quod vertere ſolent, *carmen didascalicum.* Primus quidem illo inſignis, XXXII, carmen didascalicum vel erudiens recte dici poſſit, ſed aliis non aeque aptum. LXX nonnumquam συνετῶς vertere ſolent, Syrus Pſ. XLVII, 8. ܡܫܒܚܢܐ *hymnum.*

Licetne conjecturam promere? Eſtne ab eodem, quod vixdum memoravimus, شكل *ligavit*, *ligata oratio*, *carmen?* Genericum poematis nomen forte ex uſu ad certum aliquod poematum genus reſtrictum.

2484. שָׁכַן *quievit*, *vicinus fuit.*

Addo ſignificationes lexicographis praetermiſſas 1) *quieſcere*, *quietum eſſe*, ut arab. سَكَن. Job. XXIX, 25. quietus, tranquillus eram, ut rex turma ſua ſtipatus. Nah. III, 48. ubi יִשְׁכְּנוּ idem eſt quod in praecedenti membro נָמוּ, quieſcunt principes tui. 2) *vicinus fuit*, derivata ſignificatione ab adjectivo שָׁכֵן. Prov. VIII, 12. שָׁכַנְתִּי עָרְמָה vicina ſum prudentiae.

2485. שֵׁכָר *Cereviſia* Jeſ. XIX, 10.

Sic pro שָׂכָר legerunt LXX. docte et rerum aegyptiacarum perite ζῦθον vertentes, quos ſequitur Syrus. ζῦθον potum fuiſſe ex frugibus con-

 fec-

fectum, Aegypto, vino carenti, usitatum, notum ex Diodoro L. I. c. 20. 34. Herodoto II. c. 77. et Hieronymo ad h. l. Jesaiae. cf. auctores Bielio laudatos in Lexico voc. ζυθος, et vel nunc in Aegypto frequens potus e frugibus Buza بوزة dictus. Quare hanc interpretationem meam facio, ut huic loco, qui opificiorum interitum per partes describit, convenientissimam.

Jam etiam locis mosaicis quae שֵׁכָר et יַיִן conjungunt, ut Lev. X, 9. Num. VI, 3. cerevisiam cogitandam esse vix dubium, quid enim veri similius quam Mosen a potu inebriante interdicturum populo in Aegypto cerevisiae adsueto, hanc sub שֵׁכָר intellexisse. Accedit quod ita intellexerunt Rabbini. cf. Buxtorf. Lex. Rabbin. h. v.

2486. שׁכת siluit, tacuit.

ad hanc radicem fortasse referendum השכתי Num. XVII, 20. his punctis animandum הִשְׁכַּתִּי *conticescere faciam*, cf. Bibl. Or. nova T. III, 232. Habet idem verbum arabica lingua, سكت *conticuit*, *obmutuit*.

2487. מְשֻׁלָּבֹת Exod. XXVI, 17. XXXVII, 22.

Vox difficilior, cum derivatione tum sensu.

Retinuerunt aliqui ex antiquis, quos utinam satis intelligeremus. Chald. מְשַׁלְּבִין חַד לָקֳבֵל חד, Arabs Erpenii مسلوبات واحده مع صاحبتها. Quin suspicor sic et legendum in Polyglottis, mutatis punctis diariticis, pro مُلَسَّنَانِ. Verum quid est Arabibus in re fabrorum lignariorum مسلوب?

LXX verterunt, *ἀντιπίπτοντες* (parallel) *ἕτερον τῷ ἑτέρῳ*, sic et Syrus: ܐܙܕܘܝܢ ܚܕܐ ܠܘܩܒܠ ܚܕܐ.

At Vulgata, *quibus tabula alteri tabulae connectatur*. Conjungendi certe significationem שְׁלַב apud Chaldaeos habet, unde שְׁלָבִין dicuntur *ligna transversa in scala*. Facilis etiam et bona sententia, quam habet Vulgata, sed cui obstant Hebraica verba, אשה אל אחותה. Ergo non alteri tabulae hi cardines connectebant tabulam, *sed duo cardines secum conjuncti erant*. Asser, קרע, generis masculini, unde ad illum per-

pertinere nequit אשה et אחותה. Denique cardines erant ſub aſſeribus, inque ארכים inſerti, licet id diſſimulet Hieronymus.

Verba equidem melius vertere nequeo, quam, *conjuncti ſecum invicem*, ita ut unus cardo fuerit alteri commiſſus.

2488. שלב 1 Reg. VII, 28. *gradus*.

Semel occurrit שלבים aeque obſcurum vocabulum, ac verbum מְשֻׁלָּבוֹת de quo modo. Magna hic in vertendo veterum varietas. 1) Chaldaeus retinuit שליביא quod Chaldaeis *gradus ſcalae, ligna transverſa* ſignificat, *per quae gradimur ſurſum*, q. d. juncturas a שָׁלַב *cohaeſit*, שַׁלֵּב *conjunxit*, hoc ſenſu quidem verbum שלב in Exodo occurrere videtur, retentum, ut monui, ab Arabe Epenii; alias enim haec corjungendi ſignificatio in Lexicis Arabum non memoratur, niſi quod ad ligna transverſa ſcalae partem utramque conjungentia referri poſſit سِلْب *longa haſta*.

Eodem forte et redit Vulgata quae *juncturas* reddit, itemque Syrus ܣܘܼܡܵܩܐ i. *loqueos* vertens. Sed de Syro nil auſim aſſerere, cum Arabem, nimis hic diſſidentem ei comparare vix detur.

Mihi quidem *gradus* noſtro loco eximie apti viderentur; ad lavacra enim, quorum baſes trium cubitorum altitudinem habebant, gradibus ſine dubio adſcendendum fuit. Gradus etiam habet Raſchi ſed paulo obſcurius explicans: *ſcalae erant ab inferiore ad ſuperiorem clauſuram. Exiſtimo autem quod* השלבים *fuerint gradus ſcalae* (כמין שליבות סלם) *facti ad inſtar baculorum aeneorum et ſuſpenſi ſuper clauſuras. Inferior clauſura duos aut tres habebat; erant autem inter unumquemque baculum clauſurae infixae a gradu ad gradum.*

2) LXX *ἀνὰ μέσον τῶν ἐξεχομένων*, qua obſcura voce *eminentias* neſcio quas innuere voluiſſe videntur. Joſephus in deſcriptione templi pleraque ex LXX petens, ejus loco *columellas* habet, *κιονισκους* Ant. VIII. 3. 6. *τέσσαρες ἦσαν κιονίσκοι κατὰ γωνίαν ἐξώτες τετράγωνοι* — Sed columellas עמודים dicturus fuiſſe videtur ſcriptor, nec adparet quo fine circumpoſitae ſint aut quid ſuſtinuerint. Denique nulla linguarum oriental. vel etymon columnae ſub rad. שלב habet.

Ergo prius praefero. Caeterum de obscurissima radice ex Syriasmo haec enoto: ܦܠܚܬܐ *anfractus*, *vallecula inter duos montes*, (forte a cohaesione dicta, quod montes jungit (?)) ܦܫܠܚܐ *cauda avium*.

2489. שילה Gen. 49, 10.

De hoc copiose dictum in Bibl. Or. T. IX. p. 216-28, quae non opus hic repetere.

2490. שלני vel potius שֵׁלָנִי.

Patronymicum, a שֵׁלָה filio Judae ductum Neh. XI, 5. 1 Chron. IX, 5. cf. Num. XXVI, 20. distinguendum a שילוני *Silunticus*, ab urbe Silo deducto. Memini et alibi hoc significatu legere sed loci non recordor.

2491. שִׁלְיָה Deut. XXVIII, 57. *secundina*.

Radix שלה Chaldaeis significat *secare*, hinc secundina dicta, quam foetus rumpit et secat. Arabibus سَلًى est secundina, cf. Gol. p. 1207. Habet quoque nomen Syriasmus, v. Ephraemi opera T. I. p. 116 ubi dicitur terra initio ab omni parte aquis tecta fuisse, ܕܡܟܣܝܐ ܗܘܬ ܒܡܝܐ ܐܝܟ ܥܘܠܐ ܕܟܪܝܟ ܒܫܠܝܬܐ ܒܓܘ ܟܪܣܐ ܕܐܡܗ: *ut infans secundina involutus est in utero matris*. — Male ergo Houbigantius et Kennicottus lectionem mutare tentabant, quod nullum sit hujus significationis vestigium.

2492. שלח *exsuere*, *nudare*.

Haec significatio, lexicographis omissa, apud Arabes frequens, quibus سَلَخَ est *deglubit*, *detraxit pellem ovis*, *exsuit*, in pluribus etiam derivatis obvia; vid. Golium p. 1198. Idem significat Chaldaeis et Syris שלח vid. Lex. Syriac. In libris hebraicis huc spectant formulae שָׁלַח יָדוֹ *exsuit s. nudavit manum suam*, quam quomodo *mittere* aliquis dici possit, vix video. Porro שִׁלְּחוּ הָעִיר בָּאֵשׁ *nudaverunt urbem igne*, ignem urbi subjecerunt donec funditus conflagraret nudaque modo area relinqueretur, v. c. Jud. V, 8. et מְשֻׁלָּח Jes. XXVII, 10. *nudatum*, nempe aedificiis, nuda urbis area pascuis cessura. Adde Job. XXX, 11. Obad. 13.

2493.

2493. שֶׁלַח.

Quam vulgo tribuunt huic voci *missilis* significatio, non omnibus locis apta, quibus potius ex modo allato radicis significatu *telum* omnino, aut *gladium nudatum* notare videtur, v. c. Neh. IV, 11. 2 Chr. XXIII, 10. XXXII, 5. Praeiverunt jam LXX. ὅπλα vertentes. Arabibus quoque سِلَاحٌ *gladius* est ab exsuendo et nudando dictus. Etiam בְּשַׁלְחָהּ Jes. XXVII, 8. hoc sensu sumebat Kimchius רצית לריב אתה ולשפטה בשלחה ובחרבה. *Voluisti contendere cum illa (Hierosol.) et punire illam gladio ipsius proprio.*

Joel II, 8. בְּעַד הַשֶּׁלַח יִפֹּלוּ ולא יבצעו verto: *per tela cadunt nec tamen ordines abrumpunt* (locustae), servandorum ordinum studio in mortem ruunt. Quam sententiam egregie illustrant quae de locustarum repentium pertinacia narrat Shawius T. I. p. 257. vide et quae Hieronymus αυτοπτης in commentario scripsit. — Proxime ad haec accedunt LXX. ἐν τοῖς βέλεσιν αὐτῶν πεσοῦνται καὶ ὀ μὴ συντελεσθῶσιν. Reliqui veterum valde diversi. Chald. לְאתר דְּאִינּוּן שְׁלחין קטלין ולא נסבין ממון *quocunque missi sunt occidunt, nec pecuniam (lytrum) accipiunt.* Nempe שׁלח de *missione* accepit, יפלו transitive, *cadere faciunt* et בצע de *lucro* interpretans. Syrus: ܥܡ ܡܘܡܪܐ ܢܦܠܘܢ ܘܡܕܡ ܠܐ ܢܫܡܠܘܢ ܠܗܘܢ *gravati armis cadent nec quidquam perficient.* Legitne ובעל השלח. Absurda sententia de locustis! [Hausta haec esse videntur ex iis quae in versione Alexandrina praecedunt, καταβαρυνομενοι εν τοις ὅπλοις αὐτῶν πορεύσονται, quae fortasse sunt alia versio ejusdem commatis ····ובעד השלח, in prima voce בעד fortasse de أون *onere* cogitante interprete.]

Omnium maxime mire Vulg. *per fenestras cadunt et non demoliuntur.* Nec aliter legit, sed שלח fenestras interpretatus est Hieronymus, in Commentario enim, p. 1349: *LXX* inquit, *transtulerunt:* aggravati in armis suis ibunt et in jaculis cadent et non consumentur, *quod nequaquam mihi videtur expositionis ordini convenire, sed in eo errorem esse generatum, quia* SALA *verbum hebraicum illi* jacula, *nos* fenestras *intellеximus.* At vero qui potest fenestras significare? quo, non jure, sed errore ita vertit? Nihil ejusmodi in linguis orientalibus reperi.

2494.

2494. שִׁלֹחַ *Siloah, fons Hierosolymis.* Jes. VIII, 6. Neh. III, 15.

Fontem Siloam sic describit Hieronymus: *Siloae autem fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis sed incertis horis diebusque ebulliat, et per terrarum concava et antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos praesertim qui in hac habitamus provincia*, quae descriptio mire illustrat Jesaiae verba את מי השלח ההלכים לאט. Est enim אט (cum ל praefixo) ab أطّ sonum edidit, gemuit, murmur edidit, adeoque h. l. *murmur cadentis aquae* indicat. Rei summam expresserunt veteres LXX ἡσυχῇ. Syr. ܒܫܠܝܐ Vulg. *quae vadunt cum silentio*, nulla facta murmuris mentione. Schulzius quidem in *Leitungen des Höchsten* T. V. p. 137. rivum fontis Siloae ut placidum describit, sine ullo murmure labentem; cf. Bibl. Or. T. X. p. 72. Verum is semel tantum locum adiit, nec ipsum fontem, sed rivum vidit.

Ad hunc fontem quoque spectare puto Neh. III, 15. בְּרֵכַת הַשֶּׁלַח mutatis punctis הַשִּׁלֹחַ, piscina Siloah, ut jam legit Vulgata. Cum recepta lectione faciunt LXX vertentes των κωδιων i. e. *pellium*, a سلخ *excoriare*, sic foret *der Gerber-Teich*. Piscina Siloam omnino praeferenda, quippe cujus aquis horti regii rigabantur.

2495. שַׁלֶּכֶת Jes. VI, 13.

Recentiores fere intelligunt *silvam caeduam* a שלך projecit, in qua *truncus* (מצבת) relinquatur. Nemo tamen, quod me valde dubium facit, veterum ita, sed 1) LXX ὅταν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς θήκης αὐτῆς, legentes forte per מ, מִשַּׁלֶּכֶת (quod tamen nullus codex Kennicotti habet), ac sequens vocabulum מִצַּבְתָּם, tanquam ex *testudine sua* a צָב Num. VII, 3. vel מִצְּבָתָם a צֶבֶת *fasciculus* Ruth II, 16. Consentit illis Syrus.

2) Vulgata: *quae expandit ramos suos*. Haec quoque per מ habuit מִשַּׁלֶּכֶת. Cur autem מַצֶּבֶת, quod in versus fine reddit: *quod steterit in ea*, hic *ramos* reddat, ignoro.

3) Chaldaeus בְּמִסַּר טַרְפּוֹהִי defluxum ramorum ipsius.

His lectis, eo fere propendeo, ut שַׁלֶּכֶת sit *cum glandes excidunt, ex quibus nova arbor succrescet, glans decidua.* De מַצֶּבֶת cf. supra n. 1626.

2496. שִׁלּוּם *retributio.*

Secundum puncta quidem masorethica nuspiam occurrit, ea enim qui adjecerunt, semper שָׁלוֹם, *pacem*, habent: pro quo tamen Zachar. VIII, 13. שִׁלּוּם vel שִׁלֻּם *retributio*, a שִׁלֵּם *rependit*, ex filo orationis legendum videtur Zach. VIII, 16. וּמִשְׁפַּט שִׁלּוּם שִׁפְטוּ בְּשַׁעֲרֵיכֶם, *et judicium retributionis* (i. e. justum, aequa mensura retribuens) *judicate in portis vestris:* inconcinna enim phrasis, quam puncta fundunt, *judicium pacis judicare.* Ex hoc loco significatione literis asserta, proclive erit, et Job. XXV, 2, efferre, עֹשֶׂה שִׁלּוּם בִּמְרוֹמָיו *retributionem facit*, i. e. justa judicia habet, suum cuique retribuens, *in excelsis suis:* itemque Ps. LXIX, 23. וּלְשִׁלּוּמִים *inque retributionem* mensa illorum illis fiat laqueus. Praeiverunt adeo hoc loco veteres, LXX. εἰς ἀνταπόδοσιν, Symmachus εἰς τιμωρίαν, Vulgata, et Hieronymus, *in retributiones;* Syrus, ܦܘܪܥܢܗܘܢ: solo dissentiente Chaldaeo, sed qui, ut in 22 codicibus invenit Kennicott, sine Vau ולשלמים legisse videtur, idque de שְׁלָמִים sacrificiis salutaribus intellexit.

Notissimum omnibus, atque idemtidem recurrens nomen שָׁלוֹם, fecit, ut punctatoribus in mentem non veniret, his quidem paucis locis nomen aliter pronuntiandum et ad conjugationem Piel referendum esse, ad quam nomen proprium שַׁלּוּם, multis illud Sallumis commune, retulerunt. Vide de eo Simonis onomasticon p. 267.

2497. שַׁלְמָא I Par. II, 51. 54.

Fortasse nomen *Kenitarum* ut apud Chaldaeos. Videntur ita vocati soceri Mosis posteri, quasi *pacifici*, foederati Israelitarum.

2497. b שָׁלֵף *Salapeni.*

Vid. Spicileg. Geogr. Hebr. ext. T. II. 154.

2498. שְׁלִישִׁיָּה furor Jes. XV, 5. Jer. XLVIII, 34.

Obscurissima verba עֶגְלַת שְׁלִישִׁיָּה cum propter explicationis ambiguitatem, tum quod neutra earum expedit, cur עֶגְלַת sit in statu con-

ſtructo poſitum. Sed de hac voce vide quae ſupra dixi N. 1816. nunc de שלישיה agendum.

Quidam ut partem nominis proprii praecedentis צֹעַר accipiunt. Volunt nempe Judaei Soarae antiquae nomen *Saliſa* fuiſſe. Hieronymus ad Geneſ. XIX, 30.: *Reſpondebimus veram eſſe illam Hebraeorum conjecturam de* Segor, *quod frequenter terrae motu ſubruta*, Bale *primum et poſtea* Saliſa *dicta fuerit*. Itemque: *quod tertio motu proſtrata fuit*. Suſpicatur quidem Clericus, ſeu potius confidenter dicit (eſt enim confidentior criticus, quam ſuſpicacior) ex hoc ipſo loco confictum eſſe. Caeterum ſic quidem ſatisfactum eſſet nomini שלישה *tertia*, nempe quod poſt duas everſiones tertia reſurrexiſſet: at quid faciemus nomini עֶגְלַת? quid literae י poſt ש? quid denique loco Jeremiae, haec cum Choronaim conjungenti?

Paulo aliter Ephraem Syrus, Soaram vult eſſe *tertiam* Moabitidis *partem:* ſed eadem obſtant.

Nec tamen ideo prorſus repudianda haec explicatio, quae עגלת שלישיה nomen proprium aut ejus partem facit. Poſſunt enim nomina ignotarum urbium trans Jordanem eſſe, (de עגלת vide ſupra); aut Soara, fortaſſe interior Moabitidis urbs, addito ש״ע ab alia Soara ad extremitatem maris mortui diſtincta. Quanquam obſtat parallelismus Jer. XLVIII, 34. ubi poſt חרנים non poſt צוער haec verba leguntur. LXX ibi (C. XXXI, 34) ſine dubio ut nomen proprium ſeparatum acceperunt: *και αγγελια Σαλισια* vel ſecundum Complutenſ. Εγγελα Σελισια, quae Syr. Hexapl. vertit ܘܓܠܝܐ ܐܠܝܣܝܐ, *αγγελια* pro voce graeca habens, et *Σαλισια* detruncans omiſſo Σ. Syri verſio e pluribus interpretationibus coaluiſſe videtur.

Alii adpellative accipiunt: LXX et Arabs, *δαμαλις γαρ εςι τριετης*. Hoc vero quid eſt? ob Moabitidem quis clamet quia vitula triennis eſt? et quid hoc, *vitulam triennem eſſe*, de populo dictum ſignificat? Melius Bochartus clamorem fugientium *mugitui vaccae adultae* comparari putat, ac recte monet (ex Ariſtotele ille, ego vero auribus credo) in bobus feminae vocem ſonantiorem quam maris eſſe. Nec tamen vel ſic expeditur ſtatus conſtructus.

Multo veriſimilius vocem שלישיה illuſtravit Car. Aurivillius in diſſ. in Jeſ. XV. ex arab. سَلِسَ *furere*, *inſanire*, unde ſubſtantivum

שלישיה, ut sit: *vitula dementiae*, h. e. *furens*, scil. oestro percita. Possis etiam ob pluralem praecedentem legere: עגלת שלישיה ut *vaccae furibundae*, ab oestro in furorem actae. Tum omnia plana (etiam Jeremiae loco) et ratio etiam reddita status constructi. Illustrat imaginem egregius locus Virgil. Georg. III. 147-151. cf. Bibl. Or. nov. T. I. 163. et quae de oestro ex veteribus collegit Bochartus T. II. L. IV. C. 14. passim tamen erronea.

2499. מְשֻׁלָּשׁ Gen. XV, 9.

Vulgo arietem *trimum* intelligunt, praeeunte jam antiquissimo interprete Alexandrino. Mihi quidem, comparanti versum 10, potius videtur esse: *in tres partes divisus*, nempe in duas dimidias, resecto capite; praesertim cum hoc suadeat forma vocis et verbi שִׁלֵּשׁ significatio.

2500. שָׁלִשִׁים 1 Sam. XVIII, 6.

Mihi videntur esse *triangularia instrumenta*, qualia vel nunc in musica, quam turcicam dicunt, in usu esse novimus, illae virginibus aptae et fere eodem modo pulsantur quo Adufae. Fortasse veterum κυμβαλα et צלצלין ad haec ipsa referri triangula possint. *Trichordia* sunt conjectura Clerici. Etiam illis utuntur orientales. Vid. Niebuhr *Reisebeschr.* T. I. p. 177. et Tab. XXVI. sed praeplacet triangulum, quod ipsum esse possit psalterium, hoc enim saepe est triangulare. vid. Hasselquist. p. 102.

2501. שֵׁם signum, monumentum.

Haec significatio indubia videtur 2 Sam. VIII, 13. וַיַּעַשׂ דָּוִד שֵׁם *et constituit sibi monumentum Davides*, quamquam nullus ita veterum exprimat. Idem manifesto est quod יָד 1 Sam. XV, 12. 2 Sam. XVIII, 18.

2502. בִּשְׁמַד, הִשְׁמִיד.

De significatione in genere satis conveniunt Lexicographi, de etymo non item. Arabibus سمد plerumque de superbia ponitur, estque (primarie ut arbitror) *altus fuit*, *sustulit caput*, unde dein superbiam dicunt; hinc Hebraeis השמיד *tollere* pro, *perdere*, *exitio dare*. Eadem in latino verbo *tollere* significationum conjunctio, ut cum Octavium Cicero ornandum *tollendumque* censuit.

2503. שמח

Saepe Mosi ponitur de *epulis sacrificialibus* v. c. Deut. XII, 6. quo etiam referendum esse videtur Jes. LVI, 7. *exhilarabo eos in sanctuario meo.* Ps. LXVIII, 4. וישמחו LXX. εὐφρανθήτωσαν, inde Vulg. *epulentur.*

2504. שמט 2 Sam. VI, 6. 1 Chr. XIII, 9.

Obscurius verbum, quia hac significatione et contextu non recurrit. LXX vertunt περιέσπασεν. Vulg. *recalcitrabant et declinaverunt eam.* Syrus idem verbum retinens scripsit ܐܫܬܡܛܘ ܠܗ ܬܘܪܐ, hoc quid sit incertum; Alias v. c. Deut. XIX, 5. ܐܫܬܡܛ est *cum ferrum a ligno securis solvitur.* Mihi ergo probabile: *boves solvebantur*, jugo excusso, unde periculum ut subverteretur arca.

2505. שמם *silere, obmutescere.*

Addo significationem conjugationibus transitivis prope indubiam, Job. XVI, 7. Ez. III, 15. Ezr. IX, 3. 4. ducta illa a *rigendo* quam vim inesse arabico سَمَّ docuit Schultensius ad Prov. XXII, 28.

שוממה Jes. LIV, 1. num *vetula*, uxor, *abdicata?* coll. arab. ثَمَّ conj. IV. *consenuit*, unde ثَمَّة *senex.* (Obstat tamen 2 Sam. XIII, 20.)

2506. בֶּן שֶׁמֶן Jes. V, 1.

Phrasin prorsus similem legere non memini; consentiunt tamen interpretes antiqui, nisi quod Symmachus habet ἐν μέσῳ τῶν ἐλαιῶν, ac si esset בין, confundens voces sono cognatas. Verum שמן oleum est, non olivae, nec video quid conferat ad laudes vineae olivarum mentio, nec Judaeis per leges licebat vites olivis maritare. Equidem, quanquam sciam בן־שמן *pinguem* explicari posse, suspicor tamen conjunctim legendum esse בכשמן *in colle, in ubere loco.*

2507. עץ שמן oleaster. 1 Reg. VI, 23.

Ligna oleae vel potius oleastri intelligo, arboris Palaestinae indigenae. Obstrepunt plerique huic interpretationi ipseque adeo Celsius T. I. p. 309. hanc quidem ob causam, quod Neh. VIII, 15. ut diversa componuntur עלי זית ועלי עץ שמן atque oliva suum habeat proprium nomen זית.

זית. Quod quidem argumentum mihi nullum eſt. Etenim praeter olivam cultam eſt *oleaſter*, frequens in Palaeſtina, optimumque dans oleum, de quo vid. ſupra ſub כתית. Ut ergo plures gentes utrique arbori duplex nomen dederunt, ita et fecerint Hebraei, *olivam felicem* זית, *oleaſtrum* עץ שמן adpellantes.

Caeterum dubium late patuit, ac fas eſt antiquorum ſententias et interpretationes referre. Quinquies omnino occurrit; hic, v. 31. 32. 33. Neh. VIII, 15. et Jeſ. XLI, 19. Primo quidem ſunt, qui cum mea explicatione plane conſentiant ut

1) Chaldaeus hic et v. 31. זֵיתָא

2) Vulgat. *Olivarum* hic et v. 31. itemque Jeſ. XLI. *lignum olivae.*

3) Sunt qui plane phraſin hebraicam ſeruant: Syrus h. l. ܩܝܣܐ ܡܫܡܢܝܬܐ (uti in Polyglottis vertitur, ſed peſſime, *hujus menſurae*, ab Arabe omittitur) itemque v. 31. ܩܝܣܐ ܕܡܫܡܢܝܐ. Chaldaeus in Jeſ. אעין דמשח et Syr. ܩܝܣܐ ܕܡܫܡܢܐ. Hi quidem dubii nullarumque partium videri poſſint, ſed ſuccurrit Arabs, vindicias pro olea dans, quippe qui v. 31. Syriacum ܩܝܣܐ ܕܡܫܡܢܝܬܐ vertit خشب الزيتون *lignum olivae.*

His quidem teſtibus, ſi omnino teſtibus opus, contenti eſſe poſſimus, in re per ſe ſatis manifeſta, in qua nunquam laboratum eſſet, ſi memores fuiſſent philologi *olivae* et *oleaſtri* apud plures populos nomina eſſe diverſa.

Cypreſſos habent LXX, 1 Reg. VI, 23. Jeſ. XLI. Nehem. VIII. Mirum! obſtat explicationi idem quod male contra oleas negabatur, alia omnia nomina cypariſſis in linguis orientalibus eſſe.

Iidem non valde ſibi conſtantes v. 31, *ἐκ ξύλων ἀρκευθίνων e ligno juniperorum.* Sic et v. 33. *ξύλων ἀρκεύθων.* At v. 32. *ξύλα πεύκινα,* incredibili inconſtantia.

Syrus Neh. VIII. ܓܘܙܐ *nuces* interpretatur, exque eo Arabs.

Frondes ligni pulcherrimi Vulgata habet in Nehemia.

Alias recentiorum conjecturas (ſed praeter conjecturas nihil) Kůfern Lutheri, *pinum* aliorum (viliores, quam e quibus Cherubos fieri fas erat,

 ligni

ligni species) *citrum* Castelli, vide apud Celsium. Nempe hi aliquam quaerebant arborem, ex qua fieri oleum posset, ea ut prima occurreret sufficiebat. Bene Plinii dictum, enotante Clerico: *fit et citro, cupresso, nucibus juglandibus, quod caryinon vocant.* Pessime Suecus et Danus, citati Celsio, in Nehemia Balsamum vertunt; quasi vero ejus tanta in Palaestina copia, ut tuguria e balsami ligno fieri potuerint.

Ergo sint *olivae nativae*, non arte plantatae, sic satis a זיתים differunt.

Utinam aliquis Orientis vel Italiae et Galliae gnarus nobis responderet, quae sint in fabricatis olivae virtutes? sitne lignum firmum? diu durans? haec adhuc ignoro; unum novi, nobile esse.

2508. אשמנים Jes. LIX, 10.

Obscurum vocabulum plerique de *rebus pinguibus* h. e. laetis intelligunt, alii de *densa caligine ac palpabili.* Sic Vulg. *in caliginosis.* LXX. Syr. Ar. *de suspiriis spirituque ducto moribundi* accipiunt אנשמים, ni fallor, legentes. Jonathan forte באשמרים legens vertit, *clausum est ante nos sicut sepulcra clausa ante mortuos.* Conferendumne Syr. ܐܘܥܛܠܡܢܐ *profunda caligo?* Vid. Lex. Syr. sub ܐܘܥ.

2509. שֹׁמְרִים Ps. 130, 6.

Quid hic שמרים? Vigiles non solent ita avide auroram exspectare. Suntne noctu iter facientes?

שמר estne *telis vel clavis configere*, سمر? Amos I, 1.

2510. שמר Jes. XXI, 11. 12.

Cum bis defective scribatur hoc vocabulum, suspicari possis non tam שֹׁמֵר custos legendum, quam שָׁמֶר, ut sit nomen montis *Schamer* a quo haud procul remota erat urbs Duma (vid. Abulfedae Arab. ed. Gagnier p. 52. not. 3. et D'Anvillii mappam lat. 27. long. 57. et supra dicta sub דומה N. 458.) Aut alludi ad montem in quo stare fingitur custos, vallem in qua Duma sita, prospiciens. Aut potius שמר pro nomine proprio habendum? Etiam מליל dubitari possit an recte scribatur, annon מַלֵּל legendum: *quid locutus est?* Sed satis est suspicionum, quas alii judicent.

2511.

2511. שְׁמָרִים utres: Jef. XXV, 6.

Praeter hunc locum occurrit Jer. 48, 11. Zeph. I, 12. Pf. 75, 9. ultimo loco LXX. Vulg. Symm. Chald. Syr. *faeces* vertunt, fic quoque Vulg. et Jer. 48. Zeph. I. unde recepta haec ufu paene communi interpretatio. In Jefaiae loco mira interpretum varietas, LXX libere vertunt, πίονται εὐφροσύνην πίονται οἶνον, verbum verbo non reddentes, Vulg. *convivium vindemiae*, quod etiam habet Arabs, interpolato ex aliis verfionibus exemplari graeco ufus. Hoc autem quid eft? aut quo argumento שמרים vindemiam effe crediderunt? Aqu. et Symm. ad hoc comma citantur in Hexaplis: ille πότον λιπασμάτων (πότον) διυλισμένον. Symm. πότον τρυγιῶν (πότον) διυλισμένων. Haec fi recte ad hoc comma relata funt, inferto, quod parenthefi includunt, fecundo ποτον, uterque interpres שמרים vertit διυλισμενα, *defaecata, per colum transfufa.* Pro qua verfione nihil dici poteft nifi hoc, Chaldaicae מְשַׁמֶּרֶת effe *faccum colatorium per quem vinum turbidum et faecatum colatur.* Vid. Buxtorf in Lex. Sed nullibi praeterea שמרים ita vertitur, eftque illud משמרת fignificatio rabbininica, e falfa שמרים explicatione efficta. Equidem fufpicor Aquilae verfionem mutilam nobis fupereffe, Symmachi autem verba non ad משתה שמנים pertinere, (quis enim aufit *faeces* pro pinguedine ponere?) fed componenda cum שמרים מזקקים. ποτον illud, contra codicum fidem ab editoribus repetitum. (Caeterum e voce τρυγιων fluxiffe videtur *vindemiae* quod habet Vulgata, permutatis vocibus τρυγη et τρυγια.) E Symmacho quoque fumta quae Cod. Alex. v. 7. addit τρυγιων διυλισμενων.

Verum *faecum* fignificatio, utut reliquis locis fatis commoda, Jefaiae loco vix fatis apta eft. Quis enim quaefo *convivium* ex faecibus fecerit? Faeces autem *purgatas* f. vinum a faecibus purgatum, fruftra hic fumi fupra fub זקק dictum p. 642. — Cogitare poffis de convivio duplici, altero falutari, altero exitiali, ut fenfus fit: *facturum Jehovam convivium diverfi generis omnibus gentibus*, epulum *medullarum* f. pinguium carnium et epulum *faecum*, ita ut iftis beneficia et laetitia piorum, faecibus poenae divinae defignentur (cf. Pf. 75, 9. Obad. v. 16.) Manet tamen vel fic inaudita imago convivium e faecibus, quod a communi ufu abhorret eftque incredibiliter fictum. Porro nulla eft antithefis faecum ad pinguia, faecibus potius vinum opponi debebat. Denique e fequentibus v. 8 inprimis manifeftum eft, hic non poenas minari prophetam fed felicia et laeta promittere.

Quod

Quod LXX habent, οἶνον, valde placeret, si ex solo Jesaiae loco calculus ferendus esset. Sed reliquis locis inepta explicatio, quibus a vino distinguuntur שמרים, et omnino sensum magis quam verba reddidit hic interpres.

Syrus cum sequentibus construens vertit: ܢܛܝܪܐ ܘܡܦܛܡܐ *servatum ac pingue convivium*, vel ut in opp. Ephraemi vertitur *convivium reservatum.* — Sic et alibi nonnulli ex veteribus *recondita et thesauros*, solo, ut opinor, etymo ducti verterunt. v. c. Jer. 48, 11. Zeph. I. 12. Chald. כְּבַסִיהוֹן, in Zeph. LXX φυλαγματα. Ita priscum diuque reconditum vinum intelligi possit, licet Syrus non id voluerit, convivium ipsum *asservatum* vocans; cogitansne de portione praecipua, primario hospiti servata? ut 1 Sam. IX, 23. 24.

In mentem aliquoties venit locum legenti, conferri posse arab. ثَمَر *fructus*, sed reliquis locis in consilium adhibitis, conjecturam repudiavi.

Eo tandem devenio שמרים esse *vasa* s. *utres in quibus vinum adservatur,* quod jam locorum collatione ductus invenerat *Gussetus*, *cados* vertens, non utique pravus ille, ubi ex mera collatione locorum parallelorum res agenda. — Scilicet ad vinum referri שמרים e locis manifestum; e Jeremia autem et Zephania intelligitur non ipsum vinum esse, sed aliquid cui vinum incubat, et Ps. 75. est aliquid, quod exprimi ab avidioribus vinumque ex eo exsugi potest. Nec abludit a vasis vinariis s. utribus etymon, a servando ductum. Rabbinis quoque מְשַׁמֶּרֶת non solum est saccus colatorius, sed et *reconditorium, in quo aliquid asservatur.* Ita jam משתה שמרים erit convivium *amphorarum*, nobile et copiosum vinum continentium, s. vini prodigum.

Hoc addo, in Zephania non videri de vino sermonem esse, quippe quod non coagulatur, sed de lacte inspissato, atque שמרים illi esse vasa in quibus lac asservatur. Hoc ubi diutius in eodem cado manet, inspissatur.

2512. שִׁמְשָׁה Jes. LIV, 12.

Fenestras intelligunt recentiores, non ex vitro, sed e crystallo factas, putantque has a sole dici, quem admittant, sive etiam *parvos soles.* Hoc olim mihi improbabile visum, quod fenestras vitro obductas veteres Hebraei non noverant: vid. histor. viri §. VIII. Video tamen apud Arabes Maroc-

Maroccanos شمسية *fenestrarum* majorum genus esse, quasi *solares* dictas, quod liberum soli aditum permittunt. Vid. *Hoest Nachr. von Maroccos* p. 261 et Bibl. Orient. T. XIX. p. 99. Tales igitur si sint שׁמשׁות Jesaiae, cogitandae fenestrae patentiores, non crystallo aut quidquid sit בַּרְכַּד obductae, sed ornatae aut circumdatae.

Veterum interpretum nemo de fenestris hic cogitavit. LXX. Vulg. ἐπάλξεις, *propugnacula* habent, et sic in Commentario Hieronymus. Chald. *ligna tua* (eo nempe sensu, ut pro ligno substituantur lapides pretiosi) Syr. *parietes*. Manifestum eos ignorasse quid שׁמשׁות significet.

Tectum, partesque aedium soli expositas conjicit Millius. Equidem *ornamenta summarum aedium* fuisse suspicabar, globi aut solis speciem referentia, qualia nos turribus imponere solemus, (Thurmknöpfe.) Amat vel nunc ejusmodi globulos in turrium fastigiis Oriens, vid. Pocock. Descr. Or. T. II. Tab. III. et Hoestii librum in titulo. Priorem tamen explicationem jam praeferre incipio.

2513. מִשְׁנֶה 2 Reg. XXII, 14. 2 Chron. XXXIV, 22. Zeph. I, 10. suburbium.

Partem aut regionem urbis Hierosolymae esse, manifestum est. Hieronymus ad Sophoniam *secundi muri in eodem climate* (scil. parte urbis versus Joppen) *portam significare* adfirmat, dubium qua fide. Mihi *suburbium* potius significare videtur, quod recte urbs altera dici poterat, aut saltem pars aliqua urbis, quae a reliqua urbe distingui posset ut urbs inferior. 2 Reg. XX, 4. secundum Kethib est aliqua עִיר תִּיכֹנָה quae fortasse eadem est cum מִשְׁנֶה. Idem cogitasse videtur Arabs qui graecum Μασενα 2 Chr. 34. vertit بالخشوع hoc quid est? in *humilitate?* aut potius *in depressiore parte* urbis, cf. خُشْعَة *collis depressior*: Mirum quod Paraphrastes Chaldaicus reddit בבית אולפנא *in domo doctrinae*, similiter Syrus ܒܝܬ ܡܠܦܢܐ, quod Arabs exponit: كانت تُعَلِّم *docebat Hierosolymis*. vide et Beckium ad h. l.

2514. שְׁנַת שָׂכִיר Jes. XVI, 14. XXI, 16.

Anni mercenarii videntur esse anni accurate descripti nec ultra XII menses extendendi. Lunares puto, non addito mense intercalari, cf. notas versionis german. ad h. l.

2515. שָׁנִי color coccineus.

De ſignificatione hujus vocis, quae plerumque cum תּוֹלַעַת conjungitur hactenus nullum dubium, quod *colorem rubrum* indicet; ſed de etymo dubitari poteſt: plerumque cum LXX *διπλȣν*, dibaphum *bis tinctum* vertunt, ad שנה *iteravit* referentes. Referendumne potius ad سنى ſplenduit, ut ſit תולעת שני *vermis ſplendens*, i. *rubens?*

Proverb. XXXI, 21. pro שָׁנִים legendum potius שְׁנַיִם *tota familia ejus duplici veſtimento tecta*, ſuadente contextu.

2516. שנער regio.

Vid. Spicileg. Geogr. Hebr. I, 231.

2517. שסע Jud. XIV, 6.

Obſcurius verbum h. l. quomodo enim leonem quis divellet? Nec divellere hoedos ſolemus! Rictumne oris divellebat, manus contra dentes leonis convoluta veſte muniens, ut Phylius apud Antonin. Liberal. Metamorph. XII. Hoc fieri in catulo leonis forte poſſit. Caeterum monuit jam Bochartus aliquos factum minuere, divelli poſſe leonem deſperantes. Nempe LXX in Complutenſ. quidem *διεσπασεν*, in aliis edd. *συνέτριψεν*, et Joſephus *ſuffocatum* dicit leonem. Linguae orientales in novis his ſignificationibus nihil opis ferunt.

2518. שעשע Jeſ. XI, 8.

Non ad שעה ſed ad שעע referendum, ut jam recte Simonis. Scilicet שעע eſt, illinere, inungere, laevigare, tum ad *blanditias* et *luſum* transfertur. Syrus Jeſ. XI, 8. harmonice reddit ܢܫܥܐ quod Syris (ܫܥܐ et ܣܥܐ confundentibus) *ludere* ſignificat, 2 Sam. II, 14. VI, 5. 16.

2519. שָׁעָה hora Dan. III, 5. et alibi.

Notandum horae nomen in nullo libro ante exſilium babylonium ſcripto reperiri, ſed primum in Daniele, nec tamen in hoc niſi in dubiis capitibus, tertio, quarto et quinto. Quod quidem eo pertinet, ut ante exſilium Judaeis diviſio diei in horas nondum nota fuerit, primumque Babylone horarum menſuram didicerint, valde illam arbitrariam, cum antea fortaſſe, ut Arabes ſolent, in ſex modo partes diem noctemque dividerent.

derent. Cum autem in his solis capitibus occurrat, et vero ut res valde usitata, ita ut בה שעתא paene adverbialiter sit *confestim*, (zur Stunde) auget hoc suspicionem contra antiquitatem horum capitum.

Caeterum frequens est Syris vocabulum, habent tamen et Arabes سعو, et سعوا *hora*, *pars exigua noctis*, incertum utrum a *currendo*, an a *spectando*, quod stellas spectantes ac solem horas metiamur; est enim سعا et *intente spectare*, et *currere*.

2520. שֹׁעַל Jes. XL, 12. 1 Reg. XX, 10.

Non tam manum contractam, pugillum, significare videtur, quam *volam*, manum expansam, tum *manipulum*, quantum quis vola expansa compressis digitis tenere potest; est enim ܫܥܠܐ apud Syros, *palmus*, manus expansa: atque haec in primis Jesaiae loco multo aptior.

2521. מִשְׁעוֹל Num. XXII, 24. *interstitium*.

Vox semel tantum occurrens, incerto etymo. Confero radicem arab. شغل *distinuit*, *distraxit*, ut in phrasi arabica انّي عنك مشغول *certe ego a te distrahor* s. occupor, quae constructio ostendit primam verbi significationem esse in distinendo, quamvis Lexica habeant fere *occupari*. Hinc substantivum משעול erit *interstitium*.

2522. מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה Jes. III, 1.

Lusus est in diverso genere nominis, quasi tu diceres (modo fas esset ita latine loqui) *omnem baculum et baculam* h. e. baculum s. fulcimentum omnis generis. Eximie illustrat Lowthus e phrasi arab. القانص والقانصة *venatio mascula et feminina* h. e. omnis generis. Similia exempla vide Jer. 48, 46. Eccles. 2, 8. et apud ipsum Jesaiam C. 5, 29. coll. quae sub שאג dicta sunt. Nemo felicius imitatus est Syro, qui servata generis duplicitate vertit: ܣܡܘܟܐ ܘܣܡܘܟܬܐ. Intelligo autem hoc nomine omnes et omnia, homines, heroes, sapientes, arma, opes, quibus tum confidebant Judaei. Nec ergo ad solum, qui proxime sequitur, panem, aut cum LXX et Vulg. ad potentes refero, sed ad omnia quae sequuntur, quae propheta hic generali vocabulo complectitur.

2523. שעע Jes. VI, 10. XXIX, 9. XXXII, 3. Ps. XXXIX, 14.

Male quidam ad שעה referunt vertuntque Jes. VI. *respicere* fac, *i. e. averte.* שעע Syris Chaldaeisque *calce vel caemento obducere*, unde et harmonice vertit Syrus ܘܥܝܢܘܗܝ ܛܘܫ. Sensus est: *puluere aut luto illine.* Apud Arabes reperies سغّع *occultare in pulvere (perungere)* quod forte huc referri possit. Paraphrastice LXX εκαμμυσαν, Vulg. *claude*, in summa tamen rei concinentes.

Jes. XXIX. השתעשעו ושעו veteres, LXX Chald. Syr. de admiratione attonita accipiunt, nec tamen assequor quomodo sub radice שעע in linguis orientalibus admirabundi stuporis significationem reperire liceat. Possitne conferri Arab. تغتغ *titubavit in sermone?* Vulg. ex conjectura *fluctuate et vacillate*, Symm. ἐξαπατήθητε καὶ ἀπατᾶσθε, aliquam forte micam veritatis habens. Recentiores alii ad שעה alii ad שָׁוַע *clamare* referunt, vide plures ejusmodi conjecturas ap. Vitringam.

Equidem שעע hic non aliter interpretor quam C. VI. *oblinere facite oculos vestros et oblinite aliis* h. nihil intelligite. Idem fortasse voluit Symmachus.

Jes. XXXII, 3. וְלֹא תִשְׁעֶינָה secundum puncta ad שעה refertur, difficili sensu, cum ipsa res arguat non coecitatem sed visum promitti. LXX igitur, qui jam ad שעה retulerunt, *ad homines* inseruerunt, ὀυκέτι ἔσονται πεποιθότες ἐπ' ἀνθρώποις. Male certe, cum שעה per se non sit *respicere ad homines*. Clericus לו corrigit *Eum* (Hiskiam) *respicient oculi videntium.* Audax et temeraria in tanto veterum consensu conjectura. Consentit tamen Lowthus, sine ulla codicum auctoritate.

Sed non opus his, si ad שעע referas, legasque mutatis punctis תְּשֻׁעֶינָה *non amplius oculi videntium oblinentur.* Oppositum hoc C. VI, 10. — Sententiam et etymon praeivit Syrus ܠܐ ܢܬܛܡܫܢ et Chald. לָא יִטַּמְטְמָן non obturabuntur. Sensum exprimit Symm. ὀυκ ἀμαυρωθήσονται, exque eo Vulg. *non caligabunt.*

Ps. XXXIX, 14. ponitur de *indulgentia*, quae conniventibus oculis delictum videt.

2524. שַׁעֲרוּרָה Jer. V, 30. XVIII, 13. XXIII, 14. Hoſ. VI, 10.
inſania, furor.

Diverſimode ſcribitur hoc vocabulum שׁערוריה, שׁערורה, שַׁעֲרֻרִת bis defectivum Jer. XVIII. Plerumque ad שׂער *horruit* referunt, ut ſit *res horrenda*, proprie *horripilatio*, in quo praeiverunt jam LXX et Vulg. *Φρικτα* et *horribilia* vertentes, Hoſ. VI. *Φρικωδη*, *horrendum*. Sed tum non per Schin ſed per שׂ ſcribendum. Aliter Syrus et Chald, qui in Jeremia ܫܘܥܪܢܐ et שְׁבָן *amentiam* reddunt. Huic ſignificationi ſuppetias fert Arabismus cui سعر eſt 1) *ignem accendit* 2) *furore correptus fuit*, et سُعُر *furores* occurrit Sura 54, 24. Et apta eſt illa inprimis Jer. XXIII. 14. ubi opponitur *fatuitati* (תִּפְלָה v. 13) *inſania* ſ. *furor* prophetarum Hieroſolymitanorum.

2525. שַׁעַר fines regionis.

Haec ſignificatio obtinere videtur in locis Mich. II, 13. Nah. III, 13. Jeſ. XXVIII, 6. fines regionis ſunt quaſi portae per quas ad eas datur aditus, adeoque שׁער non portae urbium ſed terrae, i. limites et caſtella limitanea deſignat. Plane idem ſignificat arab. ثَغْر vid. Abulfed. Syr. p. 30. et alibi. Nil frequentius ei phraſi ثغور الشام *Caſtella limitanea Syriae*, ثغور الجزيرة *Caſtella et fines Geſirae* Chriſtianis obverſi. Quin integra Syriae provincia limitanea verſus Chriſtianos ثغور dicitur.

2526. שָׂעִיר Lev. XVII, 7. Jeſ. XIII, 21. XXXIV, 14.
2 Chr. XI, 15.

Animal Bocharto intactum, de quo ergo copioſius eſt diſſerendum; de ſolis enim capris egit ſub hac voce L. II. c. 53, ac primus, ni fallor, Vitringa veram dixit ſententiam.

Ante omnia autem notari velim non eadem eſſe שָׂעִיר, nullo adjecto genitivo, et שׂעיר עזים ſeu, ut latine dicam, *piloſum*, et *piloſum caprarum*. Poſterior hic ſine dubio caper eſt, quod longiorem pilum promittit, ſed ſemper cum adjecto genitivo עִזִּים componitur, niſi quod ſemel Lev. XVI. hic genitivus in ſerie orationis ex capitis initio ſup-

plendus omittitur. Certum vero שָׂעִיר aliis locis absolute positum hircum esse non posse, v. c. Jes. XIII, 21. XXXIV, 14. Describitur enim tanta vastitas ut ne Nomades quidem ad ea loca accedant. Hic quis nominet cicur et mansuetum animal hircum? Nec magis Lev. XVII, 7. Quis enim tam vecors sit, ut capro, pro Deo culto, caprum aut capellam sacrificet? Caprinum autem genus ibidem v. 3. in sacrificiis numeratur τοις שְׂעִירִים offerri solitis.

Pilosum ergo a piloso *caprarum* distinguentes, deserti incolam a pecore pastoritio, jam dispiciamus quis sit שָׂעִיר, audiamus ante omnia veteres.

1) Nil praeter etymon reddunt Jes. XIII. tres Graeci, Aqu. τριχῶνται, Symm. ὀρθοτριχοῦνται (i. *horripilant*, quasi verbum esset, quanquam Procopius pro nomine habuit, cui τριχωνται sunt *daemones tenebrosi*) C. XXXIV. Aq. Symm. τριχιῶν Theod. ορθοτριχιῶν, hi ergo nihil nos juvant, nisi quod videmus de hirco eos non cogitasse.

2) Hinc Vulgata utrobique in Jesaia *pilosos* habet, sed addita explicatione lectu digna, in Commentario enim Hieronymus: "*pilosi saltabunt ibi.*" *Vel incubones, vel satyros, vel sylvestres quosdam homines, quos nonnulli Fatuos ficarios vocant, aut daemonum genera intelligunt.* Pleraque ad Satyros redeunt. Nempe *Fatui* iidem qui *Fauni*; Fauni autem Graecis Σατυροι. Iidem et *incubi*, vid. Notas Martianaei ad h. l. Hieronymi, et Bochart. P. II. L. VI. c. 7. Iidem Satyri aut Fauni semidei seu Daemones putabantur.

3) Eodem redit quod δαιμονια habent LXX. שֵׁידִין Chald. ac Syr. ܫܐܕ̈ܐ. Satyri enim pro Daemonibus habiti.

Sunt autem Satyri, demta fabula, *majus et pilosius genus simiarum*; Hos ergo putem שְׂעִירִים dici, *lascivum* et *saltatorium* animal, quae omnia in satyros s. simias conveniunt. Nec tamen assentior Vitringae *Satyrorum* nomen ab hebr. שָׂעִיר derivari.

2527. שְׂעִירָה Jud. III, 26. *silva densa, perplexa?*

Pro nomine proprio plerumque habent ignoto nobis, redundante sic ה articuli in l. c. ubi est: וימלט השעירתה. Suspicor adpellativum esse, *et densam silvam* significare, tanquam pilosam dictam, coll. arabico شعرا *arbores perplexae*. Inde quoque *Seir* montem tanquam *hispidum*, *pilosum* nomen accepisse putaverim.

2528. שפה Job. XXXIII, 21.

Si Keri sequaris שֻׁפּוּ est ipsa radix שפה Syris et Arabibus: *rasit, polivit*; *rasa sunt ossa ejus* h. e. nuda, carne et cute carentia. Sic fere Vulg. *ossa, quae tecta fuerant, nudabuntur*. Secundum Cthib שְׁפִי est *abrasio ossium*, i. e. ossa nudata scil. consumuntur (יכל ex antecedenti membro repetito).

2529. הַר נִשְׁפֶּה Jes. XIII, 2.

Montem intelligo *politum* s. rasum, i. e. nullis arboribus consitum, in quo nulla silua, frutices nulli, ut signum in eo elevatum undequaque conspici possit. Argumento mihi est praeter rem ipsam, quae ejusmodi montem poscit,

1) Consensus linguarum orientalium: سفي est *radere, polire*, idemque verbum Syriacum ܣܦܐ significat.

2) Consensus Versionum: Syrus harmonice vertit ܛܘܪܐ ܫܦܝܐ *montes puros* s. laevigatos, et LXX. ἐπ' ὄρος πεδεινοῦ *in monte campestri*.

Montem *Caliginosum* Vulg. et incerta versio graeca νεφῶδες, *nebulosum*. Nempe ut ex Hieronymi Commentario intelligitur, collato loco Jeremiae C. XIII, 16. הָרֵי נֶשֶׁף. De hoc autem loco quidquid statuas, id certum, nebulosum montem non eligi ad signa militaria erigenda, ad quae populus confluat. Obiter notem, Hieronymum, quando locum nostrum ad Jer. XIII, 16. citat נשפה scribere feminine Nesepha, sine dubio male et contra leges grammaticas.

Recentiores ex sola conjectura נשפה *sublimem* vertunt, nullo indicio philologico. Videatur Vitringa, reus ac paene αὐτοκατακριτος conjecturae.

2530. שְׁפָיִים Jer. III, 2. 21.

Cacumina clivorum arboribus vacua intelligi videntur a rad. ܣܦܐ سفي cf. supra ad נשפה et שפה dicta. Mirum tamen quam hic a recentioribus dissentiant veteres. LXX. εἰς εὐθεῖαν, Vulg. *in directum* et v. 21. ἐκ χειλέων, Vulg. *in viis*. Chald. לְכִבְּרִין, an idem voluit, quod LXX. εὐθεῖαν vertentes? Syrus ܠܫܒ̈ܝܠܐ ܕܫܦܝܐ *ad vias*. Sed iidem Jer. XIV, 6. Jes. XLI, 18. *montes* explicant aut colles, excepto Chald. et priore loco etiam Syro.

2531. שִׂפַּח Jes. III, 17. decalvavit.

Sine dubio hic notat *decalvabit*, *crines effluere faciet*, ut jam recte Vulgata. Nempe سفح est effundere, et ספח Chald. excidere, unde ספחת *defluvium capillorum* cf. supra ספח et ספיח N. 1765. 1766. — Miseris caput cito decalvatur et senescit.

Plerique Judaei et Christiani hic de *scabie* cogitant capiti inducenda, verum ספחת non esse scabiem vid. supra N. 1768. Veteres hic humiliationem habent, ut LXX. ταπεινωσει Syr. ܢܡܟܟ Chald. ישעבד. Legeruntne שפל? aut שפח *defluere faciet* de humiliatione poni putarunt? Hoc praefero, nec enim ullus Codex Kennicotti שפל habet, licet id Lowthus ex Versionibus sumat praeferatque.

2532. משפח Jes. V, 7.

Non est, ut volunt *scabies*, sed, poscente orationis serie, scelus aliquod, ut mihi quidem videtur, *sanguinis effusio* a سفح *effudit*, supra memorato. Quanquam et possit esse *scortatio* a signif. ejusdem verbi Conjug. III. سافح scortari, quam Jobi loco, C. XXX, 7. aptissimam esse, supra N. 1765. monui. Verum oppositum: *iudicium* caedes potius poscit, Arabibusque سفح expresse de effusione sanguinis ponitur. — Quae Vitringa opposuit, Arabes ob figurae similitudinem כ et ח confundere, insignem produnt ignorantiam Arabismi; putabat scilicet ح literam Caph esse.

2533. לְמִשְׁפָּט Jer. X, 24. XXX, 11. *modice*.

Hoc utroque loco non tam justitiam aut judicium quam *aequitatis*, *lenitatis* significationem obtinere putem. Nempe משפט 1) *judicium* notat, 2) *jus*, 3) *usitatum*, *consuetudinem*, *morem*. De hoc tertio significatu vid. Gen. XL, 13. 1 Sam. XXVII, 11. 2 Reg. XI, 14. &c. Haec significatio inde orta, quod consuetudines vim juris habent, ac fere omne jus civile in eo consistit, ut mihi obtingat quod moris est. Sensus igitur: castiga me sed *ut consuevisti*, *modice*; non insolitis poenis. Possis et hoc addere شفط leniorem adhuc significationem habere: *humanus*, *benignus fuit*, ut sit *humane mecum age*. Venema putat primam vim verbi esse in *aequatione et aequitate* quod ut nolim negare, nullo tamen certo indicio philologico constat.

2534. שָׁפְכָה Deut. XXIII, 2. *genitalia.*

Vocabuli femel tantum occurrentis fignificationem ex antiquis interpretibus fruftra quaeras, qui h. l. aut דכא et שפכה ut ignota vocabula omittunt, aut femel tantum ponunt *tefticulos*, ut Chald. Vulg. Mauro tamen interpreti דכה funt *tefticuli* et שפכה احلال *foramen penis* (Saadias quoque احليل vertit) quod hic totam notare virgam puto. Erit igitur שפכה *virga* a שפך dicta, et defcribitur h. l. minor majorque caftratio.

2535. שפנים Deut. XXXIII, 19.

In interpretatione mea contuli arabicum سَغَنَ *abrafit*, unde سِغْنٌ *afcia*, سَغِينَة *navis* (tonfae Latinis dicuntur remi) سَغُونٌ *radens terram ventus.* Confonat his Syriacum ܫܦ *occare*, quod proprie fit radendo, effetque noftro loco, ubi ventus occat arenas Beli, perquam aptum; ܫܘܦܝܢܐ *lima*, ܫܘܦܢܐ *lapis quo quid teritur.* Rem ipfam e loco *Plinii* interpretor Lib. XXXVI, C. 27. §. 65. *Belus non nifi refufo mari fatetur arenas* (limofum antea dixerat) *fluctibus enim volutatae nitefcunt detritis fordibus. Nunc et a marino creduntur adftringi morfu non prius utiles.*

Id fateor, neminem hoc veterum praeiviffe, fed illi et linguae et loci ignorantia laborabant. Plerique *abfcondita* vertunt, ut Onkelos, Vulg. Arabes; verum

1) צפן et שפן non idem verbum funt, nullaque lingua orientalis fub שפן abfcondendi fignificatum habet:

2) *occultata abfconditorum*, inconcina compofitio.

Syrus navigia (סְפִינוֹת Arab. سفينة) intellexit, vertitque: *inundationem marium fugent* ܘܐܠܦܐ ܕܡܛܫܝܢ ܒܚܠܐ *et naves occultatas in arena.* Hoc quid eft? Naufragos, quorum naves in arena adhaeferunt, diripere?

LXX. *emporia* intelligunt, καὶ ἐμπόρια παράλιον κατοικούντων, divinantes magis quam vertentes.

2536. שִׁפְרָה Job. XXVI, 13.

Iis accedo, qui de *pulcritudine* ac *nitore* accipiunt, a سفر enituit, quam explicationem praeiverunt Vulg. Chald. et fortasse Syrus, ܫܡ̈ܝܐ *gubernat coelum*, et ex recentioribus Schultensius. Potest autem hoc de pulcritudine coeli universe, aut de serenitate, nubibus vento fugatis, intelligi, aut denique ipse ortus diei et pulcherrima *aurora* describi. Haec Chald. שפרפרא Syris ܫܦܪܐ dicta, unde Arab. اسفر *matutinus fuit*, mane oravit, iter fecit.

Hoc quidem reliquis praeferrem, maxime ob hemistichium sequens, cujus pulcherrima explicatio continuatio erit descriptionis Aurorae, cf. supra p. 221. Unum me moratur, quid ventus ברוחו ad auroram? Verum hoc vertere possis: *mandato* ejus coelum in Auroram convertitur, ut Ps. XXXIII, 6. sidera facta dicuntur halitu oris Dei; sive *sapientiam divinam*, quae statas diei vices dedit, ut sit id. qu. vers. praec. בתבונתו.

Diversam lectionem secuti videntur LXX. κλεῖθρα οὐρανοῦ δεδοίκασιν αὐτόν, legentes בְּרִיחֵי *vectes*: qua autem arte, aut stupore, aut varietate, ex שפרה effecerint *timent eum* ignoro, nisi f. legerunt שְׂעָרָהוּ.

Syriaca versio olim aurorae mentionem habuisse videtur. Etenim Ephraem Syrus ita h. l. adducit: ܒܪܐ ܐܚܕܐ ܟܘܟܒ̈ܐ ܕܨܦܪܐ *creavit stellas matutinas*, quasi fuisset in hebr. ברא יחד כוכבי שפרה (s. שמים).

2537. שָׁפִיר Mich. I, 11.

Urbem *Schafir* adhuc ignoramus. Hillerus confert פרה Jos. XVIII, 23. quod ortum vult ex פְּאֵרָה *ornatus*, mera conjectura. Relandus ex Eusebio adfert Σαφείρ, vicum inter Eleutheropolin et Ascalonam; melius certe, cum et Graeci Jos. XV, 48. pro שמיר habeant Σαφείρ. Caeterum paronomasia petita videtur non a pulcritudine, sed a سفر *proficisci*, si cum praecedenti עברי construas. Aut forte duplex est paronomasia *proficiscendi* et *pulcritudinis* opposita sequenti עֶרְיָה־בֹשֶׁת.

2538. שַׁפְרִיר Jer. XLIII, 10.

Vox ἅπαξ λεγομένη. *Solium* vertit Vulgata, ex mera conjectura, nec ad constructionem apte, solium enim non extenditur. *Palatium* suum

um אַפְּרְנֵיה Chaldaeus; *Arma sua* sc. extendet LXX et Syrus, hoc quoque ex conjectura. Recentiorum plerique: *pulcrum tentorium suum*, nempe quia extendi dicitur et ex etymologia a שפר *pulcher fuit*. Hoc admitti plane nequit; quis enim tentorium in aedibus, quibus aedificandis lapides calcarii adhibiti erant, aut omnino in urbe juxta palatium regium tendat?

Mihi a سفر *proficisci* idem est quod Arabicum سُفْرَة, *corium orbiculare, quod solo insternitur*, de quo vide Breuningii descriptionem in Rosenmüllers *Zusätzen zu Arvieux Sitten der Beduinen* p. 197. — Sunt aulaea solo instrata in quibus solium collocabatur.

2539. אֶשְׁפָּר 2 Sam. VI, 19. 1 Chron. XVI, 3. *viaticum*.

Dubia vox quam divinando magis quam vertendo explicant veteres, LXX λάγανον τηγάνε, Vulg. assaturam bubulae carnis, ac si esset composita ex פר *bos* et אש *ignis*. *Carnem* intelligit Syrus et Chald. פִּירָוגָ vertens, sed unde illa dicta sit, non apparet. Mihi adhuc praeplacet *viaticum unius diei*, a سفر *profectus est*, unde سُفْرَة *cibus viatoris*. De etymo vocis ita habe. سفر est 1) *enituit*, unde Hebraeis pulcritudo, 2) *enituit aurora*. hinc Chaldaeis שפרפרא aurora. 3) *iter fecit* q. d. matutinus ad iter fuit.

2540. שָׁפַת Jes. XXVI, 12. ponere.

Verbum propterea paullo obscurius, quod in eo a dialectis destituimur. LXX. Vulg. Ar. h. l. vertunt *dare*, Syr. *servare*, Chald. *stabilire*; *ponere* Graecus anonymus, Raschi item et Kimchi. In aliis locis, quibus occurrit 2 Reg. IV, 38. Ez. XXIV, 3. Ps. XXII, 16. jam redditur *ponere* (Ez. 24, a LXX et Vulg) jam καταγαγειν (Ps. 22.) *projicere* a Syro et 2 Reg. IV, ܐܦܐ *apponere*; a Chaldaeo *provenire facere*. Chaldaei Arabesque sub شفت *frangendi* vim servarunt, quae tamen his locis non convenit. Videntur in *ponendi, collocandi* significatione satis concinere versiones et contextus locorum; manca tamen hujus verbi notitia, quod a reliquis dialectis nulla luce perfunditur.

2541. שֶׁצֶף Jes. LIV, 8.

Confero arab. شطف *durus*, *vehemens*, *angustia*, *adversitas*, ut sit: *in vehementia irae.* Ita et Syrum quendam et Arabem MS. utrumque vertere disco ex Castello: "*Syrus* magnum, *cui suffragatur Arabs Oxoniensis*, שדיד. *Accedunt R. Dones, Menachem* &c. in ira furoris." — Video similia habere Schultensium ad h. l. Duo aut tres codd. שסף quod explicandum ex 1 Sam. XV, 33. *in ictu irae.*

2542. שַׂק Job. XVI, 15. *vestis scissa.*

Saccum exponunt omnes, nec nego Gen. XLII, 25. 27. 35. ea significatione occurrere. Suspicor tamen vestem *lugentium* non a sacci similitudine sed a شقّ *laceravit* dictam esse, quasi *vestes scissas*. Hoc inprimis Jobi loco congruit, ubi שק dicitur *sarciri.*

2543. כִּשְׁקָה Am. VIII, 8.

Noli hanc lectionem, quam textus praefert ad radicem שקה referre, quod 1) *rigare* est beneficii, non, ut hic, mali s. poenae. 2) quod dicendum fuisset in feminino כִּשְׁקָתָה cum ת. Referendum potius ad שקק شقّ *lacerare*, ut sit sensus: *et Divelletur ut flumine Aegypti.*

2544. שׁוֹקֵל Jes. XXXIII, 18.

Estne *mathematicus?* a pendendo dictus.

2545. שִׁקְמִים Sycomori.

Vide de his Celsium Hierob. L. I. p. 311. quibus pauca addere lubet. Imaginem arboris aere descriptam fructusque, quantum natura creat, dedit *Norden* in itinere Aegyptio fig. 38. Idem narrat fructum figura et odore ficum referre, sapore tamen cedere, quippe insipidam quandam dulcedinem habentem, pauperes tamen eo libenter frui; arborem altitudine fago similem. Diu vivere et ad sexcentos annos pervenire, asserere videtur Hasselquistus p. 260.

Hieronymus ad Amos VII, 14. negat, posse hic Sycomoros intelligi, quod nullae sint in deserto Thecoensi, verba adscribo: *Porro hoc quod ait* vellicans sycamina, *quod Aquila interpretatus est* scrutans sycomoros,

moros, *et Symmachus* habens sycomoros, *quidam ita edisserunt, ut sycamina velint appellari genus arborum quae in Palaestina nascuntur in campestribus et agrestes afferunt ficus, quae si non vellicentur amarissimas cariculas faciunt et a culicibus corrumpuntur. Nobis autem, quia solitudo in qua morabatur Amos nullam hujusmodi gignit arborem, magis videtur* rubos *dicere, qui afferunt* mora, *ac pastorum famem et penuriam consolantur.* Sed haec mera conjectura. Tota perit difficultas, si recorderis Prophetam non semper in Thecoensi solitudine mansisse, (sed tum intra fines Israelitici regni Bethelae versatum esse, ut e vs. 10-13. apparet.)

2546. שקע *submersus est, ligavit.*

Primam verbi significationem suppeditat Arabismus, cui سقع est *abiit nescio quo, evanuit:* hinc apud Hebraeos ad *submersionem* transfertur ut Jer. LI, 64. Am. IX, 5. et secundum Keri C. VIII, 8. Ad priorem significationem spectare videtur Num. XI, 3. וַתִּשְׁקַע הָאֵשׁ *evanuit, cessavit ignis.* Ad neutram referri commode potest Job. XL, 25. וּבְחֶבֶל תַּשְׁקִיעַ לְשֹׁנוֹ. Conferre possis arab. صقع *percussit*, sed neque hoc ad funem quadrat. Malim referre ad significationem in lingua samaritana superstitem, in qua שקע est *ligavit*, atque sic vertit Vulg. et Aquila.

2547. שְׁקַעֲרוּרֹת Lev. XIV, 37. *cavitates.*

Composita vox ex שקע et קער: قعر *profundus fuit* unde קְעָרוֹת *patinae profundae*, sunt igitur *cavitates* s. *loca depressiora* reliqua parietis superficie, LXX et Vulg. *κοιλάδας, quasi valliculas.* Syr. ܡܫܠܚܬܐ *decorticationes.* Samar שבבן quod est obscurius hebraeo. Arabs Polygl. خطوط *lineae.* Maurus nomen, quod vix legendo satis expedio, quia oculi ad illud hebetant, multoque minus intelligo.

2548. שקפים 1 Reg. VI, 4. Cap. VII, 4.

Priore loco sunt fenestrae *ex alto prospicientes*, nempe הִשְׁקִיף est *prospicere* deorsum. Videntur fuisse fenestrae deorsum inclinatae, ita ut per eas in templum introspici non posset. Fortasse solus Syrus retinuit vocabulum; quod enim habet ܦܫܝܛܐ patri meo lapsus librariorum esse visus est pro ܡܫܩܦܐ. In rei summa consentiunt LXX *παρακυπτομένας*, et Theod. *διακυπτομένας*, Aq. *ἀποβλέπουσας.*

1 Reg. VII, 4. alia ratione poni videtur. Habent ibi LXX. χῶρα ἐπὶ χώρας τρισσῶς (forte ὥρα ab ὁράω, ipsae mihi horae ab ὁράω dictae videntur) Syr. fort. optime ܩܘܒܐ *exedrae*. Chald. כּרסכא (*retinacula* a χαλινόν?) parietes *Barrieren*, Ar. كنابيج *structuras*, *contignationes*. Ego hucusque *superstructiones* intelligo, e quibus prospici deorsum posset.

2549. שׁקק Jes. XXII, 8. XXXIII, 4.

Priore loco, נֶשֶׁק בֵּית הַיַּעַר vulgo ad radicem נשק referunt, *respicietis armamentaria domus silvae*, ut intelligatur Domus Libani 1 Reg. VII, 2. in qua arma fuisse ex 1 Reg. X, 17. constat. Dubito an recte, cum et illa domus in Libano sita fuisse videatur, nec 300 Clypei magna armatura in re seria. Equidem legam mutatis punctis נָשֹׁק a שָׁקַק ar. شقّ *fidit*, *laceravit*. *Spectabitis fissuras domus* — — Ita tamen, ut incertum sit, quae fuerit *domus sylvae*, facile enim aliquod nomen nos latere potest, cf. Bibl. Or. Append. P. XIV. p. 43.

Altero loco כמשק גבים referre solent ad שׁוק *discurrere*, quam significationem dubiam mihi videri ad h. v. monui. Mihi potius conferendum videtur arab. مشق vorare, *vorare meliores pabuli partes*: unde bona prodit sententia, *ut vorant locustae ita avide praedabuntur*.

2550. שְׂרָד Ex. XXXI, 10. XXXV, 19. XXXIX, 41.

Obscurior vox quam varie explicant interpretes. Conferunt Chaldaicum סרדן quod pro קלעים poni solitum, ad vela pellucida ingressum, non adspectum, prohibentia referunt, quia סְרָדָא *cribrum* dicitur. Arabibus سرد est *conserere loricam* et سَرْد *lorica*, *mutuus annulorum nexus*, item *opus reticulatum* altaris Exod. XXVIII, 4. Sed vestes sacrae non pellucebant. Magno consensu Veteres vertunt *vestes ministerii*, adeoque legisse videntur שרת, quam lectionem adhuc servant C. XXXI, 10. Codd. Samaritani, et C. XXXIX, 41., Cod. Kennic. 106. Haec igitur praeferenda esse videtur: Plura vid. Nov. Bibl. Or. T. III. p. 197. sqq.

2551. שָׂרִיד.

Duplex est hujus vocis significatio:

1) proprie est *effugiens e periculo* i. e. ex illo superstes, Arabibus enim شَرَدَ est *fugit a gladio.* Syris quoque ܣܪܕ est *trepidavit*, et sic hebraic. nomen manifesto ponitur Jer. XXXI, 2. et alibi.

2) *semen* Job. XX, 21, ut Syris ܣܪܝܕܐ est semen, et Rom. IX, 29. pro σπερμα ponitur, hanc significationem LXX etiam Jes. IX, 1. in mente habuerunt vertentes ειμη — εγκατελιπεν ἡμιν σπερμα ut et Deut. III, 3. petita locutione a magna calamitate, ex qua vix tantum superest, ut iterum agri conseri possint.

2552. שׂרה Gen. XXXII, 29. contendere.

Ad hanc radicem maximam partem referenda sunt quae sub שׂור habent Lexica. Arabibus شَرِيَ est *micare*, hinc in III Conjug. *contendere, rixari*, q. d. micare inter se ferro. Sic de rixa s. lucta Jacobi ponitur h. l. et Hos. XII, 4. 5. de derivatis hujus radicis שׂר et שׂור, שׂרר vid. N. 2443.

Etiam Job. XXXVII, 3. fortasse per Sin scribendum יִשְׂרֵהוּ *micare illud facit* scil. fulmen. شَرِي enim proprie de fulmine micante et coruscante ponitur. Commendat hanc lectionem inprimis sequentis membri parallelismus.

2553. שָׂרוֹת Jer. V, 10.

Solet per שׁ scribi, idque fere exponunt, ascendite in muros ejus. Consentiunt in rei summa LXX. Syr. Chald. Vulg. Sic שָׂרוֹת cum שׁור confertur. Non satis placet, cum statim sequatur נטישות *propagines*, quae non bene muro tribuuntur.

Aliam lectionem expressit Stephanus ed. fol. בשׂרותיה per Sin, quam non verto in *principes ejus*, sed aut

1) *adscendite in immaturos fructus ejus et perdite*, coll. بسر quod immatura designare solet, ita ut ב sit radicale. Obstat tamen orthographia, Hebraei enim per ס scribunt בסר.

2) sive *ascendite contra colocynthides ejus* (vitem agri Hebraeorum) collato شَرْيَة et شَرْيِ colocynthis: vid. supra ad סורי dicta N. 1714. Sic bene quadrabit sequens, ubi propagines hujus vitis non esse Dei sed spuriae dicuntur.

2554. שרה, שרי *Nomen Sarae.* Gen. XVII, 15.

De his vide quae dicta sunt in Bibl. Or. T. IX. p. 186. seqq. Scilicet scribendum videri שׂרי et שָׂרָה ut prius nomen *colocynthidem* شَرْيِ, alterum a سَرَّ *laetam* significet. Opposita tum nomina, quoniam colocynthis ingrati est saporis.

2555. שרך Jer. II, 23.

Obscurum verbum; Vulgata vertit *explicans vias suas.* Chald. מקלקלא, pater meus, cum Coccejo, *corrigians*, implicans, ut jam Aquila in Syro Hexapl. ܡܣܪܟܐ ܐܘܪܚܬܗ (a שָׂרוֹךְ) Neutrum satis liquidum.

Venit mihi in mentem أشرك *associans vias suas* i. e. quae Cameli societatem petit. Mallem tamen aliquid melius. De ipsa idololatria, de qua Arabes أشرك usurpant, cogitavit Schultensius; sed haec vix potest Camelae tribui. LXX, qui valde discedunt hic ab hebraico, vertunt τὰς ὁδὰς αὐτῆς ἐπλάτυνεν, eam significationem verbo tribuentes, quae superest in شَرَكٌ et شَرْكَةٌ *via regia, ampla, aperta.*

2556. שְׂרֵמוֹת Jerem. XXXI, 40. 1 Macc. IV, 15.
Jer. XVI, 8. ex varia lectione.

Pro שדמות (num. 2419.) textus seu Cthib Jerem. XXXI, 40. שְׂרֵמוֹת habet, eamque lectionem et graecis literis expresserunt LXX. Ἀσαρημωθ. Hoc quidem quid significare possit, illi loco quodammodo aptum, de suburbanis Hierosolymae, et vero tristibus aut foedis, ut de sepulcrorum valle agenti, ex lingua Arabica et Syriaca discendum.

شَرَّمَ, verbum, quod ipse non legi, Arabum lexicographi interpretantur, *in partes minutatim concidere;* nomina autem derivata conferens, sus-

ſuſpicari incipies, eandem et cognatam habuiſſe ſignificationem, quam شَرَمَ, *ſecare*, *findere*. Hinc شُرْم, atque ex utriusque linguae analogia per ש ſcriptum, ܫܘܪܡܐ, *inteſtinum rectum*, *ejusque extremum*, *ex quo exeunt faeces*, forte, proprie, *canalis*; a findendo et ſecando nomen nactus.

Jam conjicies (certi enim quid in vocabulo cujus tam parum novimus, non datur) quo jure aut quid ſpectans Chaldaeus, כָּל אֲרִיתָא *omnes canales* verterit. Nec canalium nomine, ſepulcrorum, Cedronis valli junctorum, aquaeductus intellexerim, qui ab ea urbis parte, nulli fuerunt, nec eſſe potuerunt, ſed ſive canales, aquam ex templo in ſubjectas valles deferentes, de quibus vide *Göttingiſches Magazin dritten Jahrgangs* (1783) *ſechstes Stück*, aut ipſas adeo cloacas, quibus Hieroſolyma in ſubjectas valles, Cedrone rivo quo tempore fluebat ſordes auferente, purgabatur. Certi nos de שרמות nihil habere, ſed veriſimile, lectores, me non invito, dicent: nec lectio mihi probatur, altera marginis veriſimilior, ſed perantiquae vocabulum, a LXX jam lectum, praeterire, ut in aliis factum eſt lexicis, nolebam.

In noſtris ubi vulgatis editionibus ἕως Γαζηρῶν vel Γασηρῶν legimus, 1 Macc. IV, 15. Complutenſis, in textu illa quidem Graeco ex praecipuis, habet, Ἀσσαρημώθ, i. e. עד השרמות, *usque ad canales*, hoc nomine, forte ut proprio accepto. Sed nec ibi praetulerim lectionem, niſi quis nova adferat eam commendantia, aut alios teſtes.

Jeſ. XVI, 8. unus Kennicotti codex, nonageſimus tertius, שרמות חשבון habet. *canales Hesbonae*: ſed vel ibi conſueta lectio praeplacebit. Canalibus, ſi aquaeductus ſunt, Hesbonae ad Arnonem ſitae, non opus: cloacas nemo, qui reliqua legerit, ſubſtituerit: *cloacae Hesbonae lugent*, — vel, *cloacasque Hesbonae* loquar?

2557. שָׂרָף Ceraſtes Num. XXI, 6. Jeſ. XIV, 29. XXX, 6.

Non ab *urendo* dictum eſſe hoc ſerpentis genus, ſed ab ar. شَرُفَ *nobilis fuit*, notatum in notis germanicis ad Num. XXI. ubi vide et iconem ceraſtis. Sonat igitur *nobilem* ſ. *principem*, plane ut Graecis Latinisque βασιλισκος et *regulus* dicebatur, quaſi rex ſerpentum, ducto nomine a cornibus ſ. tentaculis, quibus inſigne eſt hoc ſerpentum genus, quae

 Coro-

coronae speciem referre videbantur. De venenata cerastis natura, quam in dubium vocarunt recentiores, cf. quae supra dixi sub צפע. N. 2195.

2558. שׂרפים Jes. VI, 2. 6.

Conferenda quae de hoc vocabulo disputata sunt Bibl. Or. T. XIV. p. 112. sqq. Scil. legendum videtur שֹׂרְפִים a שָׂרַף combussit, quod translatum fuisse videtur ad combustionem suffimentorum, ut sint *ustores, suffitores*. Sic ergo sacerdotes quidam caelestes describerentur, cherubica tamen figura. (Nisi sit simplicius *nobiles* coeli intelligere e signif. arab. شرف et شريف.)

2559. שׂרק.

Incipio jam suspicari non proprie esse *sibilare*, sed *obscurum sonum edere*, qualem muscarum agmina et crabronum edunt, *susurrare*: hoc aptissimum Jes. VII, 18. si legas יִשְׂרֹק susurrare faciet. Ad graviores quoque sonos transfertur, ut de voce apiastri شرقرق cf. ad Lex. Syr. voc. ܣܪܩ et B. Or. nov. T. V. p. 18. De balatu ovium ponitur. Jud. V, 16.

2560. שׂרק שׂרקה Gen. XLIX, 11. Jes. V, 2.

Vitis nobilior sine acinis, ducto nomine a شرق fidit, ܣܪܩ castravit. Uvae ejus sunt quas Arabes زبيب nos *Zibeben* dicimus. Vetus nomen quodammodo servarunt Arabes Maroccani *Serki* adpellantes, cf. *Arab. Fragen* Qu. 23. et Bibl. Or. XIX, p. 106. sq.

2561. שְׂרֻקִּים Zach. I, 8. *coloris nomen.*

Copiose de hoc nomine egit Bochartus Hieroz. T. I. L. II. c. 7. p. 107-109. *giluos* ex conjectura reddens; sed vereor an recte. Ut enim colorem investiget, antea sumit, quod ei dari nequit, שׂרק etiam de vite positum, itemque de Serico coloris nomen esse. Ergo colorem excogitat equis, vino, lino communem.

Molestum est quod in linguis orientalibus שׂרק nusquam ut nomen coloris occurrit, facitque adeo de lectione suspicionem. Nec tamen ullam varietatem notavit Kennicottus, nisi vocem plene scriptam שְׂרוּקִים.

Aquila ξανθοὺς habet, *rufi coloris* licet a πυῤῥοῖς gradu, ut puto, diversi. Jam Arabibus أَشْقَر est *rubens*, poniturque de equis, et شُقْرَة *ru-*

rubedo clara et nitens in equo, cum juba et cauda ejusdem coloris ſint, vid. Golium. Ergone transpoſitis literis legendum שְׂקֻרִים? Favet ſuſpicioni quod Arabs (ſive ex Aquila ſive ex Hebraico codice correctus) شُقْرٌ, hic habet.

LXX. ψαρούς i. e. *varios* et dupliciter reddito vocabulo ſ. e ſcholio ποικίλους, eodemque modo Syriacum ܦܣܝܟܠܐ interpretari ſolent, licet praeter hunc locum nullum ſignificationis exemplum adferentes. Cum أَرْقَشُ ſit *punctis nigris albisque notatus*, veriſimillime conjicit Bochartus LXX legiſſe רְקֻשִׁים. Eodem redire putatur Chaldaeus, lectione tamen et ſignificatione incerta. Hanc lectionem equidem praetulerim, licet nullus ei codex ſuffragetur. Sunt magnae auctoritates, et communis lectio ſuſpecta: quod שׂרק, ut dixi, in nulla orientali dialecto coloris nomen eſt.

Nigros qui verterunt cum שָׁחוֹר contulerunt, obſervantes, alibi Zachariam equos nigros habere. Si jubent aliter legere, ferendum, damnandum ſi שחר cum שׂרק conferunt.

Niſi praecederent et ſequerentur colorum nomina, vertere poſſis *exſecti*, *Wallachen*. Sed hoc repudiandum. Unum addo, ſi lectio vera an שׂרקים *varii* poſſint ab *uvis* dicti eſſe, quod maculis ſparſi ſint uvarum inſtar. Sed haec audax conjectura.

2562. פִּשְׁתִּים שְׂרִיקוֹת Jeſ. XIX, 9. linum, ſericum, goſſypium.

Lini nomine hic intelligi videtur goſſypium, quod ad linum referebant veteres, non ut nos, *Baumwolle* vocantes, ad lanam, vid. Plin. H. N. IX. 3. שריקות a סרק *pectere* quod ab arbore depecti crederetur, ut Virgilius:-

Velleraque ut foliis depectunt tenuia Seres,

bene ad etymologiam Symm. το λίνον τὸ κτενιςὸν, LXX λίνον σχιςὸν vertentes, intelliguntne linum ex *asbeſto lapide*?

Una difficultas in hac explicatione, quod פשתים eſt ſtatus abſoluti. Hoc ſpectans Syrus vertit ܕܣܪܩܝܢ *qui pectunt*, et Vulgata: *pectentes et texentes ſubtilia*. Habebantne שריקים maſculine? alias enim de feminis

minis potius pectentibus accepturi fuisse videntur. Sed evanescit difficultas, modo שריקות ut adjectivum accipias lina serica. Est enim פשתה ob terminationem fem. sing. et masculinam plur. ad communia referendum. Serica vertere licet, quod haec ipsa vox a שריקות orta videtur, et ante Justinianum saepe Sericum cum gossypio permutatum, ut in Virgilii versu supra laudato. Plura vid. Forster de Bysso §. 5. et Bibl. Or. T. X. p. 181-183. [Concidunt haec si שריקות cum Vulg. ad sequens membrum referas, quod membrorum quoque structura commendare videtur.]

2563. שׁר.

Ad hanc radicem referendum esse Hab. II, 4. si pro לא ישרה legas לא שָׁרָה suspicatus sum in Bibl. Or. T. XXIII. p. 175. Saltem ita legisse videntur LXX. οὐκ εὐδοκεῖ vertentes, et hoc ipso vocabulo utitur Arabs لَنْ تُسَرّ.

2564. שׁרשׁ.

שרש רגל locus inter talos et pedes Job. XIII, 27. שרש דבר Job. XIX, 28. num fundamentales articuli? aut malitia verbi?

שרש הים Horizon, mari incumbens Job. XXXVI, 30. cf. אצילי ארץ p. 117.

2565. שֵׁשַׁךְ Jer. XXV, 26. LI, 41. *Babylonis nomen.*

Babylonem intelligi manifestum est, et consentiunt in hoc veteres ad C. 51, 41. Sed unde illa *Scheschach* dicta? Volunt per Atbasch ita dici, quod ita pro certo sumsit Hieronymus ut sic commentationem hac de re incipiat: *quomodo autem Babylon, quae Hebraice dicitur* Babel, *intelligatur* Sesach, *non magnopere laborabit, qui hebraicae linguae parvam saltem habuerit scientiam.* Possem et huic lusui aliquod tanquam decus addere: ut בבל dicitur a בלל, ita ששך referendum ad שכך, est autem سكّ *lamina ferrea obduxit portam*, unde Babylon magnifice dici posset *portas ferratas habens.* Est omnino manifesta imitatio nominis בבל nec negaverim ad transpositionem literarum alludi. Paullo aliter derivat pater meus a panoplia שוך et شكّ *totum se operuit armis.*

Unum

Unum modo me moratur; quid caussae sit cur reliquas urbes et gentes suis nominibus memorans propheta soli Babyloni ejusmodi artificiosum nomen comminisceretur? At Hieronymus quidem, *arbitror*, inquit, *a sancto propheta prudenter fuisse celatum, ne aperte eorum contra se insaniam commoveret qui obsidebant Hierosolymam et jam jamque ejus potituri erant.* Ita et plerique alii sentiunt, sed obstat,

1) quod haec anno IV Jojakimi dicta, quo adhuc in clientela Aegyptiorum Hierosolyma erat, periculique plus habebat fausta Babyloniis quam adversa vaticinari:

2) quod alia multo clariora habet de Babylonis interitu vaticinia, ut C. L.

3) Quod hujus alliterationis sensum, si modo eo tempore jam Atbasch in usu erat, facile percepturi essent Chaldaei.

Jam cum LXX. totum hoc: ומלך ששך ישתה אחריהם omittant, quod jam monuit Hieronymus, magna suspicio est, spuria esse verba et ab exsulibus Babyloniis, spem suam profitentibus, addita. Nempe duplex fuisse videtur voluminis posterioris Jeremiae editio, altera in Aegypto collecta, ubi mortuus propheta, altera in Chaldaea. Aegyptiam secuti sunt LXX. atque in hac minae istae contra Babylonem desiderantur, quas habet Asiatica, a margine forte a librariis in textum illata.

Omnia denuo perpendenti probabilius videtur Jeremiae tempore ששך poeticum et grandisonum nomen Bobylonis fuisse, nemini obscurum, scilicet *ferreis munita portis*, a سكّ cum alliteratione ad בבל a ברזל similiter formatum. Certe deleri omnino ex Jeremia nequit iterum recurrens, (etiamsi C. XXV, 26. abdicaveris) Cap. LI, 41. ubi nulla captatur orationis obscuritas. Secundum Megasthenem *Nabuchodonosarus urbem moenibus et portis aeneis ornavit*, vid. Euseb. praep. Eu. L. IX. c. 41. Habet ille inter alia ex Abydeno haec, nostro loco aptissima: *τειχίσαι δ' αὖθις Ναβωχοδονόσαρον, τὸ μέχρι τῆς Μακεδονίων ἀρχῆς διαμεῖναν, ἐὸν χαλκόπυλον.* En ipsum nomen שֵׁשַׁךְ graece expressum.

Insigne de hoc nomine commentum est magni *Marshami* p. 565. canonis. A versu 31. Cap. LI. omnia de captis Susis explicat, atque hanc urbem esse putat. ששך *vel Susach*, inquit, *addito tertio puncto ut fiat Kibbuts* (שֻׁשַׁךְ) *quae Danieli est Susan, unde Ortelio Susa quae Sesach.* Sed ששך et שושן diversissima nomina.

2566. שתה.

Huc referendum mutato puncto: כְשָׁתָּה *hiemalis est* Prov. XXVII, 15. cum ob parallelismum praecedentis membri, tum quod, si vel sumeres inusitatum Nitpoal a שׁרה, dicendum fuisset בשׂתורה, cf. supra סתו.

2567. שתם Num. XXIV, 3. 15. (Job. XIII, 20.)

Priori loco שְׁתֻם הָעָיִן vertere solent *reclusos s. apertos oculos habens*, quod Rabbinis שתם sit perforare. Sed quid si haec significatio ex hoc ipso loco efficta? Ignorant eam reliqui dialecti et versiones antiquae quas vide apud Coccejum. LXX. Chald. ad תמם retulerunt ש pro praefixo habentes. Suspicari possis שתם idem esse quod שתם s. סתם, ex arabismo ut occlusi oculi *ecstasin* notent. Malim tamen referre ad ستم quod *nobilitatem* indicat, nobilis, insignis oculis, aut ש cum veteribus pro praefixo habere.

2568. שתם Thren. III, 8.

Ex versionibus optima, *obstruxit*, non admisit preces meas. Sic Vulg. *exclusit*. Syr. paraphrastice ܠܐ ܫܡܥ Ar. صرف *avertit*. LXX minus commode ἀπέφραξε, *obturavit preces meas*. Chald. audacter: *clausit domum precationis meae;* omnes ad סתם referentes, quo modo non pauci codices scribunt per ס.

Quid si conferas شتم *contumelia adfecit*, maxime *alienis malis laetans*. Sic in versione germanica expressi: *Er spottet meines Flehens*.

2569. שתים Job. XIII, 20.

Male *duo* intellexerunt interpretes; quae enim illa duo sint quae fieri non vult Jobus? Verto: *duplicata non fac contra me*, i. modo duplicatis plagis ne me afficias dum meam defendo caussam. Suspicari possis ם radicale esse, et שְׁתָיִם esse *ignominiam*, *ludibrium* a شتم quod vid. supra. شتيم *contumeliis adfectus*, *deformis horribilis vultu*. شتامة contumelia.

2570. מַשְׁתִּין 1 Sam. XXV, 22. 34. 1 Reg. XIV, 10. &c.

Vulgo ad שתן referunt, cui *mingendi* significationem tribuunt. Sed ignorant hanc dialecti orientales. Potius refer ad שין quod vid. supra, mutatis punctis, מְשַׁתִּין.

2571.

2571. שתת *separatus, dispersus fuit.*

Ad hanc radicem, quam habet lingua arabica شتّ *separatus distinctus fuit; dispersus fuit,* refero Ps. XLIX, 15. לִשְׁאוֹל שַׁתּוּ *ad infernum separati* (destinati) *sunt.* Porro שֵׁת Jes. XX, 4. et pluralem שְׁתֹתֵיהֶם 2 Sam. X, 4. *nates*, a fissis pedibus dictas. Arabibus سَتٌ nates sunt, a quo pluraliter dicunt أَسْتَاةٌ et Syrus 2 Sam. X. harmonice vertit ܐܫܬܘܬܗܘܢ, quo nomine Castelli Lexicon caret.

Denique ad שתת forte referendum Jes. XXII, 7. שתשתו legendum שְׁתַשְׁתּוּ una voce, a שְׁתַשֵּׁת *dispergunt sese usque ad portam equites.*

ת

2572. תאב Am. VI, 6.

Ex parallelismo manifestum מתאב hic idem significare quod מתעב, ut jam recte intellexerunt LXX. βδελύσσομαι vertentes. Samaritanismum puto aut Ephraimismum, cui proprium est literarum gutturalium permutatio.

2573. תאה Num. XXXIV, 7. 8. 10. Deut. XXXIII, 21.

Quod Num. XXXIV. bis occurrit תְּתָאוּ v. 7. 8. foret a rad. תאה. Hanc Arabes habent sub تَأَى quod explicant سبق *praecedere:* tum sententia: *a mari procedetis ad montem Hor* &c.

התאויתם V, 10. dupliciter explicari potest.

1) a rad. אוה *optare locum domicilio.* cf. Ps. CXXXII, 13. אִוָּהּ לְמוֹשָׁב לוֹ et arab. أوى *divertere* مَأْوَى *sedes, locus habitatus*, Syr. ܐܘܝܐ *habitatio.* Plura vid. Spicileg. Geogr. T. I. p. 139. sqq. Sic erit: *habitabitis, occupabitis vobis sedes.*

2) a rad. תוה pro הִתְאַוִּיתֶם Dages per א mobile Chaldaico more compensato. Vid. grammat. Chald. p. 17. Quanquam hoc displicet, ut a consuetudine Hebraica abludens. תוה autem esse possit a) *signabitis*

a תו

a תו *signum* arab. تَوِيّ. Sic plerique accipiunt. b) a تَوّ *funis simplex, non tortus*, funem ducetis. c) a تَوَا جَا *venit simplici intentione, ita ut ipsum nulla res a via averteret*. Sic foret *recta pergetis*.

Deut. XXXIII, 21. וַיֵּתֵא ad אתה *venit* referunt, duplici anomalia, siquidem א primae radicalis omissum et ה tertiae rad. in א mutatum. Nullus codex, nec Samaritanus nec Judaicus ויאתא habet.

Ergo malim ad יתא referre. Arabibus وَتَأَ est: *gravi tardoque gressu procedere, senio vel vitio naturae*. Potest et gravis incessus bellici agminis esse, composite et graviter incedentis. Sic esset: *lento et composito gradu praecedit primam populi aciem*.

Aut ad eandem radicem modo memoratam pertinet تَأَى *praecessit*, estque futurum apocopatum. Hoc jam praefero.

2574. תְּאוֹ Deut. XIV, 5. Jes. LI, 20.

Obscurum nomen, cum linguae orientales sub his literis nullum animalis nomen habeant, neque e locis ipsis aut antiquis interpretibus valde inter se dissentientibus aliquid certi adfulgeat. Ex Jes. LI, 20. apparet, feram esse quae irretiatur, modo hic תוא sit idem, quod in Deuteronomio תאו, quod valde dubium esse vid. Or. Bibl. Append. ad T. XIV. p. 161. sqq.

LXX. ὄρυγα vertunt, quibus accedunt Hier. Vulg. Bochartus P. I. lib. III. c. 28. item in loco Jesaiae Aq. Symm. Theod. Quodnam tamen ferarum indomitarum genus orygem dixerint veteres, obscurum est, atque iidem interpretes saepe orygem ponunt pro ראם, unde minor fit eorum auctoritas. Vix enim verisimile est תאו et ראם idem esse, cum orientalium interpretum vix ullus in hoc versu ראם pro תאו habeat sed pro דישן. Vix ullus inquam, Samaritanus enim רחים vertens, ח pro א posuisse visus est Castello. Quod si ita est, major adhuc veterum fluctuatio, ut jam casu potius nomen aliquod arripuisse, quam linguae et naturae scientia posuisse videantur. Mihi tamen Castelli conjectura non placet; nam רְאֵם Samaritano interpreti est רומה Num. XXIII, 22.

Syrus ܬܐܘ vertit, hoc tamen ipsum quid sit, obscurum. Chaldaeum Prov. V, 19. relegenti, videri queat esse ibex, si in hoc animali femininum genus valde est venustum. Buxtorfius in lexico Chald. "*ca-*

prea,

prea, pygargus; capreae sylvestris species Deut. XIV, 5. pro ריש"ון lapsum vides numerandis vocibus, non enim hic pro דישון sed pro תאר a Syro ponitur. Hinc secundus manavit error, cum sumeret דישון pygargum esse, ideoque דיצא pygargum vertit. Iidem errores sed aucti irrepsere in Castelli lexicon, qui sub דיצא habet: *caprea, pygargus, capreae sylvestris species*, al. *camelopardalus*, *camelus maculis conspersus*. *Deut. XIV, 5.* (ubi est pro זמר) *Prov. V, 19.* et sub Syriaco ܝܥܠܐ? *ibex, hircus silvestris, oryx, dama.* Haecne omnia significat idem vocabulum, diversissima animalia? Si quid verisimilius, *ibicem* significabit *feminam*, namque et Ps. CIV, 18. Job. XXXIX, 1. a Syro pro *ibice* reponitur, et etymon favet a دوّص *ex alto se arte demisit.* Hoc si verum, vix pro תאר recte ponitur, ibex enim antea sub אקו jam memoratus fuisse videtur. Quodsi dicas תאר esse ibicem feminam, obstat interpositum דישון. Errasse igitur videtur Syrus.

Onkelos תורבלא quod *bubalum* (Büffel) interpretatur Buxtorfius, praeeuntibus Judaeis. Nempe monet Sal. ben Melech compositum esse ex תור (bos) et באלא, quod Syris *sylvam* significet. Hausit hoc ex tractatu Cholin; sed videtur hoc gratis sumtum, neque enim sub באלא quidquam adfert Buxtorfius, quo hanc significationem probet, praeter hoc ipsum nomen. Ego igitur mallem derivare a תֵּרֵב *adeps*, ut animal sit a pinguedine dictum. Arabs etiam uterque vertit ثَيْتَل quod ipsum animal a pinguedine dictum denotat. Golius quidem vertit: *caper montanus, oryx.* Gi. item *bos montanus. Mar. Species hujus.* Ca. — Hic nihil certi.

Bovem montanum, תור בר simpliciter reddunt Jonathan, Tharg. Hieros. et plerique Judaei. Damnat eos Bochartus, quod sit impurissima adspectu caro bubalina gignatque pediculos. Hoc posterius an verum sit dubito. Carnem bubalinam pro cibo esse Arabibus, nec pauperibus tantum sed ditioribus etiam et mercatoribus Europaeis, testis est Niebuhrius descr. Arab. p. 165. Favet bubalo quod ad animalia pura, quae ungulas findunt et ruminant, pertinet. (Etiam Onkelosum תור ברא scripsisse suspicari licet, librariorum negligentia ר in ל mutato. Sic nova huic sententiae accedit auctoritas.)

2575. תֶּבֶל concubitus insanus, incestus, abominabilis.

Bis occurrit Lev. XVIII, 23. de foeda libidine cum bestia et C. XX, 12. de concubitu incesto cum nuru. Vulgo ad בלל referunt, ut *confusionem* f. nefariam permixtionem notet, invita grammatica. Rectius ab arab. radice تبل deducitur quae significat *amentem reddere*, at imprimis de *amoris insania* ponitur. Sic Caab ben Zohaib v. 1. carminis panegyrici in Muhammedem: *abest Soada, igitur hodie cor meum* متبول *insanum* f. *aegrum est errore.* Addit Lettius, (nihil tamen subodoratus de usu vocis in Hebraismo) e carmine anonymi: *cor, cum discedit amasius,* متبول, *insanit.* Patet igitur תֶּבֶל designari *insanam et nefandam libidinem*, quam non nisi mente captus admiserit.

Job. XXX, 8. in recepto textu legitur בְּנֵי־בְלִי *filii scelerati*, bono utique sensu; Sed Codex 1 Kennicotti legit בני־תבל eximia sententia si תֶּבֶל duplici Saegol legas: *Prognati e concubitu incesto.* Verum nullus alius codex adsentitur, nec quidquam adnotavit de Rossius. Codicesne hac de lectione, cujus vim forte non adsequebatur, de תֵּבֵל οικεμενη cogitans, consuluit?

2576. תּוּבֻנָה *prudentia, astutia.*

Semel, Jobi XXVI, 12. in textu legitur, his punctis efferendum בְּתוּבְנָתוֹ, margine habente בתבונתו *prudentia sua*, quod et in textu multorum codicum reperit Kennicottus. Forte haec lectio verior, nec tamen textualis aut plane damnanda, sensuve cassa, sed potius explicanda. Eandem illa fundit cum marginali sententiam, תובנה enim a radice תבן, quae Arabibus significat, *visum animumque intendit, acute vidit, intelligens callidusque fuit.* [et تبانة intelligentia, astutia]. Scribunt et per ט Arabes, طبن: incerto, utrum ab altero ortum sit. Forte تبن est verbum derivativum a بين. Praeterea verbum ex varia lectione, sed unius modo codicis, occurrit Job. XXXVIII, 8: התובננת עד רחבי ארץ, his, ut putem, punctis instruendum, הֲתוֹבַנַנְתָּ *num attendisti ad latitudinem terrae, eamque sagaci animo complexus es?*

2577.

2577. תבן *palea, ſtramen,*

quod tamen non ut apud nos integris culmis cogitandum eſt, ſed *triturando diſſectum* et comminutum. Plane ut Arab. تِبْن vel تَبْن ubi vid. Gol. p. 171. et Niebuhr, itinerar. T. I. p. 152.

2578 מַתְבֵּן Jeſ. XXV, 10.

Alii pro ſynonymo habent nominis תבן *paleamque* vertunt. Sic Vulg. Symm. (ἀλοητὸν ἀχυρᾶ) Syrus (ܬܒܢܐ) Chald. eumque ſequi ſolitus Raſchius. His quidem obſtare videtur מ praeformativum, quod in denominativis non ſynonyma facit, ſed locum rei, aut certe aliquid a primitivo diverſum indicat.

Ergo *Aream* ἅλωνα verterunt LXX cum ſequacibus. Veriſimilius hi, ſi formam grammaticam ſpectes; at ſi מדמנה non eſt *plauſtrum* ſed *fimetum* vix ratio conſtabit ſententiae: *ut area trituratur in fimeto.* Ergo aut pro palea ſumendum (forte, acervo palearum) aut pro loco palearum, nec tamen area.

2579. תבע inſectatus eſt.

In Codice hebraico, ut nunc legimus, non occurrit haec radix, Syris Chaldaeisque *quaerendi*, *exigendi*, *ulciſcendi* ſignificatu frequens. Lectum tamen fuit hoc verbum a quibusdam Job. VII, 14. ubi plurimi codd. תבעתני a בעת *terres me.* Hic Cod. Caſſell. aliis punctis תְּבַעְתַּנִי quod ad תבע referendum, *inſectatus me es*, vid. Bibl. or. III. 244. Sic quoque Chaldaeus vertit, תְּבַעְתָּ יָתִי. Vulgata tamen forma parallelismo commendatur.

2580. תגרמה Gen. X, 3.

Vide in Spicil. Geogr. Hebr. I. p. 67.

2581. תהום *mare, latus.*

Non abyſſum, ſ. profundum maris ſignificare hanc vocem, manifeſtum e locis quibus v. c. ſinus Arabicus תהום dicitur, idque ea parte qua trajecerunt Iſraelitae. Ex. XV, 5. 8. Jeſ. LI, 10. Pſ. CVI, 9. Arabice تَهَايِم ſunt regiones maritimae, atque eadem lingua etymon ſuppedi-

tat

tat هوم f. هام, *nutavit capite*, fluctuavit, ergo a motu mare dictum תהום.

Similiter Syros ܬܗܘܡܐ ponere apparet ex Ephraemi Opp. T. I. p. 116. ubi graecum ἀοϱατος Gen. I, 2. explicat, terra non conſpiciebatur ܡܛܠ ܬܗܘܡܐ ܕܡܝܐ propter aquas undique eam ambientes.

Saepius etiam *lacus* et *ſtagna* ſignificat, praeſertim pluraliter poſitum Pſ. CXXXV, 6. תהמות diſtinguuntur a ימים, *ſtagna* ut puto *a maribus*. Job. XXXVIII, 30, manifeſto ſunt ſtagna et lacus, nam maria gelu concreſcentia Jobus non norat. Deut. VIII, 7. תהומות inter dotes terrae laudantur et cum fontibus et rivis componuntur. Adde Pſ. XLII, 8.

Vulgare *Abyſſus* e LXX fluxit, verum hi alio ſenſu dicebant, notante Suida ἄβυσσον καλεῖ τὴν ὑγϱαν ὀσίαν ἡ θεία γϱαφή — ἄβυσσος ὑδάτων πλῆθος πολύ.

2582. תוא *poenitens* Jeſ. 51, 20.

Sic mihi legendum videri pro תוא, *ut bubalus irretitus*, copioſius dictum Bibl. Or. App. ad T. XIV. p. 163. Scilicet ܬܘܐ Syris eſt *poenituit*, et derivata ܬܘܝܐ, ܬܘܬܐ de poenitentia et moeſtitia ponuntur. Senſus igitur: ut poenitens triſtis f. ſqualidus, cf. ſupra מכמר N. 1170.

2583. תוה Pſ. LXXVIII, 41.

Ad ſignandi, circumſcribendi ſignificationem perquam incommode refertur hoc loco קדש ישראל התוו. Conferendum aut Syr. ܬܘܐ *poenituit*, ut ſit: *poenitere fecerunt eum* promiſſionum, quod quodammodo exprimunt LXX παϱώξυναν et Syr. ܐܡܪܡܪܘ vertentes. Aut توى *periit, abſumtus fuit*: IV. abſumſit, tum eſſet, *exhauſerunt, defatigarunt*. Idque in verſione germanica ſecutus ſum.

2584. תו. Job. XXXI, 35.

Signaturam verti, cum pleriſque interpretibus, quamquam dubitari poſſit an jam tum mos obtinuerit in litis conteſtatione Nomen ſubſcribere. An forte eſt *deſiderium meum* quaſi תאוי? ut jam Vulg. et Chald. א ſaepe in Jobo, Arabum more omittitur.

2585. תָּוֶךְ *in.*

Hoc ſolum obſeruo בְּתוֹךְ non ſemper *in medio* ſignificare, ſed interdum ſimpliciter *in*, v. c. Geneſ. II, 9. III, 3. 8. Sic in fabula Locmanni 22: *ſi quis me plantaret* في وَاسط البستان *in horto.*

2586. תחפנחס f. תחפנס *Peluſiae,*

Graeci interpretes conſtanter ταφνη vel ταφνας reddunt Jer. II, 16. XXIII, 7. 8. XLIV, 1. Ez. XXX, 18. et vix dubitandum, eſſe eandem urbem, quam Graeci Δαφνας πηλουσιας appellant. Eam eſſe, quae noſtro tempore *Safras* dicitur, conjicit Forſter in Epiſtola p. 33. Etyma, quae habent, Aegyptia prudens praetermitto (vide tamen Scholzium in Eichhornii Repertorii T. XIII. p. 6.) Mallem ſcire quibus literis copticis his locis urbis nomen ſcribatur. Erant in hac urbe valida adverſus Syriam praeſidia. Herod. II. C. 30. hinc Jer. II, 16. inter praecipuas Aegypti urbes commemoratur.

2587. תְּחוֹמוֹת Pſ. LXXI, 20. (conjectura.)

Vulgata lectio eſt: מִתְּהֹומוֹת הָאָרֶץ תָּשׁוּב תַּעֲלֵנִי quam vertunt: *e profundis terrae iterum eduxiſti me*, idque in verſione Germanica expreſſi. Obſtat tamen huic interpretatione quod 1) תְּהוֹם non *profundum* ſed *mare*, ſignificat 2) inſolita phraſis תְּהוֹמוֹת הָאָרֶץ. Suſpicor ſcribendum eſſe מִתְּחוֹמוֹת a *finibus terrae*, Syris enim et Arabibus ܬܚܘܡܐ et تخم *fines* ſignificat, cf. Bibl. Or. XII. p. 176. Sed a codicibus adhuc inſpectis deſtituitur haec conjectura.

2588. תִּירָס Gen. X, 2.

Vide de hoc Nomine Spicil. Geogr. hebr. I. p. 55.

2589. תֵּימָא Jeſ. XXI, 14. *Thema.*

Lectio ſi vera eſt, intelliguntur poſteri Themae filii Iſmaelis, Gen. XXV, 15. a quibus ut obſervavit Cellarius p. 697. urbs Θεμμη nomen accepit, quam Ptolemaeus memorat, ut vicinam Chaldaeis montibus deſcribens. Vide et Abulfedae Syriam p. 14. not. 65. ubi in verbis, quae Abulfeda deleverat, تَيْمَا commemoratur. Ad *ſiniſtram*, inquit, *via ducit ad* تيما وخيبر (*Thaima et Chaibar.*) Copioſius Themam deſcri-

describit in Arabia n. 5. p. 3334. *esse castellum frequentius habitatum quam Tabuc, esse ibi palmeta.* Additur ex Azizio: *Themam regionem ab Aditis habitari, inque ea esse celebre castellum Ablacu* de quo p. 85. Chrestomath. meae agitur. Assignatur ei longitudo 60 graduum vel secundum alios 58, 30. latitudo 25 vel 26 grad. situsque *in deserto Scham.* Vicinam ei urbem Tabuc vid. in mappa Anvilliana long. 54. lat. 29.

Sed suspicor תֵּימָן olim multis in exemplis scriptum fuisse. Certe LXX et Syr. plane habent *ἐν χώρᾳ Θαιμαν* et ܒܐܪܥܐ ܕܬܝܡܢ. Vulg. autem et Chald. *terram Austri*, quae vix alia quam תימן esse potest. Quin Hieronymus in commentario expresse scribit: vos qui *estis in terra Theman, quod interpretatur Auster.* — Haec lectio si accipiatur, ipsam intellexerim felicem Arabiam, eamque ejus partem, quae nunc ex eodem etymo يَمَن dicitur, potuitque ipso suo situ ab injuriis hostium tutior esse.

2590. תככים Prov. XXIX, 13.

Optime illustravit vocem semel tantum obviam Schultensius ad h. l. conferens Arab. تِكَّة *fasciae*, taeniolae quibus ornantur vestes divitum, v. Elmacin Hist. Sarac. p. 81. Est ergo איש תככים *vir fasciarum*, h. e. *veste splendida insignis, dives.* Confirmat hoc locus parallelus Cap. XXII, 2.

2591. תָּכַל 2 Sam. XIII, 39.

Vulgo ad כלה referunt ut suppleatur וַתְּכַל נַפְשׁ *cessavit David exire.* Non amplius exivit contra Absalomum. Sed dura haec ellipsis, neque expeditionis contra Absalomum factae ulla mentio. Arabibus تكل est: *res suas alteri commisit prae impotentia, fretus fuit*, cum quo convenit Chald. et Syr. תְּכַל *confidit.* Videtur igitur legendum וְתָכַל quod hic vertendum *intermisit*, *neglexit*, idque in versione germanica expressi. [Fatendum tamen hanc intermittendi notionem a signif. verbi arab. et Aramaea plane alienam esse, nam quod S. V. Schulzius in Lexico h. v. addit تكّل *reliquit*, *omisit* vix scio an probari possit. Malim h. l. vertere: *Confisus est*, *speravit David exire contra Abs.* ut innuatur expeditio quam jam moliebatur; idque magis convenit sequentibus, modo C. XIV, 1. על *contra* vertas, usitatissimo sensu.] Ad hanc radicem etiam refero

2562.

2592. תכלה Pf. CIX, 96.

Quod ad כלה vulgo referunt. Equidem verto *omnis spei vidi finem*, omnes spes humanas fragiles esse intellexi.

2593. תְּכֵלֶת *pisces atramentum effundentes*, *sepia*, *et loligo*.

תְּכֵלֶת colorem hyacinthinum significare, et satis notum, et a Braunio de vestitu sacerd. P. I. c. 13. magna eruditionis copia peroratum. Sed et nomen ejus piscis esse, cujus atramento hyacinthina tinguntur, atque ita semel occurrere Ezech. XXVII, 24. vixdum monui. Certe colorem hyacinthinum vel coeruleum in nigrum vergentem aliunde ita vocatum esse, vel ipsa nominis forma indicio est, plane non ea quae in nominibus colorum consueta, ex qua esse debuisset תָּכֹל, fem. תְּכֻלָּה; nec ulla in lingua Orientali praeter Hebraeam coloris significationem habet.

Est autem duplex maxime genus piscium, magnam atramenti vim continens, illamque emittens, ut aliis piscibus nebulam offundat, *sepia*, et *loligo*: utrumque descripsit, atque delineavit, *Salvianus de aquatilibus* p. 165 - 172. fig. 59. 60. 61. Adde *Needhamii observationes microscopicas*, statim ab initio, primamque tabulam aere expressam. Accedit et alud triplex, succum habens non minus aut nigrum et caeruleum, sed violaceum, cui *polypi* nomen fecerunt, de quo eundem vide Salvianum p. 160 - 164. et fig. 58. Has omnes species piscis, colore effuso mare inficientis, uno nomine *mollia* vocant veteres, putemque Hebraicum aeque late patuisse, vix enim, nisi adcuratus naturae cognitor distinguat, non plebs, nomina condens.

Nomen unde habuerit, incertum, nec periculo vacat, etymologiam investigare: quidsi enim Phoenices (nam Hebraei olim non navigabant) loliginem, quae non nisi in alto mari est, ut sepia litoralis, exotico nomine vocaverint? Rabbini quidem alio eum nomine adpellant, חִלָּזוֹן, quod et habet lingua Syriaca et Arabica, ܚܠܙܘܢܐ et حَلَزُون, lexicographis non satis adcurate explicantibus. Adblanditur tamen valde verisimile etymon, a כלת, Arab. كلت *effundere*, ut sit, *effusor*, nempe ab effusione atramenti, quo persequentibus aut praedae visum praeripit. Verum si attigi, forte non bene vocales positae sunt, melius ita restituendae, תַּכְלֶת (nomen ex conjugatione Hiphil ortum,

cum

cum Thau praeformativo, sed generis masculini, aut, ut esse solet in piscibus, ambigui) quamquam et puncta exusari possunt, *Tsere praecedente Schva* mutato in duplex Segol. Vide grammaticam §. 55. n. 11.

2594. תַּכְלִית.

Vide sub כלל N. 1150. et כלת.

2595. תלאשר.

Spicileg. Geogr. Hebr. I. 251.

2596. מְתַלְּעוֹת *dentes canini.*

Male *dentes molares* explicant; est enim a rad. تلع *extulit se, longus fuit*, adeoque dentes prominentes, caninos notat, sic Job. XXIX, 17. Chald. Syr Ar. כַּכֵּי, ܢܒܘܒܐ, انياب quod *caninos dentes* significare certum est. cf. supra dicta sub לתע. 1347.

2597. תמה.

De hoc verbo quod proprie est *odorem, saporem, colorem mutare* (cf. arab. تمه) indeque ad magnum *terrorem*, quo color mutatur, et stuporem transfertur vid. *Beurtheilung der Mittel* &c. p. 25. Hab. I, 5. bene LXX. ἀφανίσθητε vertunt observantia etymi, alibi ad sensum magis ἐξίστασθαι Jes. XXIX, 9. XIII, 8. quo loco Syrus ܐܬܡܗ retinuit, ut et Ps. XLVIII, 6. cf. Lex. Syr. h. v.

2598. תָּמָר Ez. XLVII, 19. *Engedi.*

Male Hieronymus pro *Palmyra* habet, rectius jam pater meus pro חַצֲצוֹן תָּמָר i. e. Engedi.

2599. תַּמְרוּרִים Jer. XXXI, 21.

Nomen valde dubium, quod tamen in signis viarum esse ex praecedentibus et sequentibus suspicari licet. Equidem ausim de *columnis vialibus* (Wegweiser) cogitare et ad radicem תָּמַר referre. Nempe erecta palmae figura columnis quoque rectis nomen dedit, ut apud Chaldaeos תַּמַּר *columnam facere; ascendere in modum columnae rectae*, (quo etiam referre solent hebraicum תִּמֲרוֹת עָשָׁן Joel III, 3.) תִּמְרָא *columna fumi*, תִּימּוּר *columna solis vel lunae orientis*, Arabicumque تامور et تامورة

tur-

turris, منتصب *membrum genitale rigidum,* انتصب *longa ac rigida fuit hasta.* Video id jam occupatum a Schmidio et a patre meo, sed brevius, Cant. III. 6. citantibus. Praeierat quoque Raschi תמרים קטנים כטיעים לסימן בדרך &c.

Male alii *amaritudinem* verterunt, cui non competit verbum *statui.* Sic Vulgata: *pone tibi amaritudines,* et periphrastice amaritudine pro poenis sumta, LXX. *ποίησον σεαυτῇ τιμωρίαν.*

Aliter legisse Syrus videtur, vertens: *habita tibi in deserto;* Nempe שבי לך במדברים.

2600. תמרות Job. XV, 31. *palma femina.*

Plerumque ad מור referunt, ut sit *permutatio,* proprie *emtio,* quae fit rei unius pro altera permutatione vel pro pecunia, ut Lev. XXVII, 10. 33. Ruth IV, 7. unde et Syris ܙܒܢ *emit.* Tum sensus *vana* s. mala, infelix est *mutatio ejus, prospera fortuna in nihilum mutabitur.*

Aliam lectionem secuti sunt LXX et Syrus. Hic vertit ܡܛܠ ܕܠܐ ܗܘܐ ܢܨܒܬܗ. *Nihil enim erit planta ejus,* LXX ad v. 32. referentes *ἡ τομὴ αὐτοῦ πρὸ ὥρας φθαρήσεται.* Uterque legentes זְמוֹרָתוֹ. Vide LXX Cant. II. 12. ubi עֵת זָמִיר vertunt *καιρὸς τῆς τομῆς.* Elegans lectio, quam commendat verbum femininum תִּמָּלֵא quod vix alio referri potest. Sententia: *Vanitas enim erit palmes ejus, ante diem consenescet ac marcescet, ramusque ejus non virebit.* מלא tum eo sensu sumendum ut Jer. VI, 11. מְלֵא יָמִים de decrepitis, senio confectis.

Sed curatius perpendenti locum, videtur de fructificatione arborum sermo esse, ut mox sequitur comparatio a vite et oliva ducta. Fortasse igitur תמורתו est a תָּמָר *palma* inprimis si sine ו legas ut unus codex Kennic. תמרתו, haec autem esset *palma femina,* quae sola est fertilis. Verbum מלא de fructificatione intelligi posse vid. supra N. 1404. sub h. v. Tum aptissimus prodibit sensus: *palma femina vana et inanis erit. Semine masculino implebitur ante tempus, et spatha ejus non virescet.* Ante diem si fecundatur palma, sterilis manet, vid. Golium sub بسر. In hanc sententiam nunc totus concedo. Arabum Joctanidarum carmen citatur; mirum si illud a vite et oliva similitudines petat, nullam a palma.

2601. תנה sonare.

Haec significatio occurrit Ps. VIII, 2. ubi leg. אשר תְּנָה *cujus laus sonat supra coelos*, aut תְּנֵה ut sit stat. constr. substantivi תְּנָה, cf. Bibl. Or. T. XI. p. 200. In *Piel* transitiva significatio satis constat e Jud. V, 11. XI, 40. ad quam refer quoque Ps. 81, 3. תְּנוּ תֹף *sonare facite tympana*.

2602. תנן *societatem inire.*

Bis occurrit Hos. VIII, 9. 10. punctis ad תנה referentibus. Male, ut puto. Est enim significatio *paciscendi*, quam huic verbo tribuunt, ignota linguis orientalibus. تنّ arab. est *socius fuit*, تنتن quadrilitterum, *societatem iniit*, ergo mutatis punctis lego הִתְנוּ et יִתְנוּ *adsociant sibi* amasios. אתנה et אתנן sed aliis animandum vocalibus אֶתְנָה, אֶתְנַן, vide supra sub כתן N. 1677

2603. תנין תנים.

Tam serpentes majores, quos dracones appellabant veteres, quam belluas aquaticas et in his crocodilum significare hanc vocem, notum est e Lexicis. cf. Bochart. Hieroz. P. II. L. III. c. 14. Ad crocodilum manifesto spectat Jes. LI, 7. Ez. XXIX, 3. XXXII, 2. et, ut puto, Mich. I, 8. quo loco planctus (מִסְפֵּד) multo magis crocodilo convenit, cui ploratum et lacrimas tribuunt veteres, quam serpentibus. Etiam Gen. I, 21. Crocodilos in primis innuisse videtur Moses, quippe notos Israelitis in Aegypto commorantibus.

Difficilior est locus Thren. IV, 3. in quem commentatus est Bochartus T. II. p. 832. et I. p. 46. Dracones intelligi nequeunt, nec *Lamiae* (Seehunde) quas Vulg. habet, quippe ubera non habentes nec lactantes, nec magis crocodili. Ergo *Cete marina* recte intelligit Bochartus T. I. p. 46. docens ea ut delphines mammas habere, sed, ut monuit Aristoteles, non ἐπιφανεῖς, sed vaginis latentes. Copiosius hoc describit Schneider in *Sammlung vermischter Abhandlungen aus der Zoologie (Berlin 1784)* pag. 195 et 199. Cetis feminis juxta vulvam mammarum par esse, cum papillis, quae *longius exseri possunt.* Hoc plane esset חלצו שד. Delineationem hujus papillae dedit Scheuchzerus phys. sacra T. IV. p. 991. marg.

Mani-

Manifeste idem voluit Raschius ad h. l. sed minus intellectus: *porrigit*, inquit, *mammas suas ex narthecio suo, est enim ei operimentum quo illius mamma contegitur, atque ex illo eandem educit, ne dum pullus ejus eam videat contectam, ipse retrocedat. Sic pullos suos lactant.* Fabulosa haec fortasse, sed apparet veritatem subesse, narrando in majus auctam. Vellem haec accuratius ex historia animalis explicari; utinam Oedmannus hoc faciat, adjiciatque icones.

[Sed de his vocibus omnino videnda quae post Pocockium disputavit Celeb. Schnurrerus in diss. ad Jes. XXVII, p. 323. Dissertatt. philolog. rit. 1790. Scilicet diversa sunt vocabula תַּן plur. תַּנִּים *canis ferus, Schagal*, et תנין (תנים Ez. XXIX, 8.) plur. תַּנִּינִים *draco, crocodilus, monstra marina.* Ad prius istud תן etiam referendum תנין Thren. IV, 3. Chaldaica forma pro תנים. Sensus facilis: *etiam canes ferae ubera praebent catulis suis.* Contra תנות Mal. I, 3. nolim huc referre cum V. D. Est enim potius a تنا substitit unde تناة *habitatio.* Sic jam LXX δωματα consentiente Syro].

2604. תנופה Jes. XXX, 32.

Vide sub נוף N. 1550.

2605. תַּנּוּר fornax. Jes. XXX, 9.

Fornacem h. l. intelligo coquendo pani sacrificiali aut assandis carnibus sacrificialibus. Non tamen cogitandae fornaces nostris similes sed ollae potius ignariae, Arabibus تنور dictae, in quibus panem coquunt, lateribus fere adplicari solitum, et verubus adfixas carnium partes assant. v. Gol. p. 378. cf. Bibl. Or. T. VII. 176. Becman *Gesch. der Erfindungen* B. II. p. 419-23. et supra dicta sub אח p. 57.

2606. תעע Job. IV, 10.

Vide quae supra dicta sunt ad נתע N. 1680.

2607. מְתָעֵב Jes. XLIX, 6.

Videtur potius designari vilitas hujus servi, quam ejus de gente judicium, quare iis accedo qui מתעב *detestabilem* vertunt. Conferre possis تعب *defatigatus fuit*: tum foret *defatiganti gentem* i. e. qui genti fastidio est, sive تغب *perire, deformem esse*, tum passive legendum לִמְתֹעַב *abominabili populis.* Sic jam LXX. Chald. Theod. cf Bibl. O. XIV. p. 153. App.

2608. תַּעְתֻּעַ Gen. XXVII, 12. 2 Chron. XXXVI, 16.

Non ad תעה referendum esse, jam ob aliis observatum est. Est onomatopoeeticum a تَغْ voce ridentis formatum تَغْتَغْ unde est تَغْتَغَةٌ sonus ridentis, تَغِي risit, adeoque תַּעְתֻּעַ est *irrisit*, *subsannavit*; sic jam recte LXX. utroque loco per καταφρονειν et εμπαιζειν reddiderunt.

2609. תֹּפֶת Job. XVII, 6. exspuitio.

Difficile vocabulum, in quo ingens sententiarum varietas. 1) Prorsus repudiandi videntur, qui *Tophet* vallem circa Hierosolymam, in qua comburi mortui solebant, et quam Judaei imaginem Tartarorum sustinere voluerunt intelligunt. Praeivit Chaldaeus וגהנם מן לגו אהוי *Gehenna intus sum*, magna et grandisona phrasis. Verum absurdum in libro antiquissimo et rerum Israeliticarum ignaro nomen proprium loci circa Hierosolymam, a nullo ante Jesaiam scriptore commemoratum, videre, idque, ne quid erroris non erretur, eo significatu accipere quem ei Judaei e Babylonico exilio reduces dederunt.

2) LXX qui γελως et Vulg. quae *exemplum* vertit solam secuti conjecturam videntur, e contextu ductam.

3) Idemne dicendum de Syro qui ܐܣܘܝܬܐ *velum super faciem* vertit? eum secutus Arabs غِشَاءً عَلَي وُجُوهِهِم. Non opinor, sed תְּחֻפָּה legisse reor. Sententia valde intricata: *posuit dominationem populorum et velum super faciem ipsorum sum.* — Hincne ἐξουσία 1 Cor. XI. illustrari potest?

4) מֹפֵת legendum olim conjeceram, ut jam Clericus. Apta oratio: *portentum coram illorum facie sum.* Auctoritate tamen destituor, nisi *exemplum* Vulgatae ex מוֹפֵת versum sit, ut putabat Schultensius. Sed non recordor alibi latinum interpretem מוֹפֵת ita reddere.

5) His omnibus sive lectionibus sive interpretationibus multum ea praestat quae a תֹּף tympano vocem ducit. *Tympanum publice fio* h. e. tympani tanquam sono ad miserias meas spectandas convocantur omnes. Favet huic explicationi quod carminum (מָשָׁל) vixdum facta mentio erat, quae solent ad tympana, orientalibus frequentissima sed a nostris multum diversa, cantari. Nec me moratur quod Schultensius huic derivationi opposuit, quod ita פ Dagesch habere debuisset, cum facile liceat hoc

adde-

addere ſcribendo חֻפַּת vel תֻּפַּת. Ipſum adeo vallis Tophet nomen a tympanis derivari ſolet, ut opus ſit פ dageſſare contra maſorethicas editiones.

Fuerunt jam, ut monet Schultenſius, qui תפת a tympano derivarunt, Coccejus aliique. Sed illi de priſca felicitate interpretabantur: *tympanorum celebratio olim eram.* Ego contra ludibrium tympanorum in acerbiſſimis Jobi cruciatibus intelligo.

Moleſta tamen in hac explicatione vox לפנים quae redundare videtur. Conjicere poſſem ראמים legendum, quod apte reſponderet עמים in ſuperiori membro. Sed non audeo nullo teſte textum mutare non deſperatum.

6) Schultenſius olim derivabat ab arab. تُفٍّ *Phy*, quod et probavit I. H. Michaelis, et mihi nunc prae meo probatur. Nempe haec particula onomatopoeetica, ad quam ſimul exſpuunt Arabes, teſte Salomone Negri. Indeque habent تَفَّفَ deteſtatus eſt *exſpuit*, تُفٌّ *ſordes* &c. Adeoque תפת proprie eſſet *exſpuitio.* Egregie huic explicatione convenit, quod unum mihi in iſta explicatione moleſtum erat, לפנים. Hoc nunc erit: *in faciem mihi exſpuitur.*

Schultenſio tamen ſeni haec juvenilis diſplicuit interpretatio, nempe quia פ Dageſch forte impreſſum non habet. Unde licet in vertendo retineat: *abominatio deſpuenda in faciem factus ſum*, non tamen a تُفّ derivat, ſed a verbo ignoto et nuſpiam lecto תפת, cui pro ſolo arbitrio exſpuendi ſignificationem dedit. Mihi ad haec confugere non eſt neceſſe, punctorum reverentia non impedito.

Reliquos, qui אפה aut תפתיא Danielis conferunt, ne numerandos quidem puto. Hoc ſolum addo, vallem Tophet forte ab eodem تُفّ, ab exſpuendo, nomen habere, ut ſit *vallis exſpuitionis* ſ. *abominanda.*

2610. תָּפְתֶּה Jeſ. XXX, 33.

Secundum puncta vocalia non Tophet eſſe ſed verbum a פתה ſupra N. 2093. declaratum vide. Ab his ſi ſeceſſeris, poteris vertere: *jam a longo tempore Topheth ejus* (תָּפְתֵּה cum ſuffixo maſculino) i. e. *ſepulcrum Aſſyrii praeparatum eſt.* Eleganter etiam et cum nutu prophetico dicetur Tophet, quod in ipſo ſuburbano Hieroſolymorum loco Topheth, a quo per metonymiam ſepulcra dicta ſunt, Aſſyrius exercitus incredibili clade adfectus eſt, et videntur caeſorum Aſſyriorum multi in hoc ipſo

 loco

loco ſepulti fuiſſe. Pertinet igitur hoc ad amphibolias propheticas, quae aliquando eventus veriora comprobat, quam, cum proferrentur, intelligi aut exſpectari poterat.

Nomen *Topheth* retinet Vulgata, conſtruitque ut femininum; Chald. male in *Gehennam* mutat, in quam impii detrudentur. Hieronymus quoque in commentario ſcribit: *Tophet, i. e. lata ac ſpatioſa Gehenna quae eos aeternis urat ardoribus*. Cur Syrus verterit: ܬܦܐܟܠܬܗ *cibus ejus* non expedio, niſi forte vocem ignotam ad פת *fruſtum* retulit, aut ſine ת initiali legit פתה. Ephraemus exponit de Hieroſolyma, quam ut cibum ſuavem deglutire volebat Aſſyrius.

2611. תפש Prov. XXX, 9.

Phraſis תָּפַשְׂתִּי שֵׁם אֱלֹהָי *prehendere nomen dei*, alias non occurrens, hic manifeſto de *jurejurando* per nomen Dei ponitur. Illuſtrat eam ſimillima locutio Arabis graeca interpretantis Pſ. XXIII. (Hebr. XXIV) 4. qui graeca *ὃς οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ* reddit الذي لم ياخذ نفسه بالباطل, quod de juramento intelligendum eſſe e contextu apparet.

2612. תקע.

Ad hanc radicem malim referre Gen. XXXII, 32. ותקע quod ad יקע referri jubent puncta vocalia, cf. quae ſupra dicta ſunt ſub h. v. N. 1046. Legendum וְתָקַע *et percuſſit acetabulum femoris Jacobi.* [Modo תקע ſimpliciter eſſet *percutere.*]

Addo phraſin qua ſponſionem exprimunt Hebraei תקע כפו ל manus non ei, cui ſpondemus, ſed pro quo ſpondemus, infigitur, Prov. VI, 1. Jus Moſ. T. III. §. 151.

2613. תקף *iraſci.*

Hanc ſignificationem, lexicis omiſſam, obtinere puto locis Job. XIV, 20. XV, 24. Chaldaeis תקף *eſt creſcere, invaleſcere, durum eſſe, iraſci*, unde pro חרה אף ſaepe habent תקף רוגזא. v. Buxtorf. et Gen. IV, 5. תְּקֵיף לְבֵהּ. Samaritanis quoque pro חרה et ira ponitur. Haec ſignificatio utroque loco aptiſſima. C. XIV. תִּתְקְפֵהוּ לָנֶצַח *iraſceris illi perpetuo.* c. XV, 24. תִּתְקְפֵהוּ כְּמֶלֶךְ *iraſcitur ipſi* malum *regis inſtar.*

2614. תרב *pulvis.*

Sicne legendum Numer. XXIII, 10. מי מנה עפר יעקב ומספר תרב ישׂ״ את רבע ubi רבע *quarta pars* incommodum ſenſum fundit. تُرَاب Arab.

Arab. *pulverem* notat. Plana igitur omnia si legas תרב ישראל *pulverem* Israelis.

2615. תרהקה Rex Aethiopum Jes. XXXVII, 9.
Vid. Spicileg. Geogr. Hebr. T. I. p. 149-151.

2616. תרומה Nomen arboris? Jes. XL, 20.

Doni s. *oblationis* significatio valde incommoda hoc loco, ubi nomen arboris, ex qua fieret idolum, exspectandum erat. Chaldaeus quidem אֹרֶן habet quae arbor XLIII, 14. occurrit, et מְסַבֵּן extulit, ut sensus sit: *caedit arborem*, satis adcommodate ad contextum loci. Sed de hac voce accuratius inquirendum [אֹרֶן enim Chaldaeus ex C. 43. 14. intulisse, non legisse videtur.]

2617. תֹּרֶן Jes. XXX, 17. XXXIII, 23. Ez. XXVII, 5. Pharus.

Malum navis interpretantur plerique, LXX. Aqu. Symm. Theodot. (ἱστὸν) Vulg. et in Ezech. consentiunt Hieron. et Judaei. Chaldaeus תרן retinet Jes. XXXIII. et Ezech. XXVII. Sed parum apta haec significatio quod 1) Jes. XXX, 17. תרן est in vertice montis; Mali autem non in montibus conspici solent, sed in aequore. 2) Apud Ezechielem exstructus dicitur *super Tyrum*, quod de malo absurdum, qui non urbibus sed navibus imponitur. (Quanquam exire possis hanc difficultatem si cum Syro et Vulg. עליך *tibi* vertas.) Accedit quod cedrus vera Libani ob crassitiem et quod ramis, non trunco recto, excelsa est, malo non apta. Nec tamen hoc argumento solo utor; cum enim plures arborum species ארז complectatur, possit sane abies aut cupressus intelligi, nisi istae rationes obstarent.

Videamus ergo num aliud quid veteres praebeant. Arabs Ezech. XXVII. ἱστοὺς quod ne quidem necessario navigii malum significat, vertit, عُمُدًا *columnas*, et Jes. XXXIII, 23. Syrus habet ܟܡܣܘ̈ܢܐ Arabs عمودك. Ferri hoc posset, sed si עליך est *super te* Ezech. XXVII. non locum habent columnae, quae supra urbem non ponuntur.

Syrus in Ezech. vertit ܬܪܢܐ obscurum nomen, at Jes. XXX, 17. transpositis radicalibus habet ܬܢܪܐ, quae verior lectio videtur; Sed haec ipsa vox incertae significationis, nisi forte sit ab عرن *extulit se, exorta est* planta vel stella. Tum ܬܢܪܐ aliquid malo simile significet, in cujus vertice sit lucerna stellae speciem procul referens, vid. Lex. Syriac. h. v. p. 675.

Sue-

Succurrit dubitanti Chaldaeus qui Jes. XXX, 17. nostrum nomen explicat בּוּעֲרָא, quod non tam facem indicare illo loco videtur, quam *malum aut trabem in cujus vertice vasa pice plena accenduntur, signum adventus hostium.* (Stange mit Pechfässern.) Haec significatio Jesaiae loco c. 30. aptissima. Ejusmodi enim malus, et vero solitarius, belli tempore in montibus erigi solet, ut procul conspiciatur, optimeque, ut ibi fit, cum נֵס componitur. Apud Ezechielem jam intellexerim erectum in summo Tyri loco aut aliquo promontorio sive malum, sive turrim, in cujus fastigio ignis nocturnus alitur, navigantibus viae index, (Leuchtenthurm) qualis fuit Pharus Alexandriae. Ejusmodi Pharus recte *supra Tyrum* posita dicitur, potuitque sive abiete sive etiam cedro aedificari.

Solus itaque superest locus Jes. XXXIII, 23. in quo, cum praecesserit navis mentio, satis aptus est malus: *non firmabunt* (scil. funes) *recte malum eorum*, idque in versione germanica expressi. Sed totus ille locus obscurus est. Dubitari adeo possit an hic de navigio sermo sit. An forte תרן de malo s. arbore quae in medio tentorii erigitur, aut signum convocandis ad arma civibus; cum mox vexillum commemoretur? Sed haec omnia quid faciunt ad ea, quae sequuntur? Videmur primam partem versus aut non recte legere, aut non intelligere.

De etymo vocis תרן nihil certi habeo. Cum tamen apud Syros frequenter ה et א primae rad. permutentur, maxime in exoticis, succurrit إِرُونَ *foci in quibus extruuntur ignes.* Verum is est pluralis ab إِرَةٌ unde Nun non est radicale.

2618. תָּרוּץ *rectum* Dan. IX, 25. e var. lectione.

Quod in hebraico legitur וְחָרוּץ LXX vertunt μῆκος (*aedificabitur urbs in longum et latum*) sed trajectam habent hanc versionem in fine capitis. Possis et *rectas plateas* intelligere, sic concineret Syri Versio: ܫܘܩܝܗ̈ *plateas ejus.*

תרץ Syris et Chald. direxit, ar. تَرِصَ firmus fuit, et Conj. II. IV. firmum fecit: fortasse ad hanc rad. spectat Ps. 68, 32. תָּרִיץ ידו directus manum suam.

2619. תַּרְשִׁישׁ Tartessus Gen. X, 4.

Vid. Spicileg. Geogr. Hebr. T. I. p. 82. sq.

Est etiam תַּרְשִׁישׁ *nomen lapidis* Dan. X, 6. Cant. V, 14.